




00083069



Digitized with financial assistance from

Government of Maharashtra

on 30 January, 2020

DOCTRINA
NUMORVM VETERVM.

DOCTRINA NUMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A
IOSEPHO ECKHEL.

THESAURO CAESAREO NUMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM,
ET REI ANTIQVARIAR IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE
PRAEFECTO.

PARS II.

83069

DE

MONETA ROMANORVM.

VOLV MEN VII.

CONTINENS

NUMOS IMPERATORIOS AB ANTONINO PIO VSQVE AD
IMPERIVM DIOCLETIANI.



VINDOBONAE

SVMP TIBVS IOSEPHI GAMESINA ET SOC.
IMPRESSVM TYPIS KVRTZBERKIANIS.

MDCXC VII.



00083069

CONSPECTVS VOLVMINIS VII.

Antoninus Pius. Pag. 1.
Faustina sen. Pag. 37.
Galerius Antoninus. Pag. 42.
M. Aurel. Antoninus. Pag. 43.
Faustina jun. Pag. 76.
Annius. Verus. Pag. 82.
L. Verus. Pag. 87.
Lucilla Veri. Pag. 98.
Commodus. Pag. 102.
Crispina Commodi. Pag. 138.
Pertinax. Pag. 140.
Titiana Pertinacis. Pag. 146.
Didius Iulianus. Pag. 147.
Scantilla Iuliani. Pag. 150.
Clara Iuliani fil. Pag. 151.
Pescennius Niger. Pag. 152.
Clodius Albinus. Pag. 161.
Severus. Pag. 166.
Donna Severi. Pag. 194.
Caracalla. Pag. 199.
Plautilla Caracallae. Pag. 224.
Geta. Pag. 227.
Macrinus. Pag. 236.
Diadumenianus. Pag. 240.
Elagabalus. Pag. 244.
Cornelia Paula Elagabali. Pag. 258.
Aquilia Severa Elagabali. Pag. 259.

Annia Faustina Elagabali. Pag. 260.
Soemias Elagabali mater. Pag. 264.
Maesa Elagabali avia. Pag. 266.
Alexander Severus. Pag. 267.
Orbiana Alex. Severi. Pag. 284.
Mamaea Alex. Severi mater. Pag. 286.
Vranus Antoxyus. Pag. 288.
Sulpicius Antoninus. Pag. 288.
Maximinus I. Pag. 290.
Paulina Maximini I. Pag. 296.
Maximus Caesar. Pag. 297.
T. Quartinus. Pag. 299.
Gordianus I. Pag. 299.
Gordianus II. Pag. 300.
Balbinus, et Pupienus. Pag. 305.
Gordianus III. Pag. 309.
Tranquillina Gordiani III. Pag. 318.
Philippus I. Pag. 320.
Otacilia Philippi I. Pag. 332.
Philippus II. Pag. 333.
Marinus. Pag. 337.
Pacatianus. Pag. 338.
Sponsianus. Pag. 340.
Decius. Pag. 342.
Etruscilla Decii. Pag. 347.
Herennius. Pag. 348.
Hostilianus. Pag. 350.

CONSPECTVS VOLVMINIS VII

- | | |
|---|--|
| <p><i>Trebonianus</i>. Pag. 354.
 <i>Volusianus</i>. Pag. 366.
 <i>Aemilianus</i>. Pag. 371.
 <i>Corn. Supera Aemiliani</i>. Pag. 374.
 <i>Valerianus</i>. Pag. 376.
 <i>Mariniana Valeriani</i>. Pag. 383.
 • <i>Gallienus</i>. Pag. 389.
 <i>Salonina Gallieni</i>. Pag. 418.
 <i>Saloninus</i>. Pag. 421.
 <i>Q. Iul. Gallienus</i>. Pag. 435.
 <i>Valerianus jun.</i> Pag. 436.
 <i>Licinia Galliena</i>. Pag. 437.
 <i>Postumus</i>. Pag. 437.
 <i>Iunia Donata Postumi</i>. Pag. 447.
 <i>Postumus fil.</i> Pag. 447.
 <i>Laelianus</i>. Pag. 448.
 <i>Lollianus</i>. Pag. 449.
 <i>Aelianus</i>. Pag. 450.
 <i>Victorinus sen.</i> Pag. 450.
 <i>Victorinus jun.</i> Pag. 453.
 <i>Victorina Victorini sen. mater.</i> Pag. 453.
 <i>Marius</i>. Pag. 454.
 <i>Tetricus</i>. Pag. 455.
 <i>Tetricus jun.</i> Pag. 459.
 <i>Piso</i>. Pag. 460.
 <i>Valens</i>. Pag. 461.
 <i>Balista</i>. Pag. 461.
 <i>Regalianus</i>. Pag. 461.
 <i>Dryantilla Regalliani</i>. Pag. 463.</p> | <p><i>Aureolus</i>. Pag. 464.
 <i>Sulp. Antoninus</i>. Pag. 465.
 <i>Macrianus sen. et jun.</i> Pag. 465.
 <i>Quietus</i>. Pag. 468.
 <i>Alex. Aemilianus</i>. Pag. 468.
 <i>Tebellianus</i>. Pag. 469.
 <i>Celsus</i>. Pag. 469.
 <i>Saturninus I.</i> Pag. 470.
 <i>Cyriades</i>. Pag. 470.
 <i>Ingenuus</i>. Pag. 470.
 <i>Claudius Gothicus</i>. Pag. 470.
 <i>Censorinus</i>. Pag. 477.
 <i>Quintillus</i>. Pag. 477.
 <i>Aurelianus</i>. Pag. 479.
 <i>Severina Aureliani.</i> Pag. 487.
 <i>Principes Palmyrae</i>. Pag. 488.
 <i>Firmus</i>. Pag. 496.
 <i>Tacitus</i>. Pag. 496.
 <i>Florianus</i>. Pag. 499.
 <i>Probus</i>. Pag. 500.
 <i>Bonofus</i>. Pag. 507.
 <i>Saturninus II.</i> <i>ibid.</i>
 <i>Proculus</i>. <i>ibid.</i>
 <i>Carus</i>. Pag. 508.
 <i>Numerianus</i>. Pag. 511.
 <i>Carinus</i>. Pag. 513.
 <i>Magnia Urbica</i>. Pag. 517.
 <i>Nigrinianus</i>. Pag. 520.
 <i>M. Aur. Iulianus</i>. Pag. 521.</p> |
|---|--|

MONETAE ROMANORVM

P A R S II.

COMPLECTENS . .
NVMOS AVGVSTORVM, CAESARVM,
TYRANNORVM.

ANTONINVS PIVS.

Huic nomina fuere ab utroque parente collecta *T. Aurelius Fulvus Bojonius Arrius Antoninus*, quae pleraque confirmat insigne marmor Ephesium vulgatum a Muratorio, ^{a)} fuitque paternum genus Nemauso, et utrumque gestis consulatibus illustre. ^{b)} Pater Aurelius Fulvus

consul et ipse, mater Arria Fadilla, ^{c)} natus ipse in villa Lanuvina XIII. Kal. Octob. ^{d)} anno V. C. 839 Domitiano XII. et Dolabella cof. ^{e)} Functus quaestura, et praetura, et probata in utroque munere cum liberalitate, tum magnificentia consulatum sibi in annum V. C.

a) Päg. 232. 3. bcc. e) Capitolin.

b) Capitolin.

c) Gruter p. 607. 1.

d) Capitolin, Vet. Kal. Lam-

ANTONINVS PIVS.

873 emeruit. Ab Hadriano postea inter quatuor consulares electus est, quibus Italia commissa fuit, subinde provinciam Asiam cum magna gravitate, ac integritate rexit, sic ut optimorum, qui ei praefuere, famam superaret. ^{a)} Provinciae Asiae praefuisse, etiam ex Digestis tenemus. ^{b)} E provincia redux in saeculius Hadriani concilium admissus magis per cogitos in omni vita mores, quam per leve pietatis specimen, quod commemorant Capitolinus, ^{c)} et Aur. Victor, ^{d)} adeptus est, ut mortuo repente Kalendis Ian. V. C. 891. Aelio Caesare paullo post V. Kal. Martias ab Hadriano adoptaretur dictus conlega in imperio proconsulari, et in tribunicia potestate, iussusque adoptare ipse M. Antoninum suum ex fratre uxoris Faustinae nepotem, et L. Verum mortui proxime Aelii Caesaris filium. Ergo eius deinceps nomina fuere: *T. Aelius Hadrianus Antoninus.*

V. C. 891. P. X. 138.
IMP. CAES. TR. POT. COS.
Camerino et Nigro cof.

- A. IMP. T. AEL. CAES. ANTONINVS. *Caput nudum, in AV. et AR.*
 B. IMP. T. AELIVS. CAESAR. ANTONINVS. *Caput nudum, in AE. I. II.*

Vt lit. B.

HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani nudum.* AE. II. (Mus. Christianae.)

Vt lit. A.

PIETAS. TRIB. POT. COS. *Mulier ad aram accedens d. extenta granum thuris.* (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

Eadem averfa addito S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

TRIB. POT. COS. *variis typis, iisque obviis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

TRIB. POT. COS. S. C. *variis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Omissi in his numis tituli AVG. et PONT. MAX., ut et elogium PIVS invictae probant, descriptos hactenus numos percussos fuisse inde a V. Kal. Martias usque ad proximum Iulium, quo mense per Hadriani excessum unus rerum potitus non modo proprios summis principibus Augusti, et pontificis maximi titulos recepit, sed et extraordinario *Pii* elogio, ut continuo videbimus, ornatus fuit. Et confirmat istud praecipue numus ex propositis primus, in quo Hadrianus adhuc vivus cum adoptato recens Antonino conjungitur. Non satis hactenus antiquarii inter Antonini numos hoc anno percussos, nimirum quatenus ii ad Antoninum *Caesarem*, et Antoninum *Pium Augustum* pertinent, discevere, atque omnium minime Mediobarbus, qui ad hunc annum omnia inique permiscet. Atque ego quoque candidè confiteri cogor, me, cum catalogum musei Caesarei conscriberem, tres numos, nimirum 16. 17. 18. sic promulgasse, tanquam omisso *Augusti* titulo

a) Capitolin. Philostr. in vita Polemon. et laudatum mox marmor Ephelium. tit. III. §. 6. c) in Antonin. c. 4. d) de Caes. in Hadr.

b) L. XLVIII.

additus tamen esset titulus *pontificis maximi*. At rursus a me curatius inspecti utrumque honorem manifeste conjungunt, ut continuo palam fiet.

Eodem anno.

AVG. TR. P. COS. DES. II. P. M.
Incipit PIVS.

Mortuo die X. Iulii apud Baias Hadriano Augustus dicitur. (Vide Hadrianum ad hunc annum.) Eum acriter adversante primum senatu, mox cedente consecrat. (V. numos divi Hadriani.) In annum sequentem designatur consul iterum. PII appellationem deinceps in numis constanter duraturam recipit. De novo hoc honore agetur sub finem inter titulos hujus Augusti.

IMP. T. AEL. CAES. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum*, vel:
IMP. CAES. AEL. ANTONINVS.
AVG. *Caput nudum.*

PONT. MAX. TR. POT. COS. *Typis variantibus, et obviis.* AR. (Mus. Caes.)

En tibi primitias numorum Antonini modo Augusti, qui a praecedentibus solo addito AVG. et PONT. MAX. elogio differunt.

IMP. CAES. AELIVS. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum.*

P. M. TR. POT. COS. DES. II. S. C. *Mulier stans d. ramum, s. cornucopiae.* AE. I. (Mus. Caes.)

Nunc etiam Antonino consulis DESIGNATI II. honos accessit.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel nudum, in numis omnis metalli, et formae.*

IMP. T. AEL. CAES. HADRI. (in aliis HADR.) ANTONINVS. *Caput nudum, vel laureatum.*

AVG. PIVS. P. M. TR. P. COS. DES. II. *Typis variis.* AV. AR.

Copiosi sunt in utroque nobili metallo numi sic inscripti. PIVS nunc primum appellari incipit.

IMP. T. AEL. CAES. HADRI. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput nudum, vel laureatum.*

P. M. TR. POT. COS. DES. II. S. C. *Mulier stans d. ramum, s. cornucopiae.* AE. II. (Mus. Caes.)

MONITVM.

Quoniam ex numis, certisque monumentis aliis conspici, tribuniciam potestatem inde ab Antonino Pio perinde ac consulatus Kalendis Ianuariis fuisse renovatam, deinceps singulis annis Iulianis unam tantum tribuniciam potestatem illis competentem praefigam. Haec indicasse satis esto. Nam hujus argumenti causas olim suo loco copiose, et adcurate comprobabo.

V. C. 892. P. X. 139.

TR. P. II. COS. II. DES. III. P. M. IMP. II. forte.

Incipit PATER PATRIAE.

Antonino Pio Aug. II. C. Bruttio Praesente II. Cos.

Titulum patris patriae admittit. Vide, quae de hoc inter titulos hujus principis observabo.

- B. IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*
- C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. II. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)*
- D. IMP. CAES. T. AEL. HADR. ANTONINVS, AVG. PIVS. *Caput laureatum, in AE. m. m. (Mus. Caes.)*
- E. IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum in AE. I. et max. mod., nudum vel radiatum in AE. II.*
- F. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. II. *Caput nudum, in AE. max. mod. (Mus. Pisani.)*

Numi geographici.

Vt in Hadriani moneta, sic et Antonini variarum provinciarum imagines exhibentur. In flo, qui provincias imperii omnes adivit, ejus facti rationem tenemus, sed quae valere ad Antoninum nequit, qui Italia pedem nunquam extulit saltem fide certorum auctorum, et neglectis Malalae fabulis. Propositis primum id genus numis mox certam dicatae hujus Antonino monetae rationem expediemus.

Vt lit. A.

AFRICA. S. C. *Mulier stans capite elephantis exuviis tecto d. canistrum, f. cornucopiae, pro pedibus caput leonis. AE. I. (Mus. Farnes. Vaillant.) In alio: pro pedibus scorpius. (Mus. Caes.)*

Antica incerta.

AFRICA. COS. II. S. C. *Mulier gradiens unam eandemque coronam, eamque praegrandem utraque manu praefert, ante ejus pedes draco, retro tres spicae. AE. I. (Mus. Christinae.)*

Antica incerta.

ALEXANDRIA. COS. II. S. C. *Mulier stans d. canistrum, f. ibin. AE. I. II. (Vaillant.)*

Vt lit. A.

ASIA. COS. II. S. C. *Mulier capite turrito stans d. coronam, f. ancoram, pro pedibus prora navis. AE. I. (Mus. Caes.)*

BRITANNIA. *Numi hujus provinciae nomine inscripti quoniam diversum habent typum, et alterius sunt anni, haec non pertinent. Cum simili typo, qualis est in numis praesentis argumenti, aeneum I. formae, sed cum capite Claudii, edidit cl. Pinkertonus: BRITANNIA. Mulier stans d. gubernaculum, f. porrecta vas, pro pedibus prora navis, bis insuper profectus, eum exflare in numis reginae Christinae ab Havercampo vulgaris.* Addit, similem alium, sed aureum, et sine vase in manu sinistra exflare. At miror profecto, singularem hunc numum citari ex opere Havercampi, in quo eum omni adhibita industria repetire non licuit. Memoriae lapsus suspicor. Cum ergo vir eruditus numum ipse non viderit, quia illum ex alieno laudat, mihi facile persuadeo, eum ad modum numorum praesentium fuisse confictum, additumque caput Claudii, quem constat suo ductu partem Britanniae oc-*

cupasse. Adjectum alterum similis argumenti aureum, quia ex folis numis Archotanis, dubiae plerisque fidei, cognitus est, confictum item existimo.

Vt lit. A.

CAPPADOCIA. COS. II. S. C. *Mulier succincta veste, et capite turrato stans d. vas, f. vexillum, pro pedibus mons Argaeus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

DACIA. COS. II. S. C. *Mulier stans d. monticulos, (verba sunt editorum) f. vexillum.* AE. I. (Vaill. Theup.)

Antica incerta.

HISPANIA. COS. II. S. C. *Mulier capite turrato stans d. coronam, f. ramum, pro pedibus cuniculus.* AE. I. (Vaillant. Morelli specim. tab. XI.)

ITALIA. Hujus quoque numi huc non pertinent propter causas sub BRITANNIA adlatas.

Antica incerta.

MAVRETANIA. COS. II. S. C. *Vir habitu succincto stans d. canistrum, f. hastam.* AE. I. (Mus. Christinae, Vaillant.)

Vt lit. A.

PARTHIA. COS. II. S. C. *Parthus stans d. coronam radiatam, f. circum cum pharetra.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PHOENICE. COS. II. S. C. *Figura alie succincta stans d. vas, seu canistrum, f. scipionem, retro palma.* AE. I. (Mus. Caes.)

Ait Cellarius in Geographia antiqua, hanc regionem probe Latine scribi *Phoenicen*, non *Phoeniciam*, quam doctrinam

confirmat quidem numus praefens, tamen et Conradus Schwarzius in subjecta nota memorat *Phoeniciam* ex Varrone. ^{a)}

Antica incerta.

SCYTHIA. S. C. *Figura regionis stans d. coronam, f. baculum.* AE. I. II. (Vaillant.)

Antica incerta.

SICILIA. S. C. *Mulier stans d. coronam, f. spicas.* AE. I. II. (Vaill. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

SYRIA. S. C. *Mulier capite turrato stans d. coronam triplicem, ut videtur, forte canistrum, f. cornucopiae, dextro pede fluvio emergenti insistit.* AE. I. (Mus. Caes.)
adlito COS. II. (Mus. Theupoli.)

Perperam in numo simili Montfaucenius legit SYBELE, et figuram stantem dixit Cybelen matrem deum. ^{b)}

Animadversiones in recitatos numos.

Vt ex praesente elencho patescit, numi citati omnes egregie inter se conspirant. Primum antica in omnibus eadem est. Epigraphe averfae ut mentione provinciarum differt, ita in iis commemorandis eundem modum obtinet. Tempus in omnibus unum, nempe consulatus II. saltem secundum catalogos adcuratos. In paucis consulatus dissimulatur. Typus etiam, dempto unico, gestus figurae dextera porrecta quid offerentis, in omnibus idem est, nisi quod variant signa juxta posita, et singulis provinciis propria. Sunt omnes aenei, iique I. formae, demptis paucis, quos aeneos II. agnoscit Vaillantius. Ex auro, et

a) de L. L. lib. IV. p. 13.

b) Ant. expl. Tom. I, tab. III, n. 9.

argento nondum observati. Quare cum tam constantem, et definitum in iis videamus modum, ut eorum recte procedat explicatio, nequaquam inquirenda ratio, quae ad singulas seorsim provincias, sed quae ad omnes simul sumptas pertineat. Quo in examine parum reperio solida antiquariorum iudicia, qui hactenus in hos numos commentati sunt, dum alii ad explicandos eos advocant testimonium Capitolini generatim adfirmantis, imperante Antonino cunctas provincias floruisse, perinde quasi Antoninus in ipso imperii aditu iam stabiliverit felicitatem provinciarum, eamque hae per monetarios Romanos profectae sint, et Capitolini effatum non omne ejus imperii tempus, sed annum nonnisi primum respiceret. Quid quod hoc pacto necesse erit dicere, Parthiam quoque, ac Scythiam in his numis memoratas a monetariis beatas praedicari, et Antonini auspiciis floruisse, quas tamen esse infirmas Romanorum maxime intererat. Alii singula Antonini facta, quae ad singulas provincias pertinent, quae auctores veteres memorant, ad hos numos applicant, perinde quasi omnia, quae veteres de Antonino prodidere, primo statim imperii anno, seu in consulatu II. accidisse sit existimandum.

Antequam probabile de his iudicium ferri possit, definiendum necessario, quidnam sit illud, quod partis avercae figura manu dextera porrigit. In aliis luculenta est corona, in aliis canifri, aut caprae quaedam species. In numo PARTHIA est corona radiata, in

altero SYRIA canistrum est constans tribus coronis, quarum una alteri imposita est. In numo DACIA dicuntur esse monticuli, sed haud dubie coronae radii horum speciem praebent. Igitur si ex imagine capiendum iudicium, partim coronam sistit, partim canistrum, quod quidpiam includit. His stabilitis expeditior est ad cetera via, qua sententiam meam eruditis propositum eo.

Illud, quod figura in his numis manu praefert, coronam auream esse cenleo, aut quod pro hoc dari consuevit, *aurum coronarium*. Vetus enim erat jam etiam apud Graecos mos, ut iis, quibus habendus esset honos, aut habendae gratiae, corona aurea donaretur. Iam anno V. C. 331. Thraciae urbes Brasidam Spartanum tanquam Graeciae liberatorem corona aurea redimivere. ^{a)} Vetullius exemplum de coronata auro Damareta Gelonis uxore dabimus infra, tum et posteriora, quorum multa quoque commemorant scriptores, cum habitos a civitatibus Alexandro M. honores commemorant, tum etiam Demosthenes. ^{b)} Atque antiquum istud Graecorum institutum, quoniam ad rem faciendam valuit, facilem apud Romanos aditum reperit. Adhuc stante rep. ab Aemilio Paulo in triumpho ex victa Macedonia praelatae coronae aureae CD, a Manlio ex victa Gallograecia CC.; a T. Quintio ex victa Macedonia CXIV., quas civitates Graecae victoribus honoris ergo, verius causa captandae benevolentiae ad triumphum obtulere. Vide de his Livium. Quam copiosas eodem nomine abstulerit L. Caesar, do-

a) Thueyd, L. IV. c. 121,

b) Orat. de Corona.

uebunt Dio, ^{a)} et Appianus perhibens, ^{b)} eum finito bello Africano in triumpho duxisse coronas aureas 2822, quarum pondus fuit librarum 20414.

Factum non raro, ut pro corona aurea offerretur aurum ipsum, quod a re dictum fuit *coronarium*. Meminit Cicero legis, qua jubebatur is, qui de provincia decesserit, profiteri, quantum habeat auri coronarii ^{c)} Refert Polybius, ^{d)} Antiochum pactum cum Romanis, se his daturum *ταλαντα πενηκοντα στεφανον, talenta L. ad coronam*. Gerraiei, ut ex Polybio refert Suidas, ^{e)} *εστεφανωσαν τον Αντιοχον πεντακοσιοις αργυρις ταλαντοις, Antiocho coronae nomine dederunt D. argenti talenta*. Carthaginenses Damaretae Gelonis uxori, quod hujus ope commodam pacem impetrassent, polliciti sunt *coronam auream, στεφανον χρυσον*, ut refert Diodorus Siculus, ^{f)} qui mox addit: *και στεφανωθεισα υπ αυτων εκατον ταλαντοις χρυσις, et coronata ab illis centum talentis auri*. Qui quidem loquendi modus, *pecunia coronare*, Graecis non infrequens fuit, sic tamen, ut hoc vocabulum *στεφανον* aliud non significet, quam *honorare, donare, remunerari*. Iam istud edixerat Harpocration, cum ait: ^{g)} Demosthenem dixisse *στεφανων αντι τε τιμων, coronans pro honorans*, adducto etiam continuo exemplo Lycurgi oratoris: *αλλα μην και Καλλισθενην εκατον μυαις εστεφανωσατε, sed et Callisthenem centum minis coronastis, sc. donastis*. Atque haec ejus verbi significatio

αλληγορικως ad alios quoque modos valuit. Sic Pindarus: ^{h)} *στεφανωσαι Αιοληιδι μολπα, coronare, id est: celebrare Aeolico cantu*, Xenophon: ⁱ⁾ *ευδαιμονια οι θεοι τας πολεις στεφανωσιν, dii civitatibus felicitatem praestant*. De Palamede Philostratus: ^{k)} *επι τετοις ο μενοσφιας αριστεια εστεφανωτο υπο των Ελληνων, istis autem de causis a Graecis sapientiae praemia ipse tulit*. Aristophanes: ^{l)} *ειτ εστεφανεν μι ευαγγελια, quae verba sive a scholiaste, sive Kustero, sive nuper cl. Brunckio verti: coronarunt me ob faustum nuncium, jure displicet Baroni de Locella, qui postrema haec mihi exempla amice indicavit, cum potius secundum adductos modos reddenda sint: causa fausti nuncii me honorarunt*. Multo autem vetustiore hunc esse ejus vocabuli sensum, patet ex verbis epistolae II. ad Hebraeos cap. II. v. 7. *δοξη και τιμη εστεφανωσας αυτον, gloria, et honore coronasti eum*, quae verba capta, et ad literam traducta sunt ex psalmo VIII. v. 6, ubi legitur: *קורנאסתי עמ, coronasti eum*. Ad propositum ut redeam, non raro pecuniam pro ipsa pecunia repraesentari consuevisse, docet exemplum Rhodiorum, quod servavit Suidas. ^{m)} Hi enim, inquit, quia *αυτονομοι* fuerant, (melius dixisset: *ατελεις*) exiguam quandam portionem honoris causa quotannis Romam misere, non tanquam tributum dominis, sed ut coronam amicis, quod illi *στεφανικον τελεσμα, coronarium tributum* vocavere. Addit, Gallograecos dicere *στεφανικον*,

a) L. XLII §. 49. b) Bell. civ. L. II. c. 102. c) Orat. de leg. agr. cap. 4. d) Exe. legat. 83. e) in Στακτη. f) L. XI. c. 26. g) in στεφανων. h) Olymp. I. v. 162. i) de Magist. equit. VIII. 7. k) Heroic. c. X. §. 4. l) Equit. v. 644. m) in Στεφανικον.

quidquid muneris, et beneficii loco alicui datur. Sed haec variis veterum testimoniis magis deinceps confirmabuntur.

Coronae hae *triumphales* vocatae sunt, quia eas civitates exterae ducibus Romanis ad triumphos, quos in urbe acturi essent, obtulere, in quibus eas palam ad ostentationem, et incredibili saepe numero praelatas fuisse, passim docet Livius. Festus: ^{a)} *Triumphales coronae sunt, quae imperatori victori aureae praeferuntur, quae temporibus antiquis propter paupertatem laureae fuerunt, et in eandem sententiam Gellius.* ^{b)} Verum haud dubie distinguenda fuere et tempora, et populi. Romanos integra sepe triumphatoribus suis in virtutis praemium obtulisse laureas ex vetere more, facile crediderim; at postea quam hi bella ultramarina gerere coeperunt, dubitari nequit, civitates Graecas victoribus ejus generis dedicasse coronas, cujus fuere illae, quas perpetuo more Alexandro M., ejusque successoribus dedicare consueverunt, aureas scilicet. Sed haec populorum externorum studia paullatim ducum R. cupiditatem accenderunt, sic ut etiam ante decretum triumphum coronas aureas a civitatibus expeterent; quam quidem avaritiam lege lata coercendam censuit I. Caesar teste ipso Cicerone his verbis L. Pisonem perstringente: ^{c)} *Mitto aurum coronarium, quoad te diutissime torsit, cum modo velles, modo nollis; lex enim generi tui et decerni, et te accipere vetabat, nisi decreto triumpho.* At parum valuit siue lex, siue

ratio ad pravam ejus aevi magistratum cupiditatem. Narrat enim Dio ad annum V. C. 720, ^{d)} etiam eos, qui vel minimam aliquam praefecturam obtinere, triumphum sibi vel ab Antonio, vel Octaviano quaesivisse, atque ejus nomine magnam auri coronarii vim (*χρυσιον πολυ ἐς τας στεφανους*) a civitatibus exegisse.

Everla republica, cum jam bella unis imperatorum auspiciis gererentur, ad imperatores etiam tantum coronae aureae pertinere, quas illis provinciae post relatum illustriorem victoriam, ex qua imperatoris titulum multiplicare, dono miserunt. Paullatim aliae quoque causae accessere, ut aditus ad imperium, vel pontificatum maximum, adoptatio, ac similia principi laeta. Fuit vero donum istud sub imperatoribus ejus naturae, ut imperari etiam posset, et a vero tributo non nisi mitiore vocabulo differret, cogerenturque provinciae in principem esse liberales, ac beneficae, et pendebat ex unius principis voluntate ejus doni vel multiplicare, vel minuere causas, tum et quantum, et quibus provinciis remissum vellet. Ejus moderationis manifesta quaedam habemus exempla legibus praescripta. Exstat constitutio Gratiani: ^{e)} *Ad collationem auri coronarii placuit neminem absque consuetudine esse cogendum.* Alibi Iulianus: ^{f)} *Aurum coronarium munus est voluntatis, quod non solum senatoribus, sed ne aliis quidem debet indici, licet quaedam indictionum necessitas postulaverit, sed nostro arbitrio reservari oportebit.* Sed et veterum monumenta nonnullorum principum in eo acceptando

a) in *Triumphales coronae*.
e) Cod. L. X. tit. 74.

b) L. V. c. 6.
f) Cod. L. XII. tit. 13.

c) in Pison. c. 37.

d) L. XLIX. §. 49.

aut modum, aut in exigendo saevitiam notavere. Narrat Dio, ^{a)} Octavianum in suo consulatu V. ab urbibus Italiae aurum coronarium non accepisse. Latius istud ejus anni beneficium praedicat Augustus ipse in marmore Ancyrano: ^{b)} AVRI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. ET. QVINQVE. MILLIA. MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBVS. AD. TRIUMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI. ET. POSTEA. QVOTIENSCVNQVE. IMPERATOR. APPELLATVS. AVRVM. CORONARIVM. NON. ACCEPI, quo luculento testimonio discimus tam magnitudinem muneris, et eo populis remisso Augusti beneficii, quam ejus oblata causam, et titulos. Augusti moderationem imitati sunt sequentium principum alii. Hadrianum, et Antoninum, mox infra collaudabimus. Alexander Severus teste Lampridio aurum coronarium Romae remisit, atque idem de Iuliano praedicat Ammianus. ^{c)} Contra lubet audire Caracallae duritiam, de quo haec Dio: ^{d)} χωρίς γὰρ τῶν στεφανῶν τῶν χρυσεῶν, ἕως ὥς καὶ πολεμικῆς τινας αἰετικῆς πολλῆς ἦται, λέγω δὲ ἕνεκα αὐτοῦ τοῦ τοῦ στεφανῶν ποιήματα, πόσον γὰρ τούτο γέ ἐστιν; ἀλλὰ τοῦ χρηματικῶν πληθῆος τῶν ἐπὶ ὀνομασίαις αὐτῆς διδομένων, οἷς στεφανῶν αἱ πόλεις τῆς αὐτοκρατορίας ἐβωδασίν. Coronas aureas continuo, velut perpetuus hostium victor exigebat; intelligo autem non ipsas ex auro factas coronas, quantum enim id quidem? sed pecuniae vim coronarum nomine datam, qua impe-

ratores a civitatibus coronari (sc. donari) solent. Istud vero coronae tributum jam olim apud Graecos remitti fuisse solitum, docet eximius locus in Macchabaeor. L. I. c. 13. v. 37, ubi recitatur epistola a Demetrio Syriae rege ad Simeonem summum sacerdotem scripta, cujus verba huc pertinentia sunt: *coronam auream - - quam misistis, suscepimus, et paulo post: remittimus quoque ignorantias, et peccata usque in hodiernum diem, et CORONAM, QVAM DEBEBATIS, et si quid aliud erat tributarium in Ierusalem, jam non sit tributarium.*

Istud pecuniae honesto nomine inferendae artificium in inclinantis usque imperii aetatem durasse, ex citatis testimoniis perspeximus. Narrat praeterea Themistius, ^{e)} Constantio II. Romae degenti a variis urbibus, atque ipsa etiam Constantino poli missas fuisse coronas auri obryzi, et multorum talentorum. Gratiani de hoc auro constitutionem supra dedimus. Seriora exemplum investigent alii.

Videndum jam, qua ratione ea, quae de hoc provinciarum seu munere, seu tributo commemoravi, applicari ad numeros praesentes possint. Narrat de Antonino nostro Capitolinus: *aurum coronarium, quod adoptionis suae causa oblatum fuerat, Italicis totum, mediam provincialibus reddidit*, secutus nempe exemplum patris Hadriani, qui teste Spartiano *aurum coronarium Italiae remisit, in provinciis minuit, et quidem difficultatibus aerarii ambitiose ac diligenter expositis.* Hoc Capitolini oraculo certi reddimur,

a) L. LI. §. 21.
e) Orat. IV. p. 54.

b) Tab. IV. v. 26.

e) L. XXV. c. 4.

d) L. LXXVII. §. 9.

adfuisse ex provinciis oratores, qui munus imperatori deferrent, et cum illud oblatum sit causa adoptionis anno proxime superiore peractae, et necesse fuerit, iustum intercedere tempus, dum ea adoptio innotesceret provinciis, cogéretur aurum, oratores ex remotissimis regionibus Romae adessent, dedicatio ejus auri coronarii saltem a remotioribus provinciis nisi sub exeuntem annum superiorem, aut ineuntem praesentem non potuit peragi, multo minus hi, de quibus agimus, numi feriri. Egrege igitur conspirat aetas numorum cum tempore dedicati muneris. At aequae cum sententia mea conspirat et typus. Exhibet hic stantem provinciae genium, qui manu extenta illud, quod gestat, porrigit, qui sane gestus est aliquid offerentis; quod verò manu gestat, in aliis capsula, vel arcula, prout nimirum provinciarum munus vel re ipsa corona aurea fuit, vel aurum capsulae inclusum, et coronae aureae nomine datum, quae peristasis, tum et recitata hactenus testimonia iniquam Turnebi criminationem arguunt, cum ait: ^{a)} *Nugantur hic nonnulli, a provincialibus datas bene meritis rectoribus initio coronas, postea aurum pro coronis, homines antiquitatis ignari.* Observandus praeterea typus expressus in numo *Africae*, qui sistit mulierem propere gradientem, nimirum sedulam in offerenda coronae, quam manu praefert. Est haec corona majoris voluminis, quam videatur postulare proportionis lex, nempe in ostentationem, quales fuere illae, quarum meminerunt Iu-

venalis, ^{b)} et Festus, ^{c)} et lepide Terullianus: ^{d)} *sunt et provinciales aureae coronae imaginum jam, non virorum, capita majora quaerentes.* Quae modo dixi, praeclare confirmantur numis obviis Antiochiae Syriae, in quorum antica legitur: ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ, in averfa intra coronam ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ, cujus inscriptionis unitae sensus est: *Caesari Augusto pontifici max. Antiochenfes ob susceptum pontificatum max. coronam dedicant.*

Videri possit obstare huic sententiae, quod juxta provincias imperii R. memorantur etiam PARTHIA et SCYTHIA, quibus, utpote exteris, imperari donum illud non potuit. At enim quod provinciae ex consuetudine, quae in legem vertit, pendere solebant, illud injussu praestitere nationes exterae, sive quod socii essent, atque amici, sive ut per spem, aut metum benevolentiam caperent. Si verum est, quod refert Photius ex Memnone auctore historiae Heracleae Ponti, Romani Alexandro M. bellum in Persas paranti magni pretii coronam auream observantiae causa dono miserunt. Perhibente Dionē ^{e)} multas I. Caesar coronas a regibus, principibusque post relatas tot suas victorias accepit, et quod huc maxime pertinet, narrat Iosephus, ^{f)} Parthiae Regem Volagafem Tito ob relatum de Iudaeis victoriam misisse coronam auream, neque abolitum hunc fuisse aevo inferiore morem, testatur Eusebius narrans, ^{g)} Constantino a remotissimis gentibus oblatas co-

a) ad Cicer. orat. de lege agr. c. 4.
d) de Corona milit.

e) L. XLII. §. 49.

b) Sat. X. 39.

f) Bell.

g) in Vita Const. M. L. VII. c. 7

c) in *Donaticae coronae.*

ronas aureas, quibus significabant, ut continuo addit, obsequium ac societatem armorum offerre se imperatori, si vellet. Iulianum moto in Persas bello Euphratem transgressum *Saracenarum reguli gentium genibus supplices nixi oblata ex auro, corona tanquam mundi, nationumque suarum dominum adorarunt.* ^{a)} Eodem ergo consilio impulli Parthi, Scythaeque, ut Antoninum recens adoptatum statim in dignitatis aditu sibi conciliarent, fuerunt munera, quae hominesque, deosque placant, destinato successori misere; neque istud Parthi nulla spe, nam constat ex Spartiano, ^{b)} promississe Hadrianum Parthis, se iis restitutum sellam regiam, quam Trajanus ceperat, non autem eum liberasse fidem, discimus ex Capitolino docente, ^{c)} Antoninum eandem sellam Parthorum regi repenti pernegavisse. De Scythis nihil certi constat, nisi forte studere devincere sibi Antoninum, ne juvaret finitimos, cum quibus bella gessere. Refert sane Capitolinus, ^{d)} Tauroscythas Olbiopolitis Ponti armis fuisse infestos, at missis ab Antonino civitati auxiliis vi rejectos, et ad dandos obsides aductos.

Numi hujus anni reliqui.

Vt lit. B.

AVG. PIVS. P. M. TR. P. COS. II. *addito in serius signatis P. P. Typis variis, et obviis.* AR.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. P. M. TR. P. COS. II. S. C. *Typus congiarii.* AE. I. (Mus. Caes.)

Est hoc Antonini congiarium primum memoratum quoque Capitolino, dum inter prima ejus post aditum imperium facta refert: *Congiarium militibus, ac populo de proprio dedit, et ea, quae pater promiserat.*

Vt lit. E.

S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. PIO. *intra lauream.* AE. ^{m.} m. (Mus. M. Ducis.) AE. I. (Bellori epist. de anni novi ausp.)

Epigraphen legendam: *Annus Novum Faustum Felicem, et duplicem a principibus annus novum celebrari solitum, satis ad similem Hadriani numum explicuimus.* ^{e)} Opportune tamen hoc loco addendum videtur, esse verisimilius, hac inscriptione auspiciū anni novi communis esse intelligendum, quod me suspicari facit laurea, cui epigrapha inserta est. Mos enim erat apud Romanos, ut laureae, quae toto anno in sacris adhibebantur, ipsis Kalendis anni novi tollerentur, et mutarentur recentibus, de quo late Ovidius. ^{f)} Atque ad hunc morem adlusit Sidonius Apollinaris, cum dixit: ^{g)} *Tuque o, cui laurea, laeve, annua debetur.* Quo factum, ut non dubitaret Ausonius novas laureas ut consulatus numerare: ^{h)}

Ter dominante Tito cingit nova laurea Iauum.

Similia anninovi vota non raro etiam

^{a)} Ammian. L. XXIII. c. 3. ^{b)} in Hadr. c. 13. ^{c)} in Antonino c. 9. ^{d)} l. c. ^{e)} Vol. VI. p. 508. ^{f)} Faß. III. 135.

^{g)} Carm. 11.

^{h)} Carm. 258. c. 11.

in vilissimis veteribus figlinis expressa leguntur, de quo consule com. Caylus. *)

Vt lit. A.

TR. P. COS. II. addito in aeneis S. C. typis variis, et obviis. AV. AR. AE. I. II.

In moneta Antonini numerus trib. potestatis vix additur usque ad tribunatum ejus XJ. Quare insolentior est epigraphe anticae numi musei Pisani, quam supra sub litera F. propositui, in qua memoratur TR. P. II.

V. C. 893. P. X. 140.

TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.
IMP. II.

Antonino Pio Aug. III. M. Aurelio Caes. cos.

Nihil ad hunc annum conferunt numales.

Numi:

Cum Antoninus per solidum quinquennium fuerit consul III., neque in numis per hoc tempus signatis numeri trib. potestatis addantur, hi nullo pacto suis annis, nisi per debiles conjecturas, quas Temper fastidivi, tribui possunt. Quare praestat, numos omnes consularu III. notatos, nisi qui DES. III. addunt, uno eodemque loco describere, quo saltem docebimur, eos ante annum praesentem feriri non potuisse:

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput laureatum, vel nudum, in numis omnium metalli, et formae.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. II. III.

C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
COS. III. *Caput laureatum, in AR. (Mus. Caes.)*

D. ANTONINVS. AVG. PIVS. COS. III. P. P. *Caput laureatum, in AE. I. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A. Caput nudum.

S. P. Q. R. AMPLIATORI. CIVIVM.
intra coronam. AE. I.

Numum hunc Spanhemius certae antiquitatis vocat, effossum saeculo praeterito, cum ad muniendam Bonnam terra egeretur, et a se conspectum, atque eodem loco copiosa eruditione, sed ex qua, velut e labyrintho, exitum vix reperias, de concessio omnibus Romani imperii incolis ab Antonino Pio civitatis jure disputat, atque ob eam illum causam *Ampliatorem civium* docente hoc numo dici promeritum. ^{b)} At verisimilius alii beneficium istud in totum orbem collatum Caracallae, qui et ipse Antoninus dictus est, tribuunt moti manifesto Dionis loco L. LXXVII. §. 9, de qua lite vide in compendio Valesii, et Fabricii notam ad haec Dionis verba. Ceterum ampliator civium Antoninus ob varias causas dici potuit, quas inter facile esse potuit vel haec, quod Trajani exemplo soboli Italiae providit, de quo beneficio vide, quae differemus ad numum uxoris Faustinae cum epigraphe: PVELLAE. FAVSTINIANAE.

Vt lit. A.

a) Rec. d'Ant. T. IV. p. 286.

b) Orb. Rom. p. 114.

ANCILIA. IMPERATOR. II. S. C. *Duo ancilia.* AE. II. (Mus. Caes.)

De ancili regnante Numa de coelo lapso in salutem urbis, et ne pignus tam pretiosum auferri furto possit, undecim similibus aliis ab artifice Mamurio fabricatis, tum de saliorum ritu ea statis diebus per urbem gestantium abunde actum ab eruditis, qui ritus Romanorum memoriae prodidere. Hic vero numus ancilis formam egregie ob oculos ponit, estque clypeus oblongus, et velut in tres clypeos minores divisus, quorum medius fulmen insculptum, et volumen contractius habet, ut adeo utraque extremitas magis exspatiatur medio arctiore. Atque inspecto hoc numo facile intelliguntur aut verba Dionysii Halicarnassensis, illud simile esse *scuto virgato angustiores habenti laterum cavitates adferenti,* ^{a)} aut Festi prodentis, ^{b)} fuisse *ex utroque latere recisum, ut summum infimumque ejus latus medio pateret,* aut Plutarcki, qui illud *incisionem habere lineae cochleatim sinuatae, neque absolvere circulum ut peltam* adfirmat. ^{c)} Non ab simili modo exhibentur ancilia in denariis gentis Liciniae Stolonum, et in gemma Leonardi Augustini, quae sistit salios duos velatos ritu Gabino, et sex ancilia ex conto suspenso gestantes. ^{d)} Eorum expressam formam vide etiam in Museo Florentino. ^{e)}

Conjicere liceat, quoniam Antonini historia nihil suppeditat, quod cum ancilibus connectatur, hunc typum a monetariis lectum in gratiam Aurelii Caesaris ab illo adoptati. De hoc Capitolinus :

^{f)} eum Hadrianus octavo aetatis anno in saliorum collegium retulit. In saliatu omen accepit imperii. Coronas omnibus in pulvinar ex more jacentibus aliae aliis locis haeserunt, hujus velut manu capiti Martis aptata est. Fuit in eo sacerdotio et praesul, et vates, et magister, et multos inauguravit, et exauguravit nemine praeeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset. Fuit autem saliorum munus et movere, et condere ancilia. Fieri poterat, ut, quae causa hujus typi esse potuit, peculiaris quaedam caerimonia ad ancilia pertinens circa istud tempus perageretur, cujus adeo honos ad utrumque Antoninum spectabat, ad Marcum saliatu praesulens, et Pium Augustum utpote pontificem maximum; nam arma Martis, sive ancilia ex instituto majorum semper apud summum pontificem servabantur, ipse vero teste Capitolino nullum sacrificium per vicarium fecit; nisi cum aeger fuit. Sed et lecti hujus typi causa esse potuit notus Antonini in res urbis veteres adfectus, de quo agemus infra post seriem chronologicam numorum Antonini.

Vt lit. A.

APOLLINI. AVGVSTO. *Apollo togatus stans d. pateram, s. tyram.* AV. (Thes. Brand.) AR. et addito S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Apollo in his numis comparens, ut cultus docet, Actius est magna inde ab Augusto ab imperatoribus ob victum ad vicinum ejus templum M. Antonium religione observatus, ac propterea jure *Augusto* nomine decoratus.

a) L. II. p. m. 129. tab. 152.

b) in Mamurcius. e) Tom. II. tab. 23.

c) in Numa.

f) in M. Aurelio.

d) Gemm. ant. P. I.

Vt lit. A.

BRITANNIA. S. C. *addito in aliis*: IMPERATOR. II. *Mulier rupi (in aliis globo) insidens d. signum militare, s. hastam.*

Antica incerta.

BRITANN. *Victoria stans super globo d. coronam.* AV. (Vaillant.)

Antica incerta.

IMPERATOR. II. *Victoria sedens d. clypeum tenet, cui inscriptum*: BRITAN. AE. II. (Patin.)

Auctore Capitolino Antoninus Britannos per Lollium Urbicum legatum vincit a lio muro cespitio solumotus barbaris ducto. Pausanias quoque ejus belli meminit, eamque Britannorum gentem *Brigantes* vocat, causamque adfert, quod hi Germaniam Romanis subjectam lacepsiverant. ^{a)} Docent hi sumi, quod neglexit historia, bellum istud intra consulatus III. quinquennium gestum, aut saltem confectum, dictumque ex eo imperatorem II. primo ac postremo ejus tituli augmento. Quanquam si non fallit marmor Gruterianum, in quo Antoninus dicitur TR. P. II. IMP. II. COS. II. DES. III. ^{b)} is jam anno superiore exeunte hoc titulo repetito ornatus fuit.

Vt lit. A.

CONCORDIAE. S. C. *Antoninus sinistra sigillum Concordiae, et Faustina senior s. sceptrum tenentes, et stantes super basi dexteram jungunt, infra duae minores figurae dexteram item jungentes, intermedia ara.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eleganter hic numus utriusque Au-

gusti paris concordiam praedicat, nimirum ipsius Antonini, et Faustinae senioris, tum, qui minoribus signis indicantur, M. Aurelii recens cum Faustina juniore illorum filia matrimonio juncti.

Vt lit. A.

IMPERATOR. II. *typis variis.* AV. AR. AE. I. II.

Obvia est Antonini moneta sic utrinque inscripta.

Vt lit. A.

IVNONI. SISPIAE. S. C. *Iuno Sispita gradiens d. hastam intorquet, s. clypeum, pro pedibus serpens.* AE. I. (Mus. Caes.)

De Iunonis Sispitae apud Lanuvium cultu, ejusque attributis hic agere supersedeo, quoniam de ea affatim actum in numis gentis Rosciae, aliarumque, quos adi. Ejus observantia Antonino nativa fuit, quoniam Capitolino teste in villa Lanuvina natus fuit, inhaesitque deinceps, quoque ea religio; nam *templa Lanuviana* ab eo sive condita, sive instaurata idem refert. Quare haec ejus in Sispitam pietas in moneta quoque jactatur. Eadem averfa recurrit in numis Commodi ad annum V. C. 930.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. II. *in aliis III. Typus congiarii.* AV. (Mus. Caes.)

Liberalitatem primam ab Antonino in consulatu II. exercitam ex numis vidimus. Offert consulatus III. binas consequentes, Pluribus historiae suae locis Capitolinus collata ab eo congiaria, et

^{a)} in Arcadic. p. 689.

^{b)} Pag. 233. 73.

donativa commemorat, et vini, olei, et tritici penuriam per aerarii sui damna emendo, et gratis populo dando sedavisse. Sed haec generatim, nulla facta temporis mentione, refert. Harum tamen liberalitatum, quas adducti numi colaudant, haud dubie una videtur fuisse, de qua Capitolinus: *nuptias filiae suae Faustinae usque ad donativum militum celeberrimas fecit.*

Vt lit. A.

OPI. AVG. *Mulier sedens d. hastam, s. capiti admota.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)
Opis in hoc numo laudatae naturam explicabimus in moneta Pertinacis.

Vt lit. A.

REX. ARMENIIS. DATVS. S. C. *Imperator togatus flans Armenio regi tiaram imponit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Quam acriter saepe Romanos inter, Parthosque dimicatum sit, ab utris Armenii inter utrorumque ditionem medii reges acciperent, satis hactenus per imperatorum historiam vidimus. Ex Antonini rebus gestis huc pertinens nihil teporio, nisi quod tradidit Capitolinus: *Parthorum regem ab Armeniorum expugnatione solis literis repulit, atque et si reliqua omnia ignoremus, faciunt tamen numi, ut minus ignoremus.* Fuisse hunc Armeniae regem ab Antonino constitutum nomine Achaemenidem, parum concinne ex Iamblichio apud Photium Codice 94. eruit Vaillantius. ^{a)}

Vt lit. A.

REX. QVADIS. DATVS. S. C. *Impera-*

tor togatus flans dexteram cum Quadorum rege jungit. AE. I. (Mus. Caes.)

Fuere Quadi populus trans Danubium, qua is Aultriam inferiorem secat, in Moraviam, et magis in Orientem usque ad Cufum flumen, hodie Vagum, porrectus, cui datum ab Antonino regem dissimulantibus illustre istud factum historicis omnibus numi pronunciant. Ejus gentis historia magis sub Marci imperio cognita, ac forte datus hic ab imperatore rex idem est cum illo, de quo loquitur Capitolinus in vita Marci: *Quadi autem amisso rege suo non prius confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam si nostris placuisset imperatoribus.*

Vt lit. A.

ROMVLO. AVGVSTO. S. C. *Romulus habitu militari gradiens d. hastam, sive tropaeum super humero.* AE. I. (Mus. Farnes. Theypoli.)

En Romulum eo cultu, quo, caeso in pugna Acrone Cenninensium rege, deducta huic spolia Iovi Feretrio oblatum ibat. Lectus videtur hic typus propter singularem Antonini adfectum, quo veterem urbis historiam, et prodigia complexus est, ut magis infra ex singulari articulo patebit. Placuit adeo monetariis, imperatorem hunc, qui resuscitare amorem in patriam tot prodigiis ad eum apicem evectam, quibus poterat modis, conatus est, velut Romulum alterum, nempe AVGVSTVM, proponere, et si propter pacis, ac pietatis consilia magis Numa a veteribus assimilatus sit. Hic typus est etiam in numis aureis, et

a) Arfacid. imper. p. 325.

aeneis II. formae inscriptis TR. POT.
COS. III.

Vt lit. B.

TR. POT. COS. III. *variis typis* in omni metallo, et forma. Ex his memorandi: TR. POT. COS. III. *Imperator in quadrigis lentis una cum duabus parvis figuris.* *AV. (Vaillant Num. praest. T. II p. 159. in iconismo.) In alio: *Ianus geminus stans d. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus prior eximius, qui Antoninum una cum adoptatis M. Aurelio, et L. Vero in eodem curru conjungit. Vtrum hoc typo triumphus de Britannis indicetur, quod censet Vaillantius, tum tantum verum erit, cum certi erimus, Antoninum reipia de ijs victis triumphasse. At enim eum Victor disertis verbis *triumphorum expertem* dixit. Potest hoc typo aequae professus consularis, aut alia quaequam insignior caerimonia indicari. In simili causa receptos in currum fuisse pueros, ac virgines sanguine junctas, refert Appianus in descriptione triumpho Scipionis Africani senioris, ^{a)} et Capitolinus loquens de triumpho M. Aurelii et Veri ^{b)} *in triumpho autem, ait, liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt, ita tamen, ut et puellas virgines veherent.*

Ianus numi alterius rarus in Augustorum moneta typus, sed arcessitus haud dubie ab Antonino, causa adfectus in antiquitates urbis, de quibus agetur infra. Eum offerunt etiam numi Hadriani, Pertinacis, et cultu nonnihilo vario numus Gallieni, quem vide.

Alios numos ad hunc Consulatam III. pertinentes vide infra in numis Antonini vetera historiae Romanae argumenta tractantibus.

V. C. 894. P. X. 141.

TR. P. IV. COS. III. P. M. F. P.
IMP. II.

M. Peducaeo Syloga Priscino, T. Hoenio Severo cof.

Tertio imperii anno moritur Faustina uxor. (Capitolin.)

Numi petendi ex anno praecedente.

V. C. 895. P. X. 142.

TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.
IMP. II.

L. Cuspicio Rufino, L. Statilio Quadrato cof.

Incerta hujus anni facta.

*Numos vide ad annum V. C. 893.

V. C. 896. P. X. 143.

TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.
IMP. II.

C. Bellicio Torquato, Ti. Cl. Attico Herode cof.

Incertae etiam hujus anni res gestae.

V. C. 897. P. X. 144.

TR. P. VII. COS. III. DES. IV. P. M.
P. P. IMP. II.

P. Lolliano Avito, C. Gavio Maximo cof.

Antoninus in annum sequentem designatur consul cum M. Aurelio II.

a) de reb. Punic. c. 66.

b) in Aurel. c. 12.

- ANTONINVS. AVG. PIVS. P.
P. *Capit laureatum, vel nudum.* Vt lit. C.
COS. III. DES. III. *variis typis.* AV. AR. LIB. III. *Typus congiarii.* AV. (Mus. Caef.)
ANTONINVS. AVG. PIVS. P. Vt lit. A.
P. TR. P. COS. III. *Capit laureatum, vel nudum.* LIB. III. TR. POT. COS. III. *Mulier stans d. tesseram, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caef.)
DES. III. S. C. *Hygia stans, vel sedens.* Vt lit. A.
AE. I. (Mus. Caef.) LIB. III. TR. POT. COS. III. *Mulier stans d. labarum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caef.)
V. C. 898. P. X. 145. Vt lit. B.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P. LIB. III. TR. POT. COS. III. *Mulier stans d. labarum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caef.)
IMP. II. Antonino Pio Aug. IV. M. Aurelio Caef. Vt lit. B.
II. Cof. LIBERALITAS. AVG. III. COS. III. S. C. *Typus congiarii.* AE. I. (Mus. Caef.)
Antoninus L. Vero togam virilem dat. Vt lit. B.
Templum patris dedicat. Populo congiarium praebet. Vide mox infra ad numos inscriptos LIBERALITAS. III. LIBERALITAS. III. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II. (Mus. Caef.)
A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Teste Capitolino, *) qua die togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ea occasione, qua patris templum dedicavit, populo liberalis fuit. Dabatur toga virilis circa annum aetatis XV., cumque Verus, ut suo loco dicitur, natus probabiliter sit V. C. 883, togam virilem hoc anno acceperit, atque hujus causa, tum etiam propter dedicationem templi patris videtur hoc anno suscepisse consulatum, et distribuisse congiarium.*
B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Laudatus numus argenteus, in quo Liberalitas pro solita tessera labarum luculentum tenet, docet, liberalitatem principis in milites quoque porrectam, ut et testatur Capitolinus, sed dissimulato tempore: Congiarium populo dedit, donativum militibus addidit.*
C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. Vt lit. A.
TR. P. COS. III. *Capit laureatum, in AV. AR. AE. m. m. II.* COS. III. vel: TR. POT. COS. III. *variis typis.* Obvia hujus anni moneta in AV. et AR. Vt lit. B.
COS. III. S. C. vel: Vt lit. C.
S. C. *variis typis.* Obvia hujus anni moneta in AE. I. II. Vt lit. C.

a) in L. Vero.
(Vol. VII.)

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes.)

Fuisse Antonino, perinde ac Trajano, decretum a senatu *Optimi Principis* elogium, historia non prodit. Ceterum illi in hunc titulum inde a Trajano per adoptionem jus fuit.

Vt lit. C.

Sine Epigraphe. Chorus nympharum, quarum una infantem fasciis involutum sublimem gestat, aliae instrumentis musicis adplaudunt, aliae quiete confident; eis immixti duo Satyri. AE. max. mod. (Sequin pag. 127.)

Elegans numisma spectato signorum ordine, ac dispositione, sed in cuius explanatione bis offendit vir egregius Seguinus. Nam primam hoc typo puerperium Rheae, et infantem Iovem proponi censet. Verum circumstans Nympharum, et Satyrorum agmen manifestum Bacchum arguit. Deinde quod hac imagine *induci partum Faustinae sub specie matris Ideae* opinatur, quae tamen pridem ante Antonini consulatum IV. diem obiit.

V. C. 899. P. X. 146.

TR. P. IX. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Sex. Erucio Claro II. Cn. Claudio Severo cos.

Annum urbis nongentesimum magnifice celebrat. a) M. Aurelio tribuniciam potestatem impertit. (Vide hujus numos.)

Numi petendi ex anno V. C. 898.

V. C. 901. P. X. 148.

TR. P. XI. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

L. Torquato III. C. Iuliano Vetere cos. Antoninus primos decennales solvit. (ex numis.)

Ab hoc anno numeri tribuniciae potestatis hactenus neglecti in Antonini moneta notari incipiunt.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. COS. III. *Caput laureatum, in AE. m. m. et AE. I.*

C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum, in AE. I.*

Vt lit. A.

COS. III. *typis variis, in omni metallo, et forma.*

Vt lit. A.

LIB. V. COS. III. *Liberaltas stans.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVG. V. S. C. *Liberaltas stans, AE. I.* (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PRIMI. DECENNALES. *intra quernam, addito in aliis COS. III. AV. AR. et S. C. in AE. II.* (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOT. COS. III. S. C. *Imperator ad tripodem sacrificans.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

a) Victor de Caesariis.

VOTA. SVSCEPTA. X. COS. III. *Ty-
pus idem.* AR.* (Mediob.)

Decennales, et *Vota* sive suscepta, si-
ve soluta, nimirum pro principis inco-
lunitate, nunc primum comparent, per-
petuum deinceps, ac praecipue saeculo
Constantiniano, numerorum argumentum.
Exivere primi decennales Antonini die
X. Iulii anni praesentis, et coepere de-
cennales alteri, in quibus soluta vota pro
elapso feliciter decennio primo, et susce-
pta nova pro decennio instante. Sed hanc
votorum rationem latius enucleabimus
in Volumine VIII. tractatu singulari.

V. C. 902. P. X. 149.

TR. P. XII. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II,

Serg. Scipione Orfito, Q. Nonio Prisco-cos.
Steriles ad annum praesentem annales.

- A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XII. *Caput vel nudum, vel
laureatum, in AV. AR. AE. m.
m. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
- B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XII. COS. III. *Caput lau-
reatum in AE. m. m.*

Vt lit. A.

COS. III. *typis variis.* Moneta hujus
anni obvia in omni metallo, et forma.

Antica incerta.

LIB. VI. COS. III. *Liberalitas flans.*
Quin. (Vaillant.)

Antica incerta.

LIBERALITAS. COS. III. S. C. *Mulier*

*flans d. tesseram, s. vexillum, cui inscri-
ptum VI. AE. I. (Mus. Christinae.)*

Neglecta malo consilio ab utroque an-
tiquario partis adversae mentio facit,
ut verum praesitae hujus ab Antonino
liberalitatis annum minore fiducia possi-
mus definire. Igitur sexto huic congia-
rio intra annum praecedentem, quo li-
beralitem V. exercitam vidimus,* et
annum V. C. 907, quo septimum fuisse
liberalem videbimus, adsignanda statio.
Alter numus milites quoque in bonorum
communione fuisse vocatos, egregie
evincit.

Vt lit. B.

MVNIFICENTIA. *Leo gradiens.* AE.
max. mod. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

MVNIFICENTIA. AVG. COS. III. S. C.
Elephas loricator. AE. II. (Mus. Caes.)

Praeclare hi typi explicant, quod de
Antonino narrat Capitolinus: ^{a)} *Edita
munera, in quibus ELEPHANTOS, et
crocutas, et strepsicerotas, et crocodilos
etiam, atque hippopotamos, et omnia ex
toto orbe terrarum cum tigridibus exhibu-
it. Centum etiam LEONES una missione
edidit.* Sub hoc primum Augusto incipit
epigraphe MVNIFICENTIA in sequen-
tium imperatorum numis obvia, addi-
to typo animalis feri, aut peregrini ad
venatus in spectaculis destinati. Nam
Munus veteribus etiam dictum specu-
lum feraarum, aut gladiatorum, prout
dixit Cicero; ^{b)} *magnificentissima vero
nostri. Pompeii munera secunda consulatu.*
Atque hinc factum, ut vocabulum mu-

^{a)} Cap. 10.

^{b)} de Offic. L. II. 57.

nificentia ad sumptum in ludos factum adhiberetur, quo et usus M. Bibulus, questus, edendis in aedilatu conlega I. Caesare ludis *evenisse sibi, quod Polluci. Vt enim geminis fratribus aedes in foro constituta tantum Castoris vocaretur, ita suam, Caesarisque MVNIFICENTIAM unius Caesaris dici.* *)

Observandus praeterea in numo altero elephas, atque is loricatedus. Armatura lorica prius vidimus in numis Titi ad A. V. C. 833, quo loco diximus, eum indicare ludos a Tito hoc anno celebratos, quod tanto magis verum, quia de eodem hoc principe dixit Suetonius; b) *et tamen nemine ante se MVNIFICENTIA minor. Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis munus edidit adparatissimum, largissimumque. Idem typus elephanti loricati, et scripto pariter juxta MVNIFICENTIA. AVG. recurret in numis Commodi ad annum V. C. 936, et Severi ad V. C. 950, lectus adeo ad indicanda ludorum solennia, de quo vide praeterea, quae dicemus in numis vagis Gordiani ad numum cum epigraphe: MVNIFICENTIA. GORDIANI. AVG. Munitur lorica elephas, ut saepe alias equi quoque, ut jaculis esset impervius, et tum Graecis dicebatur *τεθωρακισμενος*, de quo vide, quae erudite disputat Spanhemius. c)*

Vt lit. A.

TEMPORVM. FELICITAS. COS. III. *Duo cornuacopiae, quorum singulis impositum caput infantis. (Mus. Farnes.) addito S. C. AE. I. (Mus. Caes.)*

Nemo non videt, typum averfae ca-

ptum ex numis Drusi junioris, in quorum postica capita gemellorum eodem modo proponuntur. Dubium non videtur, his exhiberi binas proles M. Aurelio forte hoc anno natas, atque has quoque gemellas, sed quae hae fuerint, (nam plures per intervalla natae sunt) definiti nequit. Oculatiores Vaillantius, qui in utroque capite, difficili in infantibus criterio, sexum distinxit, unumque *virile*, alterum *muliebre* potuit decidere.

V. C. 903. P. X. 150.

TR. P. XIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Gallicano, Vetere cof.

Nihil ad hunc annum conferunt aut numi, aut historia.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P.

P. TR. P. XIII. *Caput laureatum.*

COS. III. etc. *variis typis in omni metallo et forma.*

IMP. CAES. T. AEL. HADR.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.

Caput laureatum.

PIETAS. TR. POT. XIII. COS. III.

Mulier stans propter aram d. arietem tenet, s. pateram cum frugibus. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 904. P. X. 151.

TR. P. XIV. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Quintilio Condiano, Quintilio Maximo cof.

Incerta omnia hujus anni.

a) Sueton. in Julio c. 10.

b) in Tito cap. 7.

c) Tom. I. p. 132.

ANTONINVS PIVS.

21

- A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XIII. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I.*
- B. IMP. CAES. T. AEL. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. II.*

Vt lit. A.

COS. III. *variis et obviis typis.* AV. AR. AE. I.

Vt lit. A.

LAETITIA. COS. III. *Duae figurae togatae, quarum una d. duas spicas tenet, altera sinistra globum.* AV. ^{a)} In alio: *Mulier stans d. spicas, s. pomum, cuius gremium puellus amplectitur.* AV. ^{b)}

Ingeniosa est explicatio cl. Visconti, qui in numo priore Cererem videt, quae repertam apud inferos filiam Proserpinam reducit. ^{c)} Istud si verum, id, quod Proserpina manu sinistra stringit, non erit globus, ut visum Mediobarbo, sed malum Punicum, cuius esus deae fatalis fuit, ut refert Ovidius, ^{d)} essetque adeo imago haec celebrata Praxitelis *καταγυσα*, nimirum Ceres Proserpinam ab inferis reducens, ^{e)} illustri sane laetitiaie argumento, quando matri contingere laetius nihil potest, quam reperire filiam raptam, et retrahere. Altera sententia fuit Oisellii, existimantis, utriusque mulieris imagine proponi duas Faustinas Augustas, et seniore[m] quidem instar Cereris cum spicis, junior[m] instar Veneris cum pomo suo. ^{f)} Neu-

ter vir eruditus ad numum alterum, quem ex Mediobarbo dedi, reflexit animum. In hoc enim non mulieres binas, sed unica, laetitiaie partes sustinet, et quidem sola utrumque praefrens attributum, quod in numo priore inter utramque mulierem divisum est, spicas intelligo, et pomum, certo adeo ^{g)} indicio, idem in utroque numo argumentum contineri, neque aliud docere mulieres binas, aliud solitariam. Gravissime autem peccavit Oisellius, dum in Antonini consulatu IV., quem numus memorat, huc adegit Faustina[m] seniore[m], quae plures jam ante annos vivere desit, et quidem ad argumentum Laetitiaie, cuius memoria tristitiaie potius causa esse debuerat uxorio Antonino. Omisissis ergo speciosis his explicatibus acquiescamus in simplici illo, qui procutatam ex omni generis fructuum abundantia laetitiaie his typis indicari mavult, quo modo Plinius agens de Nili incrementis dixit quoque, *XIV. cubita hilaritatem adferre, XV. securitatem, XVI. delicias.* ^{h)} Alios laetitiaie typos dabimus infra in moneta Faustinae jun.

Haec Laetitia, quae nunc primum in numis occurrit, frequenter deinceps monetae inscribitur, et variis quidem additis nominibus, v. c. *Laetitia Aug. — Temporum, — Publica — Fundata* etc. neque dubitari potest, publice ei constituta fuisse sacra, qualia facta fuisse Iucunditati legimus in vetere marmore: ^{h)}

a) Trifan Comment. hist. T. I. pl. XII. Catal. d'Ennery p. 208. Mediob. b) Mediob.
c) Mus. Pio. Clem. Tom. I. p. 95. d) Metam. L. V. v. 533. seq. e) Plin. L. XXXIV.
p. 953. f) Thef. sel. num. p. 337. g) Hist. nat. L. V. §. 10. h) Mus. Veron. p. 177.

ANTONINVS. PIVS.

GENIO
IVCVNDITATIS
MVISIS
FLORAEQ.
S.

Vt lit. B.

PIETAS. TR. POT. XIII. COS. III. S.
C. *Templum octo columnarum, in quo duae
figurae sedentes cum hastis.* AE. I. (Mus.
Caes.)

Verisimile, binis his signis exhiberi
parentes Hadrianum, et Sabinam, tem-
plumque eorum honori impulsu *Pietatis*
erectum. Et refert Capitolinus inter
opera ejus publica *templum* quoque *Ha-*
driani honori patris dicatum.

Vt lit. A.

*Sive epigraphe. Imperator togatus stans
inscribit clypeo, quem Victoria columellae
insistens tenet; eam coronat mulier retro
stans, et infantem in sinu gestans altero pro
pedibus adstante, ante imperatorem duae
alterae parvae figurae manum attolentes.*
AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

Refertur hic typus ad pueros, et pu-
ellas alimentarias, de quibus vide nu-
mum divae Faustinae inscriptum: PVEL-
LAE. FAVSTINIANAE.

V. C. 905. P. X. 152.

TR. P. XV. COS. IIII. P. M. P. P.
IMP. II.

*Man. Acilio Glabrione, M. Valerio Ho-
mullo cof.*

De actis hujus anni nihil constat.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XV. *Caput laureatum, vel*

*nudum, in AV. AR. AE. I. etiam
radiatum in AE. I. E.*

B. IMP. CAES. T. AEL. HADR.
ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
*Caput laureatum, vel nudum, in
AV. AR. AE. I., etiam radiat-
um in AE. II.*

Vt lit. A.

COS. IIII. *typis variis* in omni metallo,
et forma.

Vt lit. B.

TR. POT. XV. COS. IIII, *typis variis*
in omni metallo, et forma.

V. C. 906. P. X. 153.

TR. P. XVI. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II.

C. *Bruttio Fraesente, A. Iunio Rustino cof.*

Incerta omnia hujus anni.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.

TR. P. XVI. *Caput laureatum.*

COS. IIII. *typis variis.* AV. AR.

Eadem adversa.

INDVLGENTIA. AVG. COS. IIII. S. C.
Mulier stans d. extenta, f. hastam. AE. I.
(Mus. Caes.)

Confirmantur hoc numo verba Capi-
tolini adferentis, fuisse Antoninum ad
indulgentias prouissimum.

V. C. 907. P. X. 154.

TR. P. XVII. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II.

L. *Act. Aur. Commodo, T. Sextio Late-
terano cof.*

Omnia rursus incerta:

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XVII. *Caput laureatum,
in aliis nudum, vel radiatum.*

COS. III. *variis et obviis typis*, in omni metallo, et forma.

Eadem aduersa.

LIBERALITAS. VII. COS. III. *Liberalitas flans.* In aliis: *Imperator flans d. tesseram, s. volumen.* In aliis: *Mulier flans ex cornucopiae fruges effundit.* AR. (Muf. Caef.) In aliis: *Typus congiarii addito* S. C. AE. I. (Muf. Caef.)

V. C. 908. P. X. 153.

TR. P. XVIII. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II.

C. Iulio Severo, M. Rufino Sabiniano cof.

Omnia incerta.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XVIII. *Caput laureatum,
vel radiatum, vel nudum.*

COS. III. *variis typis*, in omni metallo, et forma.

V. C. 909. P. X. 156.

TR. P. XIX. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II.

M. Cæonio Silvano, C. Serio Augurino cof.

Omnia rursus incerta.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XIX. *in aliis XVIII. Caput laureatum in AV. AR. AE. m. m. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.

IMP. II. *Caput ut in prioribus.*
AV. AR. AE. I. II.

Vt lit. A.

COS. III. *typis variis*, in omni metallo, et forma.

Vt lit. B.

TR. POT. XIX. COS. III. *variis typis*, in AV. AR. AE. I. II.

V. C. 910. P. X. 157.

TR. P. XX. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II.

Barbaro, Regulo cof.

Certi nihil adfert historia.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
IMP. II. *Caput laureatum, vel radiatum in AV. AR. AE. m. m. AE. I. II.*

TR. POT. XX. COS. III. *variis typis*, in omni metallo, et forma.

V. C. 911. P. X. 158.

TR. P. XXI. COS. IV. P. M. P. P.
IMP. II.

Tertullo, Claudio Sacerdote cof.

Eadem rerum gestarum ignoratio.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XXI. *Caput laureatum, vel nudum in AV. AR. AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
IMP. II. *Caput, ut supra, in AV. AR. AE. I. II.*

Vt lit. A.

COS. III. *typis variis*, in vario metallo, et forma.

Vt lit. A.

FORTVNA.OPSEQVENS.(sic)COS.III.
S. C. *Mulier stans d. pateram cum guberna-
culo, f. cornucopiae.* AE. II. (Mus. Caes.)

• Haec averfa in moneta anni praesentis primum adhiberi coepta, subinde frequentius comparet in trib. potestate XXIP., atque in auro etiam, et argento. Observandum in hoc vocabulum OPSEQVENS, quod in numis omnibus, quotquot viderim, sic exaratur, cum ex lege ordinaria scribendum fuisset OBSEQVENS. Latinos non modo pervetustos illos, sed et recentiores saepe elementum B in P. mutasse, obvia habemus exempla, v. c. cum scriberent *oppono*, *opprimo*, *optineo* pro *obpono*, *obprimo*, *obtimeo*. At frequentius istud factum sequente S; sic ex *labor* est *lapsus*, ex *scribo* ortum *scripsi*, *scriptum*. In antiquissimo sepulchro Scipionum legitur OPSIDES pro OBSIDES. In lapide aevi Augustei apud Fabretum: *) APSENTIS. SVPSTITVTA. In alio Tiberii aetate posito apud Sponium, b) aliosque passim, legas: PLEPS. VRBANA pro PLEBS, unde formatur *plebis*, *plebem*. Sed et Graeci eodem modo scripsere Αραψ pro Αραξ, etsi inde ducatur genitivus Αραξος. Atqui et Plutarchus juxta eandem hanc numi praesentis scripturam nomen Fortunae *Opsequentis* vertit Οψεξευτης. c)

Teste Victore binae fuerunt in urbe aedes *Fortunae obsequentis*, quarum aliam restauratam forte ab Antonino fuisse conjicit Vaillantius. Haec *Fortuna* jam Plau-

ti aetate Romae cognita fuit; nam *Leonida* servus interrogatus, *cujus dei nomine se compellari vellet, *Fortunae*, aiebat, et quidem *Obsequentis*. d)

Vt lit. B.

LIB.VIII. TR. POT. XXI. COS. III. *Liberalitas stans.* AR. et addito S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Certum hoc est anni praesentis congiarium; at exiguam fidem merentur bini aenei I. formae sic a Vaillantio descripti: CONG. AVG. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III. alter: CONG. AVG. III. TR. POT. XXI. IMP. III. COS. III. e) in quo utroque peccatur, quod imperatoris titulus unitate nimio augetur, et consulis unitate nimio minuitur. Quare conjici jure potest, peccatum quoque fuisse in numero congiarii, nimirum IIII., cum tamen ex certis aliis, et frequentibus liberalitas VIII. hoc anno praedicetur.

Vt lit. B.

TR. POT. XXI. COS. III. *typis variis* in omni metallo, ac forma. Nimirum sic inscripta fuit ordinaria anni hujus moneta.

V. C. 912. P. X. 159.

TR. P. XXII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Plautio Quintillo, Statio Prisco cos.

Nihil certi ad hunc annum.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XXII. *Caput laureatum*

a) Pag. 168.

b) Miscell. p. 266.

c) de Fort. Rom.

d) Asia, Act. III, sc. III. v.

e) Num. praef. T. I. p. 74. edit. Rom.

in AV. AR. AE. I. et in II. etiam
radialium.

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
Caput laureatum in AV. et AR.

Vt lit. * A. vel B.*

AED. (in aliis: AEDE.) DIVI. AVG.
REST. COS. IIII. Templum octo columna-
rum, intra quod duae figurae, duae item
in intercolumnio, et duae in ipsis gradibus.
AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. vel B.

TEMPL. DIV. (in aliis: TEMPLVM.
DIVI.) AVG. REST. COS. IIII. Idem
typus. AV. (Vaill.) AR. et addito S. C.
AE. I. II. (Mus. Caes.)

Augusti templum jam alias in numis
vidimus, ac primum in numis Tiberii
ad annum V. C. 787, in numis Caligulae
variorum annorum, ac videmus modo
illud in numis Antonini anni praesentis,
qui, quod historia neglexit, docent,
sacrum illud Augusti heroum, si-
ve aevo fatiscens, siue damna passum
Antonini pietate fuisse restitutum. Du-
bium non est, ex binis signis, quae in-
tra templum comparent, alterum esse
Iuliae docente Dione: ^{a)} *aviam Liviam*
a Claudio consecratam, ejusque effigiem
dedicatam in templo Augusti. Observan-
dum, alias esse leges architectonicas
templi Augusti in numis praesentibus,
quam quas offerunt citati numi Tiberii,
et Caligulae cum eodem Augusti tem-
plo, an quod Antoninus, dum eas ae-
des restituit, nonnulla immutavit? an
quod praesentium numorum templum
diversum ab altero est? nam Sex. Ru-

fus praeter templum Augusti in regione
VIII. memorat aliud Romae, et Augusti
in regione IV., an quod monetarii in
singenda templorum fronte minus sem-
per fuere fideles?

Vt lit. * A. vel B.*

VOTA. SOL. DEC. (in aliis: DECENN.)
II. COS. IIII. addito in aeneis S. C. Im-
perator togatus stans ad tripodem sacrifi-
cat. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. vel B.

VOTA. SVSCEPTA. DEC. (in aliis:
SVSCEP. DECENN.) III. COS. IIII. ad-
dito in aeneis S. C. Idem typus. AV.
(Mus. Caes.)

Celebratos primos Antonini decenna-
les in ejus trib. potestate XI. vidimus.
Praesentes numi docent, soluta fuisse vota
pro altero decennio feliciter exacto, et
suscepta alia pro ineunte decennio tertio.
Ex praescripto primi decennii vota, de
quibus in numis his sermo, nuncupanda
fuere in ejus trib. potestate XXI., et re-
vera Norisius commemorat numum cum
hoc tribunatu, cui soluta haec vo-
ta testatur esse inscripta, sed quem alibi
laudatum non reperio. ^{b)} Sin numus est
verus, votorum mentio restituta est an-
no praesente, ac sequente.

V. C. 913. P. X. 160.

TR. P. XXIII. COS. IV. P. M. P. P.
- IMP. II.

T. Clodio Vibio Varo, App. Annio Atilio
Bradua cos.

Res anni hujus incertae.

a) L. LX, §. 5.
(Vol. VII.)

b) de Vot. decenn. p. 122.

ANTONINVS, AVG. PIVS. P. P.

TR. P. XXIII. *Caput laureatum,*

vel radiatum etiam in AE. II.

Non reperio aliam in numis hujus anni capitis epigraphen. Numi memotabiliores sunt:

PIETATI. AVG. COS. III. *Mulier stans d. globum, s. infantem in ulnis, duobus aliis hinc et illinc adstantibus.* AV. AR. AE. P. II. (Mus. Caes.)

Explica typum ex numis divae Faustinae inlcriptis; PVELLAE. FAVSTIANAE.

VOTA. SVSCEPPA. DEC. III. COS. III. *Imperator ad tripodem sacrificans.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide de his votis dicta ad annum praecedentem.

COS. III. *Imperator paludatus stans d. parazonium, s. hastam, juxta mulier elephantis proboscide tecta humi decumbens d. leonem contingit, s. spicas tenet, pone Victoria tropaeum statuens.* AE. max. mod. (Mus. Pisani.)

Hunc typum cl. Mazzolenus ejus musei editor ad victos in Africa Mauros refert. Verum habemus eundem omnino typum in numo Commodi ad annum V. C. 943, quem vide.

V. C. 914. P. X. 161.

TR. P. XXIV. COS. IV. P. M. P. P.

IMP. II.

M. Aurel. Caes. III. L. Ael. Aur. Commodo II. cos.

Hoc anno Antoninus apud Lorium

extinguitur, quod factum chronologi die VII. Martii censent consulis hujus anni M. Aurelio Caes. III. L. Vero II. Ex marmore posito X. KAL. APRIL. hujus anni ^{a)} certum fit, Antoninum hoc die, seu XXIV. Martii non amplius fuisse superstitem, quoniam in eo uterque consul jam Augustus dicitur. Vide, quae de anno, et mense mortis plura disputavimus in Antonini numis Alexandrinis.

Fuit Antoninus conspicuus forma, sermone, ingenii ac litterarum cultu, at multo illustrior probitate morum, atque innocentia vitae, quae tanta in eo fuit, ut uno ore a veteribus propter pietatem, et in sacras caerimonias adfectum cum Numa compararetur, atque ipse mensuram nominis PII per mores integros et inculpato parti ad vitae usque exitum adimpleret. Cum esset placidus ac mitis ingenio, amans innocui in agris otii, indulgentia in eos quoque, qui deliquere, singulari, tamen omni virium contentione ad tuendam imperii majestatem, ac felicitatem incubuit coercita praesidium avaritia, compressis seditionibus, hostibus externis legatorum virtute (nam bellum per se ipse nullum gessit) ad petendam pacem, adactis. Enim vero nunquam majus sanctiusque fuit imperii Romani nomen, adeo tremantibus eum, ut ait Victor, ^{b)} atque amantibus cunctis regibus, nationibusque et populis, ut parentem, seu patronum magis, quam dominum imperatoremve reputarent, omnesque uno ore in coelestium morem propitium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent. Ad quem etiam Indi, Bactri, Hyrcani legatos misere ju-

a) Vignoli de Columna Anton. p. 51.

b) in Epitome.

stitia tanti imperatoris comperta, quam ornabat vultu sereno, et pulchro, procerus membra, decenter validus. Quo factum, ut moreretur senex, sed quasi adulescens desideraretur, atque efficeret, ut Antonini nomen, quo ipse Augustorum primus praeditus fuit, non venerabile modo esset successoribus, sed ab his avide quoque expeteretur. Certe teste Lampridio ^{a)} tam amabile illis temporibus fuit nomen Antoninorum, ut, qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium, et paullo infra testatur idem, Antoniniano nomine clarius illis temporibus non fuisse vel nomen deorum. Laudatus est pro rostris ab utroque successore Augusto, et consecratus, corpusque aeterni principis illatum Hadriani sepulchro. ^{b)}

Vxor: ANNIA FAVSTINA, de qua infra.

Proles: de his agetur in Annia Faustina.

Numi:

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXIII. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel radiatum in AE. II.*

Vt lit. A.

CONG. AVG. VIII. COS. III. *Liberalitas stans. AR. et addito S. C. AE. I. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VIII. COS. III. *Liberalitas stans ex cornucopiae opes effundit. AR. (Mus. Caes.)*

Vt lit. B.

TR. POT. XXIII. COS. III. S. C. *variis typis. AE. II.*

• Coepit Antonini trib. potestas XXIII., ut major hactenus antiquiorum pars censuit, die XXV. Februarii hujus anni, ipse vero mortuus est, ut dictum, die VII. Martii sequentis, aut certe non multo post. Intra paucos igitur hos dies et praeslitum est congiarium IX., et cum totum trib. potestatem XXIV. praeferebant, quorum non exiguus numerus ad nos pervenit. Sed et ipsa haec peristasis facit, ut credam, jam hunc ipsum Antoninum trib. potestatem Kalendis Ianuarijs iterasse, ut debemus amplius Volumine VIII. in tractatu de tribunicia potestate.

DIVVS ANTONINVS.

De Antonini consecratione haec Capitolinus: ^{c)} *A senatu DIVVS est appellatus cunctis certatim adventibus, cum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores, qui optimis principibus ante delati sunt. Meruit et flaminem, et Circenses, et templum, et sodales Antoninianos. Alibi idem constitutos ei sodales Aurelianos memorat. ^{d)} Ejus causa numi non pauci, iique varii signati, quos subjicio.*

a) in Diadumeniano. relio cap. 7.

b) Capitolin. in M. Aurel.

c) sub finem.

d) in An-

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum, raro laureatum.*

CONSECRATIO. *Rogus, vel aquila vario situ, vel ara.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum.*

DIVO. PIO. *Columna cancellis septa, cui insistit statua Imperatoris, f. hastam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Est haec insignis illa columna ex marmore solido rubeis punctis vario hodie dum superstes, sed infeliciter procumbens, visiturque nunc in parte averfa magnificae curiae monte Cytorio appellatae, cujus altitudo pedes Romanos L. omnino aequat. Neque minus memorabilis stylobata ex marmore Patrio, eoque solido, cujus latera singula lata sunt pedes XII., alta XI., et in quorum uno est epigramma: DIVO. ANTONINO. AVG. PIO. ANTONINVS. AVGVSTVS. ET. VERVS. AVGVSTVS. FILII., in altero insigne opus anaglyphum exhibens Antoninum Pium, et Faustinae a genio alato sursum elatos adfidentibus inferne Roma cultu solito, et Aeternitate obeliscum sinistra complexa. Reliqua duo latera decursiones equestres in justis funebribus celebrari solitas objiciunt. Qui plura de insigni hoc monumento nosse cupiet, adeat eruditam dissertationem Ioannis Vignoli de Columna Antonini Pii. Sed exillimat cl. Ficoronus, dictam montis Cytorii columnam Trajano fuisse a senatu dedicatam. ^{a)} Vide, quae super hoc argumento notavimus ad numum Trajani

V. C. 867. inscriptum: SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum.*

S. C. *Imperator d. ramum, f. hastam sedens in quadrigis elephantorum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vidimus ex Capitolino, Antonino decretos fuisse a senatu omnes honores optimis principibus deferri solitos, et vidimus etiam in numis divi Augusti, bono huic principi post obitum decretas elephantorum quadrigas. Quare et Antoninum in singularis hujus honoris partem venisse praesens numisma comprobat.

DIVO. PIO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Ara ignita, vel: Aquila expansis alis.* AR. (Mus. Caes.)

Sunt hi numi ex argento vili, et eorum genere, quos in memoriam consecratorum principum multo serius signatos statuemus in tractatu de numis consecrationum Vol. VIII.

Agmen hujus generis numorum claudant numi bini prorsus singulares:

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum.*

DIVÁ. FAVSTINA. *Caput uxoris Faustinae.* AR.

Numum hunc Khellius ex museo comitis Ariosti, quod nunc cum gaza Caesarea unitum est, vulgavit. At vero indubitatum est, mercem esse adulterinam, neque satis ejus fidem a viro egregio in examen vocatam.

a) Piombi. pag. 6.

Eadem aduersa.

IMP. L. AVREL. VERVS. AVG. *Caput L. Veri nudum.* AR.

Singularis hic numus, nisi forte una permutatio matricis, aut quaequam veteris impostoris fraus singularem effecit, editus est a Vignolio in dissertatione de Columna Ant. p. 167.

*Numi Antonini
antiquitatem Romanam restituentes.*

Vt religionem avitam, ac caerimonias conservare integras, ac puras omni contentione adlaboravit Antoninus, atque etiam hoc titulo alter Numa vulgo est habitus, ita et Romae nascentis, ac primi ejus aevi prodigia summa religione observavit, eorumque memoriam qua potuit ratione ad renovandum civium in patriam amorem revocavit. Acuerit principem super innatam pietatem natalis urbis nongentesimus, quem celebrari se imperante contigit. De ejus in antiquitatem patriam observantia nihil memoriae prodidere superflites rerum Romanarum scriptores. Tamen insigne ejus factum huc pertinens commemorat Pausanias, qui narrat, Antoninum Pallantium Arcadiae, cum vicus esset ignobilis, in urbis formam ampliasse, liberumque, et a tributis immune fecisse, quoniam inde cum colonis profectus Evander propter Tiberim eo loco confedit, qui pars postea urbis Romae fuerat, et pro Pallantio ablatis inde literis L et N *Palaetium* sit dictum. *) Praeter illustre hoc testimonium praesto est etiam marmor vulgatum a Fabretto, b)

dedicatumque Antonino OPTIMO. MAXIMOQ. PRINCIPI. ET. CVM. SVM. MA. BENIGNITATE. IVSTISSIMO. OB. INSIGNEM. ERGA. CAERIMONIAS. PVBLICAS. CVRAM. AC. RELIGIONEM. At multo istud magis confirmant numi pium hoc ejus studium depraedicantes, qui plerique maximae formae sunt, quos adeo omnes argumenti causa lubet eodem loco in conspectum dare.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

Sine epigrapha. Hercules s. leonis exuvias tenens, dexteram, qua clavam tenet, quibusdam deosculandam porrigit; juxta Cacus humi stratus, et specus, ex quo protractus fuit. AE. m. m. (Mus. Albani.)

Nota ex Virgilio, Ovidio, aliisque Caci esuritio, et latrocinia ex monte Aventino, quem insedit, vicina infestantis, ejusque exitium ab Hercule abactas boves repetente acceleratum. Grati acolae, nam erat hic praedo non leve finitimis hospitibusque malum teste Nasone, c) vindicem liberatoris dexteram deosculantes in egregio hoc cimelio proponuntur. Caci argumentum exhibetur etiam in numo Aurelii Caesaris, quem vide infra ad annum V. C. 900. Vide et numos sequentes duos.

ANTONINVS. AVP. PIVS. P. P.
TR. P. XVIII. *Caput laureatum.*
COS. III. *Hercules s. clavam, et exuvias leonis d. pateram tenens ad aram ignitam sacrificat, popae duo taurum attinent, ad-*

a) L. VIII. c. 43.

b) Inscript. cap. X. n. 6e.

c) Fast. I. 55e.

stat vir hastam tenens, et ad Herculem conversus, retro templum 4 columnarum. AE. max. mod. (Mus. Pisani, et de Camps.)

Numi hujus explicationem jam praecipit eruditus Mazzolenus in numos Musei Pisani commentatus, nimirum quod docet Dionysius Halicarnassensis,*) Herculem caeso Caco, bobusque recipatis in proximo aram Iovis Inventoris (ἄρος Εὐπειῆς) posuisse, quae Romae fuit prope portam tergemina, et ob inventas boves deo juvencum unum immolasse, quo facto Evander viciniae rex Herculi divinos honores habere coepit. Atque secundam haec Ovidius de Hercule: b)

Immolas ex illis taurum tibi, Iupiter.

unum

Victor, et Evandrum, ruricolasque vocat.

Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram,

Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Adde testimonium Propertii. c) Memorat etiam Tacitus magnam aram, fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat. d) Stetisse hanc aram adhuc Diocletiani aetate, testatur Martinius in panegyrico Maximiani. e)

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. IIII. Caput laureatum.

Sine epigraphe. Hercules sedens ante mensam s. clavam, d. pateram, adfident figurae plures pateras manu tenentes, circum urnae, et vasa varii voluminis. AE. max. mod. (de Camps.)

Exhibet hic numus epulum ab Hercule institutum eliso Caco. Festum istud deinceps quoque annuum, gentibus Pinaria, et Potitia ea sacra procurantibus, de qua caerimonia late Virgilius. f) Hospites epulo non adcumbunt, sed adfident, rite istud ad festi hujus legem. Nam de ea differens Macrobius g) propria, inquit, observatio est, in Herculis sacris epulari sedentes. Cornelius Balbus κατὰ διαστολήν libro XVIII. ait, apud ARAM MAXIMAM observatum, ne lectisternium fiat. Vide de hoc festo plura apud Livium, h) ejusque enarratores.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. IIII. Caput laureatum.

S. C. Aeneas Anchisen humeris efferens, et d. Aescanium pileo Phrygio tectum ducens. AE. I. (Theup. Mus. reg. Christianae.)

Notum in vulgus thema,

Epigraphe capituli varia.

Epigraphe varia. Scrofa cum fuculis infra arborem. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Epigraphe capituli ignota.

Sine Epigraphe. Aeneas navi egressus, et s. Aescanium ducens scrofam fuculis incubantem contemplatur. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

a) Ant. Rom. L. I. b) Fast. I. 579.

c) Sub init.

f) Aen. L. VIII. 268.

e) L. IV. eleg. 10.

g) L. III. c. 6.

d) Annal. XV. c. 41.

h) L. I. c. 7.

IMP. T. AEL. CAES. HADRI.

ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Porta urbis, super qua serosa cum fuculis, retro Aeneas Anchisen efferens, ara luculenta, et templum rotundum. A.E. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Omnes hi numi eodem pertinent, nempe ex verbis Tiberini ad Aeneam: ^{a)}

Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,

*Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fetus enixa jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera
nati,*

Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Et paulo infra: ^{b)}

Ecce autem subitum, atque oculis mirabile monstrum!

Candida per silvam cum fetu concolor albo

Procubuit, viridique in litore conspicitur sus.

Urbs, quae in postremo numo fingitur, est Lavinium, quod ut planius intelligas, vide, quae olim ad denarios Sulpicii Rufi adverteram. ^{c)}

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.

Caput nudum, vel laureatum.

TR. POT. COS. III. *Mars d. hastam, f. clypeum ex alto delapsus Rhaeae dormienti imminet. AV. AR. A.E. II. (Mus. Caes.)*

Epigraphe varia.

Epigraphe varia. Lupa in antro gemellos lactans, in nonnullis inferne navicula. A.E. I. II. (Mus. Caes.)

Exhibet numus prior furtivum Martis cum Rhea Sylvia congressum, quo concepti fuere Romulus, ac Remus, quod argumentum restitutum video in numis pluribus Gallieni. Operae praesum observare in numi imagine Martem veluti libratum in aere, ac desuper Rhaeae illapsum, quo typo egregie illustratur locus Iuvenalis narrantis, ^{d)} a rudibus adhuc Romanis constat quidem argentum, sed non in luxus illecebras, verum

*Vt phaleris gauderet equus, caelataque
cassis*

*Romulae simulacra ferae, mansuescere
jussae*

Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,

*Ac nudam, effigiem clypeo fulgentis et
hasta,*

PENDENTISQUE DEI perituro ostenderet hosti.

Confer postremos duos versus cum pictura numi, et mirare poetae cum artifice monetario concordiam, atque una cape verum sensum *pendentis dei*. Ea vocabula primum ambigua plerisque sunt visa, ac varie explicata, deinde non paucos impulere, ut luxata a librariis opinarentur. Eodem modo Statius dixit *pendentem ungulam* Pegasi. ^{e)} Nolo quid ademptum laudi cel. Addisoni Angli, qui primus numum hunc

a) Virgil. Aen. VIII. 42.

b) v. 81.

c) Vol. V. p. 320.

d) Sat. XI. v. 100.

e) Silv. L. II. carm. VII. v. 4.

cum verbis poetae contendit, et si hanc ejus sententiam, sed ob leviores, ut existimo causas, admittendam non censet Lelsingius. ^{a)})

Alter numus quae postea consecuta sunt, proponit, nimirum conceptos occulto crimine, natosque geminos. Adest alveus, in quo expositus uterque, quique subsidente Tiberis eluvie ad radicem montis Palatini, et sic dietam ficum Ruminalem adhaesit, lupa interim matris pio officio fungente. Fuit prodigium istud non modo in vulgus creditum, verum etiam, ut venerabile est magnarum civitatum exordium, innumeris publice monumentis consecratum, et quoddam velut rei Romanae symbolum habitum, ac speciatim coloniarum, ut ex obviis harum numis discimus. In ipsis etiam armis miraculum illud opere anaglypho saepe exstat, velut in calside teste supra Juvenali, in clypeis, ut videre est in numis, in quibus Roma sedens fingitur, aut in illo clypeo, quem a Vulcano elaboratum fingit Virgilius: ^{b)})

cujus versus, quoniam praesentes numos praeclare illustrant, huc appono:
*Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam, geminos huic ubera
circum*

*Ludere pendentes pueros, et lambere
matrem*

*Impavidos, illam tereti cervice reflexam
Mittere alternos, et corpora fingere
lingua.*

Numus inscriptus:

ROMVLO. AVGVSSTO. explicatus jam

exstat in moneta anni V. C. 893.

Numus item inscriptus:

ANCILIA explicatus est in numis ejusdem anni.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. IMP. II. *Caput nudum.*

NAVIVS. *Navius augur capite velato silituum tenens novacula cotem dissecat, Tarquinio Prisco togato adstante, et ad miraculum attonito. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)*

Notum ex rerum Romanarum scriptoribus Acclii Navii prodigium novacula cotem bifariam secantis, quo Tarquinium Priscum auguratus potentiam in dubium vocantem argueret. Adi praecipue Livium, ^{c)}) Ciceronem, ^{d)}) et Dionysium Halic. ^{e)})

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

COCLIS. *Horatius Cocles in undis natans, desuper pons fractus, plurimae hinc et illinc figurae armatae. AE. max. mod. (Pellerin, Mel. I. p. 208. Albani.)*

Nota etiam historia Horatii Coclitis, qui unus irruentium Etruscorum duce Porfena vim in ponte sustinuit.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*
AESCVLAPIVS. *Duo arcus in flumine, ex quorum uno prominet prora navis, supra quam serpens, juxta Tiberinus humi sedens s. arundinem, ponit aedificium. AE. max. mod. (Mus. Caes.)*

^{a)}) Laocoon Seite 81.
^{e)}) Ant. Rom. L. III. p. 202.

^{b)}) Aen. VIII. 630.

^{c)}) L. I. c. 35.

^{d)}) de Divinat. L. I. c. 17.

Grassante Romae peste misi Epidaurum legati, qui Aesculapium inde arcesserent. Paruit is, atque serpentis specie eorum triremem ultro conscendit, invecusque Tiberim, cum ad insulam ventum esset, quam in ipsa urbe flumen efficit, in eam tranavit, quo loco ei mox sumptu publico aedificatum templum. Factum istud anno V. C. 463. Vide Ovidium, a) Val. Maximum, b) aliosque. Quam praeclara Epidauri opera honori Aesculapii fabricatus fuerit Antoninus noster adhuc senatorius, enarravit Pausanias. c) Vide et paullo post alium Aesculapii numum.

Antica incerta.

Sine epigraphe. Iuppiter sedens adsidente a dexteris Minerva, a sinistris Iunone. AE. max. mod. (Mus. regis Galliar.)

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. •

Caput laureatum.

COS. III. S. C. *Aquila stans adstante a dexteris noctua, a sinistris pavone.* AE. III. (Mus. Caes.)

Non repeto, quae de typo simili trium cellarum in templo Iovis Capitolini, in quibus tria haec numina profstabant, et stantibus in numo altero eodem ordine famulis alitibus dixi in numis Vespasiani pag. 328., ubi et narravimus, illustrare hoc argumentum in aliorum etiam Augustorum monetam fuisse vocatum. Etiam numus max. formae, in cuius antica sunt capita M. Aurelii et L. Veri, eundem typum offert, d) tum et alius Hadriani. e)

Numi alii

maximi moduli insignioris argumenti.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.

TR. P. COS. III. IMP. II. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Puellus nudus caprae insidens, juxta ara, aquila, arbor. AE. max. mod. (Mus. Farnes.)

• Typus rite explicatur ex numis argenteis Gallieni, ejusque familiae, in quibus juxta puellum similem insidentem caprae legitur IOVI. CRESCENTI, nempe caprae beneficio lac praebentis, ex quo Iovem appellatum *Αργιοχρον*, a lacte nutritum tradit Diodorus, f) de quo plura te docebit summus vir Spanhemius. g) Adest aquila sive *προληπτικως* ad indicandum certius Iovem, sive quod haec Iovi infanti nectar attulit. h)

•• ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput laureatum.* •

Sine epigraphe. Aesculapius sedens ad aram d. pateram, s. baculum suum, pro pedibus canis, adstat Hygia item sacrificans. AE. max. mod. (Mus. Farnes.)

Vt Aesculapii signum in vetere moneta perfrequens, ita rarum videre in ea adstitutum canem. Hunc in insigni ejus dei simulacro, quod erat Epidauri, ad ejus pedes adcubuisse refert Pausanias. i) Causam paullo supra exposuit, k) quoniam eum mox a partu a matre Coronide in saltu expositum nutritum capra, et canis custodivit.

a) Metam. XV. 622. b) L. I. c. 8. e) L. II. c. 28. d) Mus. Theup. pag. 784.
e) Mus. Albani. f) L. V. c. 70. g) ad Callim. hymn. in Iov. v. 49. h) Athenaeus
L. XI. p. 491. i) L. II. c. 27. k) L. II. c. 26.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. IMP. II. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Arbor, cui obvolutus serpens, ex qua adstans cum attributis suis Hercules mala decerpit, adstant tres nymphae Hesperides. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall. Rfani, Mus. Medic.)

Argumentum notum, sed eleganter in praecclaris his numis expressum.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XI. COS. III. *Caput laureatum.*

Sine Epigraphe. Herculis cum Centauris pugna, quorum unus cum muliere raptam fugit, retro templum. AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Saepius Herculem cum Nubigenis raptae mulieris ergo congressum legitur. Ad quod ex his praelium elegans hic typus pertineat, difficile est divinare.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Prometheus in rupe sedens hominem fingit; ejus capiti adstans Pallas papilionem imponit, retro arbor, cui serpens obvolutus. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vetus argumentum hominis a Prometheo formati, a Minerva animati. Confer marmor anaglyphum in saepe editum, nuper restitutum. ^{a)}

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
IMP. II. *Caput laureatum.*

T. POT. XX. COS. III. *Iupiter in quadrigis Gigantem fulmine prosternit.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Hunc typum liberaliter explicatum, vide a Winckelmannno producta gemma, opere Athenionis, ^{b)} et a me olim vulgata gemma ejusdem argumenti. ^{c)}

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. XXII. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Vulcanus sedens ad incudem d. malleum, s. fulmen, cum quo colloquitur adstans Minerva. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.) Idem typus exstat in aeneo max. mod. M. Aurelii Caef. (Mus. Farnes.)

Vide, quae de Pallade Vulcanum ad-eunte, et ut sibi arma fabricaret, postulante, et quae tum turpiter acta fuere, prolixè narrat Apollodorus. ^{d)} Forte tamen aliud non placuit monetario, quam jungere simul utrumque artis magistrum, Vulcanum et Minervam, nimirum teste Platone: ^{e)} Ηφαίστος και Αθηνας ιερον το των δημιουργων γενοσ, *Vulcano, et Minervae sacrum est genus artificum.* Idem argumentum est etiam in numo Thyatirae max. mod. cum capite Commodi: (Mus. reg. Gall.)

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
TR. P. COS. III. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Hercules stans juxta arborem puellum in monte expositum, et a cer-va lactatum contemplatur, in montis vertice aquila. AE. max. mod. (Mus. Albani Vaill.)

Vaillantius, et Venutus musei Albani enar-

a) Mus. Capitol. Tom. IV. p. 129. p. 32.

d) L. III. c. XIII. §. 6.

b) Monum. ant. num. 10.

e) de Legib. L. XI.

c) Choix de pierr. grav.

rator in hoc numo geminos a lupa nutritos exhiberi existimant, at ego Telephum Arcadem in monte Parthenio expositum, et a cervâ lactatum, ut copiose demonstravi, cum in moneta Perganii Mysiae ejusdem argumenti numum explicarem, quem vide. ^{a)}

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.

TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Diana Luciferâ citato equo insidens facem tenet. AE. max. mod. ^{b)}

In elegante hoc numo proponi Dianam Luciferam, ambigi nequit. Constat, Dianam, quatenus luna fuit, jam mulis, jam bobus, jam equis fuisse vectam. Vide, quae notabimus in numis Caracallae anni V. C. 967. Elegantem imaginem Lunae equorum bigis vectae dedit Passerius in Lucernis suis. ^{c)} Facile dederò Buonarroto, Faustinae hac imagine videri propositam; tamen non aequè dederò, hac forma statuam equestrem Faustinae fuisse positam, cui conjecturae vehemens equi cursus haud dubie obstat.

De aeneis III. formae.

Antonini quoque imperium dedit numos III. formae, eosque rariores, in quorum averfa est S. C. typis obviis. At quod sciam, cum hoc etiam imperatore desinunt hujus formae numi, et sub Decio demum redire occipiunt.

Numi commatis peregrini.

Hujus generis numi copiosi sunt tam urbium liberarum, quam coloniarum, at

cum primis abundant numi Alexandrini I. formae, qui etiam ob typos varii argumenti sese insigniter commendant. Obvii etiam sunt aenei I. rarius II. formae Graece inscripti, qui hinc caput Antonini, illinc M. Aurelii Caesaris exhibent, sed quorum patria ignoratur.

Memorandus adhuc numus singularis:

Anticae inscriptio non proditur.

ETHCIA. ETCCITIA. *Mulier stans d. incertum quid, s. hastam.* AE. II. (Mus. Christianae tab. 57.)

Erant *ovocitia* publica, et communia Laedaemone convivia ex instituto Lycurgi. Vtrum Antoninus, *annua convivia*, quae numus eloquitur, et qua in urbe Graeca per statam liberalitatem constituerit, ignoramus. Forte epigraphe eundem sensum habet, quem *CEITOC annona*, inscriptum numo Tarfi, vel *BE-NEFICIVM. AETERNVM* in numis Laodiceae Syriae, nimirum his urbibus liberalitate principis adsignatum.

TITVLI ANTONINI.

Pater patriae.

Teste Capitolino *patris patriae nomen delatum a senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit.* Factum istud esse in ejus consulatu II., seu anno V. C. 892, atque adeo saltem jam in II. trib. potestate, praeclare eruitur ex numis; nam horum alii consulatum II. notantes hoc adhuc titulo carent, alii eum adhibent. Eusebius in Chronico titulum hunc in secundum Antonini

a) Vol. II. p. p. 468.

b) Buonarroto *Osserv. illor.* p. 42.

c) Vol. I. p. 77.

annum differt. Sed en numum singularem, qui sententiae huic repugnat.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
IMP. COS. *Caput nudum.*

Sine Epigraphe. Mulier grypho currenti insidens. AE. max. mod.

Numum hunc Vignolius ex museo Ficoronii delineatum sitit, ^{a)} qui si sincerus est, aut rite promulgatus, liquido probabit, Antoninum jam in consulatu I, atque adeo anno V. C. 891 patris patriae decus suscepisse. Sed praeterquam quod omnes alii, ac tot hactenus reperti numi repugnant, qui hunc titulum in consulatu I. constanter omitunt, ipsa capitis epigraphe non levem aut *νοθείας*, aut falsae lectionis suspicionem injicit, cui similis in nullo omnium annorum Antonini numo, nedum consulatus I. occurrit. Satis causae, cur novo examini numus hic, si alicubi existat, mereatur subici. Sitne Occonis, hunc honorem jam primo ejus anno adfingentis, auctoritas tanti, ut ejus sententiae subscribendum continuo sit, alii viderint.

Pius.

Alias alii ex scriptoribus veteribus collati hujus tituli causas adferunt, et tres quidem vel unus Spartianus; ^{b)} sive quod socerum fessum aetate manu sublevavit, sive quod multos senatores ab Hadriano in extrema valetudine ad necem quaesitos hujus furori eripuisset, sive quod Hadriano post excessum ingentes honores detulit. Quae quidem postre-

ma causa una ex potioribus fuerit; nam ipsum certamen quinquennale, quod idem Spartianus ab Antonino in honorem patris mortui Puteolis constitutum ^{γ)} refert, ^{δ)} *Pialia* dictum est, ut prodit Artemidorus, qui memorat *σταδία, ὅς μελλων ἀγωνίζεσθαι ΕΤΣΕΒΕΙΑ τα ἐν Ἰταλίᾳ ἀρχόντα ὑπο βασιλεως Αντωνινῶ ἐπι τῷ πατρὶ Ἀδριανῶ, certatorem, qui progressurus erat in PIALIBVS, quae in Italia ab imperatore Antonino in honorem patris Hadriani acta sunt, ^{ε)} quae ipsa in binis marmoribus apud Muratorium ^{ς)} dicuntur ΕΤΣΕΒΕΙΑ. ΕΝ. ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ, *Pialia Puteolis.* Eisdem collati ejus tituli causas, quas ex Spartiano dedimus, repetit Capitolinus, ^{ζ)} additque binas alias, vel quod Hadrianum, cum is interimere se prae vitae taedio pararet, ingenti custodia sepsit, ne perficere posset, quod animo conceperat, vel denique, quod vere natura clementissimus, et nihil temporibus suis asperum fecit. Postrema haec causa probata fuit M. Aurelio, in epistola ad Faustinae, quae exstat apud Vulcatium in vita Avidii Celsii, sic scribenti: *haec (Clementia) patrem tuum in prinis PII nomine ornavit.* Aliam illustrem causam commemorat Pausanias synchronus, quod cultus divini omnium esset maxime studiosus. ^{η)} Verius crediderim, illustrem illi hunc titulum non ab una causa, sed ab omnibus hic commemoratis, et per probatam multiplici specimine pietatem fuisse inditum, sic ut *Pius* jam omnium ore vocaretur, antequam senatus consultum accederet.*

Et vero eximium illud Pii cognomen,

^{a)} de Column. Ant. p. 61. ^{b)} in Hadriano. ^{c)} in Hadriano sub fin. ^{d)} Oneirocrit. L. I. c. 28. ^{e)} Pag. 632. 1. et 648. 1. ^{f)} in Antonino. ^{g)} in Arcad. L. VIII. c. 43.

ab Antonino primum adscitum, tantum apud successores valuit, ut deinceps fere constante lege illud sibi imponerent, atque cum Augusti nomine velut unirent. Quo pertinent verba Iustiniani: a) *sicut enim Antoninus PIVS cognominatus est, ex quo etiam appellatio haec ad nos pervenit.* Et Lampridius: b) *Pius verum nomen Antonini habuit, cognomen PII.*

Tempus adoptati hujus ab Antonino nominis satis supra ex numis definitivimus, nimirum annum V. C. 891 haud

multo postea quam mortuo Hadriano imperium solus tenuit.

Imperator.

Titulum imperatoris toto imperii tempore una tantum vice auxit. Certe in marmore Gruteriano sub ejus excessum posito dicitur TR. P. XXIV. IMP. II. COS. IIII. c) Quo anno decus hoc iteraverit, paucis disputavi supra ad annum V. C. 893. ad numum IMPERATOR. II.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei et argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

Commatis peregrini:

Argentei urbium Graecarum	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei variae formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Coloniarium	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

FAVSTINA SENIOR.

Annia Galeria Faustina, ut eam vocat Capitolinus, d) Antonino adhuc privato conjuncta mox post Hadriani excessum titulum *Augustae*, ut maritus *Pii*, a senatu accepit. e) Verum non diu huic honori superfuit elata tertio imperii anno V. C. 894, ut tradit Capitolinus, et consentit marmor Muratorii, f)

quod Fauslinam jam *divam* pronunciat in Antonini tribunatu IV., quem is eodem anno auspiciatus est. In numis ejus Alexandrinis legimus annum V., quem numerum explicavimus in hac numerum classe. Teste marmore Gruteri g) vixit annos XXXVI. menses III. dies XI. In eo praetera omisis reliquis legitur:

a) Novell. LXXVIII. c. 5. b) in Diadumeniano. c) Pag. 256. 6. d) sub init, Ant, Pii, et M. Aurel. e) Capitolin. in Anton. f) Pag. 239. 3. g) Pag. 261. 3.

MEMORIAE. DIVAE. FAVSTINAE...

RELICTA. MATRE. INFELICISSIMA.

quibus postremis verbis docemur, perperam illud a Scaligero Faustinae juniori tribui, ^{a)} nam haec cum mortua est, matrem pridem amiserat, nempe hanc ipsam Faustinae seniore. Ejus nimiam libertatem, et vivendi facilitatem perstringit Capitolinus, quae tamen vitia ab Antonino cum animi dolore compressa idem memorat. Istud certum, quod ex numis continuo docebimur, eum tam vivae, quam mortuae honores omnes indulgisse.

Proles: maris duo, sed quorum nomina reticet Capitolinus. Horum uni fuisse nomen *M. Galerio Antonino*, patebit ex numo, quem infra dabimus. Alterum vocatum *M. Aurelium Fulvium Antoninum*, Pagius ex marmore eruit. ^{b)}

Aurelia Fadilla, quod nomen tacentibus historicis ex antiquo item marmore hauserunt Pagius, ^{c)} et de Boze. ^{d)} Eam mortuam refert Capitolinus, cum pater ad proconsulatum Asiae proficisceretur.

Faustina nobis dicta *junior*, nupta *M. Aurelio*, de qua loco suo.

Numi:

- A. FAVSTINA. AVGVSTA. in *AV.* et *AR.*
- B. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. in *AR.* (Mus. Caes.)
- C. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. PII. P. P. in *AE. I. II.*
- D. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. P. P. in *AV* et *AR.*

Vt lit. ^{*} C.

CONCORDIAE. S. C. *Antoninus togatus stans, et f. icunculam cornucopiae tenentem praeferens dexteram jungit cum Faustina velata adstante, inter utrumque similes, at minores duae figurae dexteras item jungentes, ara intermedia.* AE. I. (Vaillant.)

Eandem averfam vidimus in numo mariti ad annum V. C. 893, unde petenda explicatio.

Vt lit. ^{*} B.

VESTA. *Dea sedens d. Palladium, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Videtur numus hic mox posteaquam imperium maritus adivit, fuisse signatus, quoniam is imperatorem necdum aut *Pium*, aut P. P. appellat.

Reliquorum numorum huc spectantium averfae sistunt *Cererem*, *Iunonem Reginam*, *Venerem Augustam*, aliosve typos in Augustarum moneta obvios.

DIVA FAVSTINA.

De Faustina mortua, et consecrata haec perhibet Capitolinus: *tertio anno imperii sui Faustina uxorem perdidit, quae a senatu consecrata est delatis Circensibus atque templo, et Flaminicis, et statuis aureis, atque argenteis, cum etiam ipse hoc concesserit, ut imago ejus cunctis Circensibus poneretur.* Non aliunde magis moderatum Antonini ingenium noxarum immemoris, quam ex hac in mortuam conjugem observantia patuit. Nam cu-

a) in indice Grut. p. CV. XV. p. 470.

b) Crit. Baron. ad V. C. 914.

c) l. c.

d) B. L. Tom.

ius memoriam propter mores minus probatos obliterare licuit, ei non modo honores, quos mox ex Capitolino memoravi, passus est a senatu decerni, verum tot etiam ejus mortuae nomine curavit feriri numos, quot neque antea, neque post, sive copiam ipsam spectes, sive typorum varietatem, cuiquam principi mortuo sunt signati. Atque horum quidem numerus incredibilis dubitare non sinit, deinceps quoque per reliquos annos omnes id genus numos a pio in conjugem suam Antonino fuisse percussos.

- A. DIVA. FAVSTINA. *in omni metallo, et forma.*
 B. DIV. AVG. FAVSTINA. *in AV. et AR.*
 C. DIVA. AVGVSTA. FAVSTINA. *rarius in AV. et AR., frequentius in AE. omnis moduli. Caput in omnibus vel est cultu solito, vel insuper velatum.*

Vt lit. A.

AED. DIV. FAVSTINAE. *Templum sex columnarum, intra quod Faustina stans, in aliis sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Huic jungendus alter:

Vt lit. A.

DEDICATIO. AEDIS. *Templum idem, sed nullo intus signo.* AR. (Mus. Caes.)

En aedem, sive templum, quo honoratam post excessum Faustinae ex Capitolino diximus. Sita fuit in via sacra, fuitque primum dedicata Faustinae soli, verum marito mortuo hujus quoque additam fuisse religionem, eloquitur templi ipsius frons, (nam duravit in nostram usque aetatem) in quo legitur epigram-

ma: DIVO. ANTONINO. ET. DIVAE. FAVSTINAE. EX. S. C. Idem templum exhibetur etiam in aliis ejus numis, inscriptis: AETERNITAS, vel: PIETAS. AVG.

Antica varia.

AETERNITAS. Typi eximie varii in omni metallo, et forma. Ex his magis illustres: *Faustina cultu Cybeles in bigis leonum.* AR. (Mus. Caes.) vel: *Eadem in bigis elephantorum, aut in thesa a mulis tracta* exemplo Augustarum praecedentium, quibus confirmatur, quod Capitolinus in genere de delatis Circensibus, et imagine ejus in his proposita commemorat. Eodem typi sunt etiam in numis, qui inscribuntur EX. S. C., vel plenius: EX. SENATVS. CONSVLTO, ut legitur in aureo musei Theupoli.

Vt lit. A.

AVGVSTA. in omni metallo et forma, et typis variarum dearam, quibus unam Faustinae adsimilatam voluit vetus superstitio. Exstat numerum sic inscriptorum ingens vis.

Antica varia.

CONSECRATIO. variis typis. *Faustina velata s. hastam ab aquila, vel Victoria sursum effertur, vel: sedens in bigis Victoria habenas moderante, in AE. max. mod. (Mus. Caes.) vel: typo pavonis, aquilae, rogi.* In omni metallo, et forma.

Vt lit. C.

MATRI. DEVM. SALVTARI. *Templum, in quo sedet Cybele, extra quod stat Atys juxta arborem, quam sinistra adprehendit.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Alii similes, sed abest templum, et Atys.
AE. I. (Mus. Caes.)

Typus Cybeles, sive Matris deum ob-
vius est in moneta hujus Faustinae; at
numo priori pretium facit adstitutus A-
tys, Cybeles et sacerdos, et amasius.
Stat ille ad arborem, eamque contingit,
sive quod a Cybele in vetito amore de-
prehenfus, et ad poenam quaesitus sub
pinu latuit, sive quod revera a Cybele
mutatus in pinum est, quae nonnullorum
sunt mythologorum opiniones, sive
quod arbor haec ea ipsa erat, qua stan-
te et integra Nymphae Sagaritidis, quam
is invita Cybele deperibat, salus nite-
batur, quamque propterea irata dea,
multis vulneribus succidit. *) Ceterum
memorata in his numis *Mater deum sa-
lutaris* est famigerata illa Mater Idaea
a Romanis ad sopiendam pestilentiam
in urbem accita, de qua mox infra plu-
ra ad numum anepigraphum argumenti
analogi disseremus. Numus prior, quem
ex museo regis Galliarum laudavi, est
etiam idem plane in museo Caesareo,
sed certus contorniat, et suspicor,
ejusdem quoque naturae esse regium
Gallicum.

Vt lit. B.

PVELLAE FAVSTINIANAE. *Sugge-
stus, in quo imperator togatus sedens ad-
stante alia figura puellam ab alia figura
oblatam acceptat, infra puellae plures.* AV.
(Vaill. Mus. Theup.) AR., sed in his
typus differt minore puellarum numero.
(Mus. Caes.)

Numi argumentum insigne, quo con-
firmatur, quod paucis verbis absolvit
Capitolinus: *puellas alimentarias in hono-
rem Faustinae Faustinianae constituit.* Non
ergo Faustina ipsa pii hujus instituti fuit
auctor, ut Winkelmanno facta hujus
numi mentione adfirmare placuit. ^{b)} De-
cretum igitur a Trajano soboli Italicae
beneficium pius hic imperator non mo-
do praestare perrexit, sed constitutis in
uxoris honorem puellis aliis ampliavit.
Et vero impensae in id genus alimen-
torum ab Antonino curae luculente me-
minit marmor, quod Antonino in tribu-
natu XII. posuerunt PVERI. ET. PVEL-
LAE. ALIMENTARI. CVPRIENSES.
MONTANI. ^{c)} tum Gruterianum, ^{d)}
quod T. AELI. HADRIANI. ANTONI-
NI. AVG. PII. PONT. MAX. TRIB.
POT. XIII. IMP. II. COS. IIII. P. P.
FILIO. (scilicet M. Aurelio) PVERI. ET.
PVELLAE. ALIMENTARI. posuerunt,
tum etiam marmor proximum, quod
DIVO. ANTONINO. AVG. PIO. ALI-
MENTARI. iidem, et mortui principis
beneficia grato animo recolentes dedi-
caverunt. Ad hoc etiam argumentum
pertinent numi Antonini in ejus tribu-
natu XXIII. et XXIV. signati, in quo-
rum averfa legitur: PIETATI. AVG.
COS. IIII. et typus est: *Mulier stans, et
infantem in sinu gestans, aliis juxta ad-
stantibus, insigni collatae in teneram ju-
ventutem opis imagine, atque item al-
ter maximae formae, quem vide ad an-
num V. C. 904. Antonini exemplo iudic-
cessor M. Aurelius novas puellas Fausti-
nianas instituit in honorem uxoris mortuae,*

a) Ovid. Fast. IV. 223.
ad Murat. p. 334. 2.

b) Hist. art. Vol. II, pag. 393; edit. Feac.
d) Pag. 1022. 6.

c) Donatus. Suppl.

ut narrat Capitolinus, ^{c)} sed quarum in numis Aurelii nulla fit mentio.

Vt lit. C.

Sine epigraphē. Mater Idaea inter duos leones sedens in navi, quam mulier manu ad se trahit adstantibus matronis aliis, et facies attollentibus. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Exhibet insignis hic numus decantam a veteribus rerum Rom. scriptoribus fabulam Claudiae Quintae matronae nobilis, quae illiciti amoris rea diu credita, dum adhaerentem vado Tiberino navim, qua mater Idaea Pefsinunte advecta Romam deportabatur, per se sola, nulla aliena ope attraxit, et pudicitiam suam hoc miraculo comprobavit, de quo vide praeter alios Ovidium, ^{b)} Herodianum, ^{c)} Iulianum Aug. ^{d)} tum et numum gentis Claudiae. Factum istud anno V. C. 549, institutumque tum ludi *Megalesia*, nomine ipso religionem externam indicante. Satis causae, cur Antoninus veterum caerimoniarum cultor pertinax, ut in ejus moneta singulari articulo comprobavimus, illustre istud factum in numo restitueret.

Antica incerta.

Sine epigraphē, nisi haec vitiata est. Praedium Romanos inter, ac Volscos duce Coriolano ab hujus matre, uxore, liberis diremptum. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Celebrata omnium sermonibus Coriolani historia. Numum ipsum vererere ge-

nuinis accensere, nisi ejus fides gravium praeconum auctoritate tuta esset.

Vt lit. A.

Sine epigraphē. Isis cani currenti insidens d. sistrum, s. hastam. AE. II. (Mus. Theup.)

Explicationem typi pete ex simili numo anepigrapho Hadriani, Vol. VII. p. 512.

Vt lit. A.

SOVSTI. S. C. Ceres insistens globo utraque manu facem tenet. AE.

Proditur hic numus in Memoriis Trevoltiensibus ex museo P. Chamillart additis variorum eruditorum judiciis, quae jam nemo sanus aut non rideat, aut non stomachetur. ^{c)} Minus anxii hodierni eruditi Galli in eo haud dubie infelicem abortum ignavi pecoris monetarii videbunt, cujus generis jam plura hactenus monstra videre conigit.

Numi commatis peregrini.

Urbium liberarum numi Graeci nequam magno numero habentur, credo, quod mature diem obivit, neque hi aliquid ad ejus historiam conferunt.

Numum urbis incertae, in quo ejus filius Galerius jungitur, mox producam.

Coloniarum numi parcissimi, et solius Corinthi unum inferre potuit sedulus Vaillantius.

Alexandrinus ejus vivae unus hactenus compertus cum L. E., ejus mortuae non plures binis, aut tribus cum eodem anno, quos vide suo loco.

a) in Aurel. cap. 26.
e) in Februariis. 1703.

(Vol. VII.)

b) Fast. IV. v. 305.

c) in Commodo.

d) Orat. V. p. 159.

P R E T I V M.

Commatis Romani:

Aurei, et argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei maximae formae	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Ex mox dictis collige.

M. GALERIVS ANTONINVS.

Antonino, et Faustinae natos fuisse mares duos, supra ex Capitolino vidimus, at quae fuerint eorum nomina, quod fatum, ipse, et scriptores omnes dicere neglexerunt. Eum defectum suppleant numi Graeci, qui alterutrius nomen et caput, neque amplius, conservavere, quos hic descriptos potes intueri, quanquam et Pagius recitet marmor, quo teste filiorum uni fuisse nomina *M. Galerii Aurelii Antonini* intelligimus. ^{a)}

Numi:

M. ΓΑΛΕΡΙΟC. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC. ΑΝΤΩΝΕΙ-
ΝΟΤ. ΤΙΟC. *Caput puerile nudum.*
ΘΕΑ. ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. *Caput Faustinae ve-*
laturum. AE. I. II.

M. ΑΝΝΙΟC. ΓΑΛ. ΑΝΤ. ΤΙΡ.
Caput juvenile nudum.

Sine epigraphe. Victoria in lentis bigis, quas ducit praecedens mulier s. palmae rammum tenens. AE. II. ^{b)}

Prior ex pluribus jam museis cognitus, etsi ignoretur ejus patria, cujus mentionem invidit. Majori eruditorum parti visum, Galerium hunc jam e vivis fuisse sublatum, quando ad imperium pervenit pater Antoninus, non tam propterea, quod nihil causae fuisset Hadriano, cur Antoninum ad adoptandos M. Aurelium, et L. Verum adigeret, si huic filius naturalis praesto fuisset; nam parum poterat videri consultum imperio nixo in imbellis pueri vita, si quid patri humanitus accidisset, quam quod mirum utique esset, Galerium in his numis non dici Caesarem, si mortuus fuisset patre jam Augusto. Atque etiam si filium habuisset supersitem, cum imperium adivit, incredibile videretur, ejus mentionem praetermissam a Capitolino, eo praecipue loco, quo utriusque adoptati filii meminit.

Nescio, utrum eruditus de Boze positas difficultates feliciter satis expediverit, Is ex citato altero numo, cujus imago Galerium annos natum fere

a) Critic. Baron. ad V. C. 914.

b) de Boze B. L. T. XV, p. 468.

XVIII. sinit, probare contendit, eum matri octo, decemve annis fuisse supersitem, mortuum adeo jam satis provento Antonini imperio. Verum an credibile, etiam tum Galerio, jam utique satis adulto, nondum decretum Caesaris Numi? Et vero tot supersunt numi M. Aurelii, qui Caesar tantum erat per adoptionem, imperante Antonino Romae signati, et nullum, is signari permiserit in honorem filii per naturam? Denique si permissum est eloqui, quod sentio, non parum mihi videtur suspectus alter hic numus, etsi ejus fides gravi praecone nitatur, cujus exemplar aliud hactenus repertum non est. Nam primum molestiae sunt literae TIP., quas speciosa magis, quam verisimili explanatione legendas censet $\Gamma\iota\omicron\varsigma\ \Pi\omega\upsilon\eta\varsigma$, quod utrum sit pro ejus aetatis ingenio, nempe filium imperatoris dicere *filium Romae*,

persuadere mihi haudquaquam possum. Deinde eum numum vir eruditus vocat Alexandrinum fabricae causis permotus; at cur praeter morem abest annus imperii? Cur in hoc reperitur litera Σ , quae in moneta Aegyptia jam inde a Trajano exulat invecto constante C ? Verum de numi ejus integritate judicium ferant ii, qui viderunt, et cum animi pendent, videre possunt. Interea certum est, numum priorem signaturum fuisse post matris Faustinae excessum, quae in numo velata, et cum appellatione ΘEAC proponitur, et plane verisimile, hunc Galer. Antoninum privato adhuc patre vivere desivisse, quaecumque deinde causa fuit, (nam quot, et quanta sunt, quae ignoramus) quae Graecam civitatem, hujus auctorem numi, impulit, ut cum Augusta mortua filium quoque mortuum in moneta sociaret.

PRETIUM.

Tantum commatis peregrini:

Aenei I. formae.

RRRR.

Aenei II. formae

RRR.

Eorum multi exstant spurii.

M. AVRELIVS ANTONINVS.

Natus Romae, ejus avo Annio Vero II. et Augure cos., seu V. C. 874. *) Kal. Majas b) patre Annio Vero praetore, matre Domitia Calvilla, cui

et Lucillae nomen fuit, c) habuitque amitam Gaeriam Faustina Augustam, cujus deinde filiam Faustina, conso-brinam nempe suam, duxit. d) Nomen

a) Capitolin. cap. 1. Spartian. in Iuliano c. 1.

b) Ibid. et Kalendar. Lambec. d) Capitolin. c. 1.

e) Capitolin. in M. Aurel. c. 6.

ei principio fuit *Annii Veri*, sed ab Hadriano, in cuius gremio patre mortuo educatus fuit, dictus *Annius Verissimus*, nomine hoc altero etiam numis Graecis confirmato, quod docebimus infra in ejus titulis, donatusque sexennio equo publico, et octennis in Saliorum conlegium relatus. ^{a)} Anno aetatis XV. sumpta virili toga subinde per improvisam Aelii Caesaris mortem summae spei admodum coepit. Etenim V. C. 891 Antoninus Pius ab Hadriano adoptatus iustus ipse fuit adoptare Annium Verum nostrum, et L. Ceionium Commodum Aelii Caes. filium, serius Augustum L. Veri nomine. Qui e veteribus dixere, Ceionium Commodum a Marco, non Antonino Pio fuisse adoptatum, falluntur, ut dicitur in L. Vero. Adoptatus pro Annio dictus est *Aurelius*, et secundum insigne marmor Gruterianum ^{b)} ejus, antequam imperium adiret, omnia nomina fuere: *M. Aelius Aurelius Verus Caesar*. De anno, quo uterque est adoptatus, litigant eruditi. Diserte Capitolinus id factum tradit in Antonini consulatu II., et cum Aurelius annum XVIII. ageret, ^{c)} quem tamen locum Calaubonus in codicibus misere depravatum profitetur. Alii istud factum censent vivo Hadriano, et anno V. C. 891, de quo lege disputantem Tillemontium, ^{d)} et in hoc examine abundantem Camillum Silvestrum. ^{e)} Quidquid erit, ejus certe numi ante annum V. C. 892 non occurrunt. Praeter collatum *Caesaris* nomen gratia aetatis facta designatus est quaestor. ^{f)}

V. C. 892 P. X. 139.

CAESAR. QVAESTOR. COS. DES.

AVRELIVS. CAES. AVG. PII.

F. COS. DES. *Caput nudum.*

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput Antonini laureatum, vel nudum.* AB. AE. II. (Mus. Caes.)

Numos hos signatos esse anno hoc, et non praecedente, probatur non tam ex addito COS. DES. (poterat enim designari consul in annum aliquem remotiorem, et non proxime continuum) quam ex Antonini titulo P. P., quem hoc demum anno, neque antea ab eo adoptatum ex numis probabile fit.

V. C. 893 P. X. 140.

CAESAR. COS.

Consulatum inquit cum Antonino cos. III.

AVRELIVS. CAESAR. AVG.

PII. F. COS. *Caput nudum.*

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum* AV. AR. AE. I. II. Numi obvii.

Eadem adversa.

HONOS. *Vir togatus stans d. ramum, f. cornucopiae.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

HONORIS caput jugatum cum capite VIRTUTIS observatur in numis gentium Fusiae, et Muciae, utrumque etiam numen proponitur stans in aversa numorum Galbae. De templo utriusque Romae erecto vide Livium. ^{g)} VIRTUS etiam infra occurret. Praeclara argu-

a) Capitolin. c. 1. et 4. b) Pag. 300. 1. Pium. c) Raccolta di Calogera T. III. p. 23.

e) in Aurel. c. 5. f) Capitolin. c. 5.

d) Nota II. ad Ant. g) L. XXVII. c. 25.

menta in moneta juvenis Caesaris tam ad honorem, quam virtutem in hac aetate ducendi.

Eadem adversa.

IVVENTAS. *Mulier stans d. granum turis candelabro imponit, s. pateram.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

IVVENTAS. S. C. *Vir juvenis succincto habitu stans d. ramum, s. hastam, juxta tropaeum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Iuventas Romanis idem, quod Graecis Hebe, teste vel ipso Tullio haec de ea scribente: a) At poetae quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Iuventatem, aut Ganymedem pocula ministrantem. Idem illi munus impertitur Ovidius: b)

*Nectar, et ambrosiam, laticesque,
epulasque deorum
Det mihi formosa nava Iuventa
manu.*

Sed Graeci Heben juventutis praesidem dixere. Ita Iolaus aevo invalidus cum Eurytheo congressurus

Ἡρακλῆς Ἡβῆν Ζηνὶ ἑ ἡμερῶν μίαν
Νεὸς γενέσθαι.

*Supplicabat Hebe Iovique, ut per diem
unum*

Iuvenesceret. c)

Ades Iuventatis in Circo maximo stetit vota a M. Livio, quo die Asdruba-

lem vicit. d) Sed multo adhuc vetustior jam sub regibus in urbe fuit, jubente Servio Tullio in ea deponi numum ab iis, qui togam virilem sumpserunt. e) Aliud Iuventatis templum statuisse Augustum, ipse de se profitetur in marmore Ancyrano: AEDEM. IVVENTATIS. • IN. PALATIO. FECL. f) Aediculam quoque Iuventae P. Victor in regione VIII. collocat. Constitutos etiam a M. Livio Iuventatis ludos memorat Cicero. g)

Haec Iuventatis in Aurelii moneta inscriptio varie potest accipi, sive quod haec dea ab aetatis statu, ac vigore suo vocata egregie cum praesente Aurelii aetate componitur, sive quod revera Iuventati pro Aurelii salute sacra praestata sunt, qualia exhibet numus prior, praecipue cum teste Felso Pompejo *Iuventatis sacra pro juvenibus sint instituta.* Referrī potest etiam ad Aurelium eo nomine, quod *Princeps juventutis* fuerit, etsi illi istud nomen neque in numis, neque marmoribus, neque, saltem diserte, ab historicis tribuatur. Certe typus juvenis stantis cum hasta adstituto tropaeo, qui exstat in numo ex propositis altero, et in sequentium quoque annorum numis redit, frequens est in numis Caesarum consequentium scripto juxta PRINCEPS. IVVENTVTIS, qui typus, qua ratione ad principem juventutis pertineat, docebimus olim in animadversione ad hunc titulum. In numis, quos proximo quinquennio producemus, habetur IVVENTVS intra coronam explicatione analogā, et in numis pueri Ca-

a) de Nat. deor. L. I. c. 40.

b) de Ponto L. I. eleg. X. v. 11.

c) Euripid. in Hera-

clid. v. 851. d) Liv. L. XXXVI. c. 36.

e) Dionys. Halic. L. IV. p. 220.

f) Tab.

IV. v. 8. g) in Bruto cap. 18.

racallae, etsi jam Augusti, legitur: IV-
VENTA. IMPERII.

Eadem adversa.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.*
AR. AE. I. II. Obvius.

Haec averfa nunc primum in numis Aurelii Caesaris, at frequenter deinceps in numis Caesarum nondum Augustorum typum facit. Ejus instituti ratio inde ab Augusto repetenda, qui adoptatis Caio et Lucio, novisque Caesaribus varia sacerdotia decrevit; quare et in area numorum AV. et AR. utriusque honori dedicatorum, in quibus stans uterque proponitur, adhaerent lituus, et simpvium. Idem institutum in Nerone quoque valuit, qui adoptatus a Claudio, paulo post sacerdos cooptatus est in omnia collegia supra numerum ex S. C., suntque instrumenta pontificalia typus numorum sic inscriptorum. Ex eadem lege Aurelium et Caesarem dictum, et jubente senatu in collegia sacerdotum receptum tradit Capitolinus, quorsum et spectat typus numorum praesentium.

Numi ad hunc annum descripti ad proximum etiam triennium pertinent.

V. C. 897 P. X. 144.

CAESAR. COS. DES. II.

Ipse in annum sequentem consul II., pater Antoninus consul IV. designantur.

AVRELIVS. CAESAR. AVG.
PII. F. *Caput nudum.*

COS. DES. II. *Vir togatus stans d. ramum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Typus exhibet Honorem, de quo supra. Huc spectat aeneus I. formae mu-

sei Caesarei cum eodem typo, et inscriptione hybrida: DESNOS, monetarii incurii vitio concepta, qui cum scalpere intenderet DES. II., finivit prave in NOS, quae sunt postremae literae et HONOS. Ex quo apparet, annum praesentem luxati hujus numi natalis esse.

V. C. 898 P. X. 145.

CAESAR. COS. II.

- A. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS. II. *Caput nudum.*
- B. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*
- C. AVRELIVS. CAES. AVG. PII. F. *Caput nudum.*

Vt lit. B.

COS. II. *typis Palladis, Honoris, Spei etc.* AV. AR. (Mus. Caesar.)

Vt lit. A.

IVVENTVS. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Explicationem averfae vide ad annum V. C. 893.

Vt lit. A.

S. C. M. *Aurelius in lentis quadrigis d. scipionem cum aquila.* AE. I. (Mus. Caes.)

Indicatur hoc typo M. Aurelii processus consularis.

Vt lit. C.

VIRTVS. COS. II. *Figura militaris stans, d. hastam, s. parazonium, s. pede ad eam calcit.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

lungendus numus cum altero inscripto: HONOS, quem proposui ad annum V. C. 893.

Vt lit. A.

VOTA. PVBLICA. *Aurelius et Faustina*

M. AVRELIVS ANTONINVS.

jungunt dexteras intermedia alia figura muliebri. AV. AR. II. (Mus. Caes.)

V. C. 900 P. X. 147.

CAESAR. TR. P. COS. II.

Aurelius suscepta ex Faustina filia a patre tribunicia potestate, et imperio extra urbem proconsulari donatur addito jure quintae relationis. ^{a)})

AVRELIVS. CAESAR. AVG.

PII. F. Caput nudum.

TR. POT. COS. II. *typis Palladis, Spei etc. AV. AR. AE. I. II.*

AVRELIVS. CAESAR. AVG.

PII. F. TR. P. COS. II. Caput nudum.

Sine epigraphie. Hercules nudus d. clavam stans ante untrum, juxta quod jacet Caci cadaver. AE. MM. M. (Mus. Caes.)

Numus hic volumine suo conspicuus jungendus cum aliis similis argumenti, quos in moneta Antonini inter numos antiquitatem Romanam restituentes produxi.

V. C. 901 P. X. 148.

CAESAR. TR. P. II. COS. II.

AVRELIVS. CAESAR. AVG.

PII. F. Caput nudum.

TR. P. II. COS. II. *variis typis, in aliis: HONOS. TR. P. etc. in omni metallo, et forma.*

V. C. 902 P. X. 149.

CAESAR. TR. P. III. COS. II.

AVRELIVS. CAESAR. AVG.

PII. F. Caput nudum, in numis omnis metalli, et formae.

AVRELIVS. CAESAR. ANTONINI. AVG. PII. FIL. Caput nudum, in aeneis.

HONOS. *vel: IVVENTAS etc. cum typis congruis, addito constanter TR. POT. III. COS. II.*

V. C. 903 — 912. P. X. 150 — 159.

CAESAR. TR. P. IV. — XVI. COS. II.

A. AVRELIVS. CAESAR. ANTONINI. AVG. PII. F. Caput nudum, in numis omnis metalli, et formae.

B. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. Caput nudum, in numis omnis metalli, et formae.

Hoc modo inscribuntur numi Aurelii a trib. potestate III. usque X., deinceps:

C. AVRELIVS. CAES. ANTON. AVG. PII. F. Caput nudum, in numis omnis metalli et formae.

D. AVRELIVS. CAES. AVG. PII. F. Caput nudum, in omni metallo et forma.

Antica varia.

CLEM. *addita varia TR. POT. et COS. II. Mulier stans d. pateram, s. pallium adduc't. AV. AR. (Mus. Caes.)*

In numis aliis trita illa: HONOS. — VIRTUS — IVVENTAS. etc.

Memorandus in hujus intervalli numis sequens:

Vt lit. B.

TR. POT. VII. TR. POT. VIII. S. C. *Mulier galeata sedens d. hastam, lumi clypeus. (Spanheim. T. II. p. 432.)*

a) Capitolin.

De fingulari hujus numi epigraphae agetur in doctrina de trib. potestate Vol. VIII.

V. C. 913. P. X. 160.
CAESAR. TR. P. XIV. COS. II.
DES. III.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII.
F. Caput nudum.

TR. POT. XIII. COS. II. addito in nonnullis: DESIG. III. typis Romuli consistoris, Palladio etc. in omni metallo et forma.

V. C. 914. P. X. 161.
CAESAR. TR. P. XV. COS. III.

AVRELIVS. CAESAR. AVG.
PII. F. Caput nudum.
TR. POT. XV. COS. III. Pietas flans utraque manu infanctem tenens, aliis circum adstantibus, vel: Aurelii processus consularis etc. in omni metallo et forma.

Eodem anno.

AVGVSTVS. TR. P. XV. COS. III.
P. M.

M. Aurelio Aug. III. L. Vero Aug. II. cos.

Antonino Pio circiter VII. Martii mortuo imperium suscipit, Commodum ex adoptione fratrem imperii consortem facit, Caesaremque, et Augustum appellat, ei filiam Lucillam despondet, sibi Antonini, fratri suum Veri nomen indit. Praetorianis ob participatum imperium ingens donativum largitur. a)

- A. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. Caput laureatum, vel nudum, in AV. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.
- B. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. Caput laureatum, vel nudum in AE. I. etiam radiatum in AE. II.
- C. IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. Caput laureatum, in AR.
- D. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. Caput laureatum, in AR.

Vt lit. A vel in AE. ut lit. B.

CONCORDIA. AVGVST. TR. P. XV. COS. III. Aurelius, et Verus togati stantes jungunt dexteras. AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Comprobat numus, quod supra dictum, Aurelium patre mortuo sibi continuo sociasse L. Verum, omnibus Augusti honoribus, dempto solo pontificis maximi titulo, eidem delatis, et si soli Aurelio post Antonini excessum senatus detulisset imperium, ut diserte Capitolinus. b) Et vidit imperium Romanum primum duos Augustos aequata potestate summae rei praefectos, cumque istud forte evenisset, ut hoc anno uterque consul esset, hinc factum, ut annus hic deinceps consulatione duorum Augustorum in fastis notaretur. Concordiam, quam numi averfa praedicat, principio inter utrumque constituisse, nequaquam mirum; at quod ea usque ad Veri initium ipsis novem annis in tanta discrepantia incolumis atque integra stetit, istud orbis Aurelii excelsae indoli, et haustus ex philosophia praeceptis ac-

a) Capitolin.

b) in Vero.

ceptum tulit, facile ferentis parem, et fratris vitia dissimulantis, tum vero auctoritate sua, et praeclaro exemplo ejus cupiditatibus frenum injicientis.

Vt lit. B.

LIB. AVGVSTOR. TR. P. XV. COS. III. S. C. Duo imperatores togati sedentes in suggestu adstante Liberalitate, et alia figura infra stante, quae sinum aperit. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Huc pertinet, quod refert Capitolinus: mox (suscepto nimirum imperio) pariter castra praetoria petiverunt, et vicena millia numum singulis ob participatum imperium militibus promiserunt, ceteris prorata. Vide etiam Dionem.^{a)} Quid collatum fuerit in cives, non proditur.

Antica varia.

FEL. TEMP. vel: PROV. DEOR. cum suis typis, addito semper: TR. P. XV. COS. III.

V. C. 915 P. X. 162.

TR. P. XVI. COS. III. P. M.

Iunio Rustico, C. Vettio Aquilino cos.

Volagalēs III. Parthiae rex moto, ut videtur, Armeniae causa bello, victisque primum, qui obstitere, Syriam ipsam invadit, terrorem ubique circumfert. Ad eum reprimendum L. Verus in Syriam proficiscitur, M. Aurelius Romanae subsistit, turbatae item Germaniae irrupentibus Cattis, ac Britanniae prospecturus.^{b)}

A. IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.

B. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. Caput laureatum in AE. I. radiatum in AE. II.

C. M. ANTONINVS. AVG. Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR.

Vt lit. C. in AV. ut lit. B. in AE. I. II.

SALVTI. AVGVSTOR. TR. P. XVI. COS. III. Mulier stans serpentem ab ara adsurgentem ex patera pascit, s. hastam. AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Aurelius cognito, Verum suscepto in Parthos itinere apud Canusium aegrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in senatu votis, quae, posteaquam Romam rediit, audita Veri transmissione statim reddidit. Verba sunt Capitolini in Aurelio cap. 8.

Antica varia.

CONCORD. AVGVSTOR. vel: PROV. DEOR. typis solitis addito TR. POT. XVI. COS. III. in omni metallo, et forma.

V. C. 916 P. X. 163.

TR. P. XVII. COS. III. P. M. IMP. II.

L. Aeliano, Pastore cos.

Vero per Syriae urbes sibi indulgente duces Staius Priscus, et Martius Verus rem strenue gerunt, Armeniam sibi subjiciunt, utrique Augusto Imperatoris titulum pariunt.

a) L. LXXIII. § 8.
(Vol. VII.)

b) Capitolin. in Aurel.

- A. M. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum, in AR.* (Mus. Caes.) Numus testis rei in Armenia prospere gestae, et parti imperatoris tituli.
- B. IMP. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR.* Numi hujus anni reliqui superiorum annorum argumenta repetunt.
- C. M. ANTONINVS. AVG. IMP. II. *Caput nudum, in AR.* (Mus. Caes.) V. C. 917. P. X. 164.
TR. P. XVIII. COS. III. P. M. IMP. II.
Incipit ARMENIACVS.
- D. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum, vel nudum, in AE. I. radiatum in AE. II.* M. Pompeio Macrino, P. Iuventio Celso cof.
- E. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum, in AE. I.* Aurelius Lucillam filiam Vero desponsatam Brundisium usque comitatur, mox in urbem revertitur. Ad eam excipiendam Verus Ephesum procurrit. *) Armeniaci titulum adoptat jam ante a Vero captum.
- Vt lit. E.
TR. P. XVII. IMP. II. COS. III. S. C. *Victoria gradiens. AE. I.* (Mus. Caes.)
- A. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*
- B. M. ANTONINVS. AVG. IMP. II. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*
- C. IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *in subaerato musei Caesarei.*
- D. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum, in AE. I. radiatum, in AE. II.*
- E. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum, in AE. I. radiatum, in AE. II.*
- F. M. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput nudum, in AE. II.* (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

ARMEN. P. M. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. *Armenia moesta humi sedens inter arma patria, s. prorae navis imposita. AV. AR.* (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

VICT. AVG. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. S. C. *Victoria gradiens cum tropaeo, ante cujus pedes Armenia moesta sedens. AE. I.* (Mus. Caes.)

Typi per ipsam aetatis praesentis historiam explicantur, et magis explicabuntur in L. Vero.

Reliquorum numerorum typi obvii.

V. C. 918. P. X. 165.

TR. P. XIX. COS. III. P. M. ARMENIACVS. IMP. II. III.

L. Arrio Pudente, M. Gavio Orfito cof.
Finitur bellum Parthicum hostibus

a) Capitolin.

quaquaverfum victis, et Mesopotamia imperio adjecta, ex quo Aurelius cum Vero Imperator III. dicitur. a)

- A. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.
- B. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. Caput laureatum, vel radiatum, in AE. II.
- C. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. Caput laureatum, in AV. et AR.
- D. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum, in AE. II.

Vt lit. B.

LIBERAL. AVG. TR. P. XIX. IMP. II. COS. III. S. C. Liberalitas stans d. tescram, f. cornucopiae. AE. II. (Mus. Caef.)

Causa erogati hoc anno congiarii non proditur.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XIX. IMP. II. in aliis: IMP. III. COS. III. variis typis in AV. et AR.

Vt lit. D.

TR. POT. XIX. IMP. II. in aliis: IMP. III. COS. III. S. C. variis typis. AE. II.

ARMEN. AVG. etc. ut ad annum praecedentem. AR. (Mus. Caef.)

V. C. 919. P. X. 166.
TR. P. XX. COS. III. P. M. ARM. IMP. III.

Q. Servilio Pudente, L. Fufidio Pollione cos.

L. Verus ex Oriente redux cum M. Aurelio de Parthis triumphat, uterque Parthici Maximi, Medici, A imperatoris IV. titulos capit, b) an etiam patris patriae, infra in hoc titulo disputabitur. De adscito nomine Medici infra quoque sub hoc titulo agetur. Ad bellum Marcomanicum jam priore anno coeptum se accingit uterque impetator.

A. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. Caput laureatum, in AE. I.

B. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. Caput laureatum, in AV. et AR.

C. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. Caput laureatum, in AE. II.

Vt lit. A.

CONG. AVG. III. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III. S. C. Duo imperatores sedentes in suggestu hinc Liberalitate, illinc alia figura adstantibus, et alia per gradus adscendente. AE. I. (Mus. Caef.)

Hujus quoque congiarii non meminere veteres, sed praebitum haud dubie est occasione Veri incolumis reversi, et belli Parthici feliciter confecti. In numis L. Veri ejusdem anni est LIB. AVG. III.

a) Tillemontius ad hunc annum, et numi,

b) Capitolinus, et numi.

Vt lit. B.

PAX. AVG. *vel*: VICT. AVG. TR. P. XX. COS. III. *cum typis congruis*. AV. AR. (Mus. Caes.)

• Victoriā Parthicā, et secutam inde pacem celebrant hi numi.

Alii numi obvii inscripti: TR. POT. XX. IMP. VI. etc.

Eodem anno:

incipit PARTH. MAX. MEDIC. IMP. IV.

A. M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

C. M. ANTONINVS. AVG. PARTH. MAX. MEDIC. *Caput laureatum, in AE. I. singulari de quo mox.*

Vt lit. A. et B.

TR. P. XX. IMP. III. COS. III. *Victoria stans d. palmam, s. clypeum, cui inscriptum: VIC. PAR., super palmae trunco tenet.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

PAX. *vel* VICT. AVG. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III. *cum suis typis.* AV. AR. AE.

Vt lit. C.

TR. POT. XX. IMP. III. COS. III. S. C. *Vterque imperator ramum prætendens in curru triumphali.* AE. I.

Insignem hunc spectata utraque facie numum, atque hactenus unicum ex mu-

seo Pelleriniano addito altero simili, sed cum imagine conlegae Viri, protulit, et erudite explicavit Belleyus. ^{a)} Anticam summi pretii facit additus titulus MEDICI, quem utrique praeter alios ob captam eodem bello *Mediam* senatu decretum tradit Capitolinus, et confirmant marmora, at numi hactenus reticuerunt. Aversa quoque ad historiam illustris. Nam actum hoc anno ab utroque Augusto triumphum Parthicum facili quidem conjectura ex scriptoribus poterat elici, de quo nunc numus praefens dubitare non sinit. Vtramque numi partem egregie illustrat Capitolinus: ^{b)} *pariter cum fratre triumphavit susceptis a senatu nominibus, quae in exercitu acceperat, et infra: habuit hanc reverentiam Marci Verus, ut nomina, quae sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quem pariter celebrarunt.*

V. C. 920. P. X. 167.

TR. P. XXI. COS. III. P. M. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV.

Exspirat MEDIC.

L. Vero III., Quadrato cof.

Gravia hoc tempore imperii incommoda, primum a peste, quam Capitolinus a Vero ex Oriente illatam scribit, at nunc funeribus orbem replevit, alterum a Marcomannis, Quadis, Victoralis, ac toto fere Septemtrione. Vterque imperator ad id bellum periculo Punicis par paludatus exit. ^{c)}

M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, in omni metallo et forma.*

a) B. L. T. XXV. hist. p. 82.

b) in Vero.

c) Capitolin. Dio, Eutropius.

CONG. AVG. IIII. TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. S. C. *Duo imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas, alia figura per gradus ascendente.* AE. I. (Mus. Caes. Theupoli.) Perperam Vaillantius in simili legit IMP. III.

Tanto gratior populo haec liberalitas exstitit, quod circa istud tempus gravi fame pressus fuit, ut refert Capitolinus. ^{a)} Distributum ergo hoc congiarium praesentibus adhuc in urbe Augustis.

Eadem adversa.

TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. *Vterque imperator d. ramum in quadrigis triumphalibus praecedente milite cum labaro; pone quatuor bajuli ferculum gestant, super quo tropaeum, et duo captivi sedentes.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Recolitur in hoc numo memoria triumphi Parthici, anno superiore acti. Praesentis numi pretium auget typus triumphi locupletior,

Eadem adversa.

VOTA. TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. S. C. *Imperator togatus ad aram sacrificat.* S. C. (Theup. Mus. Caes.)

Sunt haec haud dubie vota suscepta ad evertenda ingentia mala, quae tum imperium obsedere. *Tantus*, inquit Capitolinus, ^{b)} *terror belli Marcomannici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus acciunt, peregrinos ritus impleverit, Romanam omnem generis lustraverit, retardatusque a bellica projectione sit.* - - - *Tanta*

autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata. His seu periculis, seu malis in hostiarum caede remedium religiosus imperator quaesivit, quas tanto numero immolari iussit, ut boves albi epistolium Caesari in hanc sententiam mitterent. ^{c)}

• Οἱ τοὺς οἱ λευκοὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι
Χαίρειν.

• Ἦν δὲ σὺ νικησῆς, ἀμμεὺς ἀπώλομεθα.
Boves albi Marco Caesari salutem.

Sin tu viceris, nos perivimus.

Iam vero et olim propter eandem causam optasse tauros, et vitulos, ne Augustus ex peregrinatione salvus rediret, refert Seneca. ^{d)}

Similia qui legit, perdetur animi, neque rationem reperiet, qua Aurelii philosophiam tantopere omni aevo jactatam cum hac ejus superstitione, quae consilio, ac sanae menti *ἔρασιον ὄσον* adversatur, possit componere. Atque multo is magis mirabitur, cum eum ipsum palam professum legerit, diis se debere, quod per infomnia remedia sibi fuerint indicata cum alia, tum adversus sanguinis excreationem, et capitis vertiginem, ^{e)} aut cum apud Lucianum legerit, ^{f)} passum eum fuisse in bello Germanico binos leones in Istrum demergi, certa inde victoriae spe, suppeditante ex ultima Paphlagonia consilium Alexandro, quem philosophiae adminiculo, quod serius patuit, agnoscere impostorem facile poterat. Inter hos alienati animi

a) in Aurel. c. 13. b) in Aurel. c. 13. c) Ammianus L. XXV. c. 5. d) de Benefic. L. III. c. 27. e) εἰς ἑαυτὸν L. I. sub fin. L. IX. § 27. f) in Meudomant.

errores an agnoscimus Aurelium illum, qui in commentariis suis exigit, ut quis sit *deorum cultor absque tamen superstitione*, θεοσεβης χωρις δεισιδαιμονιας, ^{a)} qui a Diogneto se didicisse profitetur το ἀπιστητικον τοις ὑπο των τερατευομενων και χορητων περι ἐπρωων, και περι δαιμονων ἀποπομπης και των τοιςτων λεγομενοις, *non habere fidei iis, quae portentorum praesigiarumque doctores de incantamentorum daemouumque depulsione, et quae sunt id genus alia, in vulgus efferunt*, ^{b)} qui legem ipse tulit, *ut in insulam relegarentur, qui aliquid facerent, quo leues hominum animi superstitione numinis terrerentur*. ^{c)} Qui animam hominis esse immortalem, aut plane dubitavit, ^{d)} aut diserte negavit, ^{e)} idem tamen magistrorum suorum sepulcra hostiis honoravit. ^{f)}

At vero si hunc animi habitum cum sana philosophia posse consistere incredibile videtur illi, qui, quod nos hodie facimus, veterem auspiorum, oraculorum, prodigiorum vanitatem ridet, is quaelso reputet, ipsum horum exercitium tum cum causis religionis fuisse connexum, atque ut P. Clodius, Lucretius, Lucianus, qui auspicia, et a diis metum riserunt; dicti fuere impii, sic contra pios, qui haec omnia probavere. Quod si quis fuit animo paullo magis tenero, diisque suis indulgentior, contingere pronum fuerat, ut nonnullorum iudicio excedere justae pietatis fines videretur. An vero etiam tum continuo superstitionis reus putandus? Quis enim in omni antiquitate censoria sua virga ausus est definire: *hactenus sincera reli-*

gio; quod ultra est, superstitio habetur? Quo quidem in arbitrio verorum limitum ignoratione tantum fluctuavit antiquitas, quantum in admittendis, repudiandisve religionis nostrae cultibus non raro hodieque fluctuamus ipsi, tam saepe incertis olim et nunc causae hujus finibus, quam non semper satis est exploratum, ubi desinat liberalitas, parsimonia, cautio, ubi deinde succedat prodigalitas, avaritia, ignavia. Accedit, quod omni aevo humana ratio incredibili stupore, et post tot seculorum experimenta nondum depulso, quod recte factum est, quod inique, ex fortuitis rerum eventis solet metiri. In Nicia Atheniensium duce superstitionem culpavit antiquitas, quod religione lunae tum forte deficientis veritus est movere castra, atque inconsulto hoc angustae mentis proposito semetipsum ac patriam perdidit. Eadem in P. Clodio culpavit impietatem, quod pullos tripudium solistimum averfatos ad potum damnavit, ac mox cladem mari perpeffus rem Romanam adflixit. Vicisset Nicias, non illum superstitosum dixisset fama, sed debzrum monitis recte obsecutum; vicisset Clodius, ac tum ille non impius, sed pullorum fastidium prudentia castigasse fuisset creditus. Quapropter si vigentibus tum adhuc patrii cultus institutis, atque in illo opinionum publicarum conflictu nonnunquam a se ipso disside-re bonus Aurelius est visus, sive quod naturalis ejus in deos suos pietas, et primaeva institutio, quae etiam cordatissimum quemque raro plene deserit,

a) εἰς ἑάντων L. VI. § 30. b) Ibid. L. I. § 6. c) Paulus Digg. L. XLVIII. tit. 19. de poenis lib. 30.
d) εἰς ἑάντων. L. III. § 3. L. IV. § 21. L. VI. 24. e) Tzetzes Chil. VII. 147. et Chil. VIII. c. 180. f) Capitolin, in Aurel. c. 3.

animum fortius impulere, sive quod causa reip. necessè visum, plusculum communi eorum temporum sensui tribuere, sive denique quod summi etiam viri, ex quo se homines norint, aliquam habent admistam dementiae particulam, non illi nos propterea negabimus philosophi nomen, nisi illud negare quoque velimus Iustino martyri longo illi saeculorum usu tributum, quia suo in Christiana sacra adfectu longius abreptus carminibus Sibyllinis, Simonis magi miraculo, LXX. interpretum jactatae concordiae, regno millenario, malorumque daemonum perpetuis occurribus praeliisque fidem habuit, ut praeteream tot viros alios, quos maxime philosophos aut vetus, aut recentius aevum celebrat.

An vero hac nostra aetate, qua philosophiae nomen omnium ore ac sermonibus circumfertur, meliorem esse putamus divinae ejus scientiae, quae sola est mentis, rationisque humanae magistra, conditionem? Non verisimile istud modo, sed plane necessarium videatur, nostrum aevum prae vetere illo recte sentiendi judicandique facultate excellere, cui non vetustatis modo, sed sequentium etiam temporum suppetunt exempla, cui artium omnium perfectio, historiae naturalis multo liberalior cognitio, aperti cum remotissimis gentibus commeatus, et id genus alia, amplissima ad ingenii judicijque culturam, erendumque verum attulere subsidia. Atque hae tantae opportunitates an satis adhuc ad parandam tuendamque mentis sanitatem profuere? non hercle apud eos, quorum infelix examen inde ab aliquot annis pullulare conspeximus,

qui non contenti remediis ordinariis, quae auctor generis humani ad vitam recte beateque agendam praescripsit, alium orbem extra rerum naturam positum rimantur et explorant, manes ab inferis evocant, animum ad motus contactus lenociniis, et medicato somno a corpore avellunt, omnes praestigias, mysteria, arcanae virtutis modos, quos fraudulenta, aut cerrita ingenia in commentarios retulere, solerter investigant, ex quorum omnium consiliis monitisque caperent praescientiam futuri, artem reparandae valetudinis, aut rei familiaris, et quaecunque nosse inconsulti hominum animi sua interesse putant. An istud sapere est, ac non potius supra quam credi potest, insanire, ac laborare morbo, quem tota Anticyrarum horrea non sanabunt? Quid prodest, nascentis philosophiae ope exemptos tandem ex hominum animis gravissimos errores, sublata judicia per ignem et aquam, contempta fortilegia, et astrorum in mentes humanas gravia imperia, extinctos sagarum rogos, demptos inanes metus, quos creditae lemorum larvarumque *ἐπιφανεῖαι*, et nocturni strigium circuitus ingenerabant, et quaecunque alias fallacias praecedentium saeculorum caligo invexit, si eiusdem naturae monstra alia, ac prioribus multo pestilentiora in hominum societatem admittuntur?

At quorsum ego ista disputo, quippe ab instituto meo aliena? quasi vero ea contagio, quae alias plerasque disciplinas corruptit, rei nostrae antiquariae pepercisset. Quis enim ignorat novum hominum genus, qui monumenta veterum non sensu communi, intelligo, te-

Simonis scriptorum, exploratis sacris profanisque populorum institutis, tum et vario opinionum, studiorum, affectuum habitu, symbolorum cognita significatione explicare amant, sed uno mysteriorum, allego-riarum, et doctrinae mysticae adminiculo, tanquam veriora essent, quae divinamus, quam quae oculis percipimus, et veterum arte facta non essent nisi aenigmata, griphi, et oraculorum responsa a Sphinge quapiam, aut Apolline dictata. Nimirum ut non defuere novi Platonici, qui puram, limpida[m], et ex unius naturae fontibus ductam Socratis philosophiam infaustis suis commentis reddere obscuram impeditamque adlaborabant, sic et disciplinae nostrae fatale fuit, existere aliquando homines, quibus turpe videtur, parumque humano ingenio dignum, non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem, nimirum ut speciosa dehinc miracula promant, quasi vero, qui Harduini deliria jam odimus, istorum insomnia, et vecordiam amemus. *) Quod si usque adeo fastidiunt illud omne, quod suapte clarum est, atque perspicuum, et nonnisi umbris et caligine ob-

lectantur, habent illi materiam fe-
dignam, ac numero varietateque infinitam lapides illos, quos Gnosticos, Basilidianos, Mithriacos vocamus, quorum et inscriptiones et imagines mysteria sunt, et luculenta corruptae mentis humanae testimonia. Has illi glandes in pabulum sectentur, nostras coenarum venustates ac lautitias non adrodant. Atque ut ad Aurelium nostrum revertar, etsi in aliis fluctuasse, in aliis excelsisse modum videri possit. quod utrumque aetatis potius vitium putandum est, quam suum, tamen cum bellis his nostri aevi philosophis comparatus, quam ille hos omnes plano suo solidoque iudicio post se relinquat, facile intelligimus. Plura praestantis ejus philosophiae argumenta vide infra ad annum V. C. 933.

V. C. 921. P. X. 168.

TR. P. XXII. COS. III. P. M. ARM.
PARTH. MAX. IMP. IV. V.

T. Iunio Montano, L. Vettio Paulo cos.

Barbari Augustorum adventu, et immani belli apparatu territi pacem petunt, quam L. Verus victus belli tae-

*) Audiamus in hac causa sententiam Raspii, non ab eruditione magis, quam perpurcato iudicio mihi cumprimis probati: (*A descriptive Catalogue of engraved Gems pag. 725.*) *It is, inquit, but two years since, that, in the face of the Royale Academy of Painting, there has been published here in London a new and very voluminous edition of the compilation of Cesare Ripa, amply augmented with the dreams of ancient and modern poets. . . . What will become of art and allegory, if some speculator of Pater - noster - Row encouraged by his unmerited success, (truly fatal tho the arts) on purpose to render that book still more voluminous, shall one day add the allegorical and symbolical dreams of Madhouses, Alchymists, Freemasons, the Illuminats, the Mystical Theosophs of every kind, and more especially the Swedenborgians, who, by a dream, metaphysical enough of their Prophet: Clavis hieroglyphica arcanorum per vim repraesentationum, et correspondentiorum, ab Em. Swedenborg, Londini 1784, pretend to have found a master - key to modern and ancient hieroglyphics, or rather a key, which not only opens to them the gates of the new Ierusalem, but likewise shews them luce meridiana clarius, that this visible world is not at bottom, either in the whole or in all its parts, but a type of the Spiritual World, and that there is a natural and mysterious correspondence between the ideas and their objects?*

dio, et desiderio vitae remissioris acceptandam suadet. Ea causa Tillemontius opinatur, Aurelium, postquam Italiae securitati satis provisum esset, cum Vero exeunte adhuc anno superiore Romam regressum. Sed incassum ex Capitolini omnia turbantis tenebris lucem requirimus. Istud certum, sive duravit id bellum saltem ex parte, sive jam nunc recruduit, utrumque imperatorem hoc anno *imperatoris* titulum auxisse.

M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum in omni metallo, et forma, in AE. H. etiam radiatum.*

TR. P. (in aliis POT.) XXII. IMP. III. COS. III. *typis variis in omni metallo, et forma.*

Eadem adversa.

TR. P. XXII. IMP. III. COS. III. *Duae Victoriae tenentes lauream, intra quam: S.P.Q.R. VIC. PARTHICAE., infra Parthus sedens. AE. max. mod. (Mus. Albani.)*

Eadem adversa.

FORT. RED. TR. P. (vel POT.) XXII. IMP. V. COS. III. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

Ex his numis colligi posset, utrumque Augustum revera in urbem reversum. At enim eadem *Fortuna redux* occurrit etiam in numis anni sequentis, et aliorum.

V. C. 922. P. X. 169.

TR. P. XXIII. COS. III. P. M. ARM. PARTH. MAX. IMP. V.

Q. Sosio Prisco, P. Caesio Apollinare cos.

Aurelius, sive nunc demum urgente

Vero in urbem redux, sive quod censet Tillemontius, altera expeditione cum Vero ex urbe in Germanos profectus, sed per pestis faevitiem redire coactus prope Altinum Venetorum Verum eadem secum lectica vectum ex apoplexia amittit. ^{a)} Ejus corpus Romam deferret, et consecrat, et exeunte anno iter in Germaniam ingreditur. (V. numos sequentes.)

M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum in AV. AR. AE. in AE. H. etiam radiatum.*

FORT. RED. TR. P. XXIII. IMP. V. COS. III. *Fortuna sedens in AR. et AE. I. (Mus. Caes.)*

Eadem adversa.

TR. P. (in aliis POT.) XXIII. IMP. V. COS. III. *Aequitas sedens, AR. AE. I. II.*

Mortuo Vero cessant tituli ARMENIACI et PARTHICI MAXIMI.

M. AVREL. ANTONINVS. TR. P. XXIII. *Caput laureatum.*

DIVVS. VERVS. *Caput nudum. AE. I. (Vaill.)*

Legendum esse in hoc numo TR. P. XXIII., non, ut legit Vaillantius, TR. P. XXII., probabo infra in numis divi Veri.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIII. *Caput laureatum.*

LIBERAL. AVG. V. COS. III. *Liberalitas stans. (Mus. Caes.)*

Praecone hoc numo suas iterum opes erogavit Aurelius, antequam ad bellum

a) Capitol. Galenus *περι των ιδιων τελευτων.* (Vol. VII.)

exiret, quod institutum ante biennium quoque tenuit.

*Eadem * * **

PROEFCTIO. AVG. COS. III. S. C.

• *Imperator eques d. hastam praecedente milite, tribus sequentibus.* AE. fere max. mod. (Mus. Caes.)

Insigni hoc numo notari nequit profectio, quam Aurelius ex Tillemontii sententia anni hujus principio cum fratre in Germaniam instituit; nam quamdiu is in vivis erat, titulis Armeniaci et Parthici constanter usus est, qui defunctus in hoc numo, quosque eo mortuo, tanquam uni Vero iure debitos, ultro abiecit, ut numi plene docent, atque infra in his titulis uberius confirmabo. Mirum etiam videretur, si ad utriusque Augustii profectioem numus pertineret, unum tantum Augustum equitem in eo exhiberi. Intelligitur ergo altera profectio ab Aurelio solo post fratris excessum in Germaniam suscepta. Sed patet etiam ex hoc numo, eam profectioem a Tillemontio plus iusto differri, cum ait, exivisse Aurelium ante diem VII. Martii anni P. X. 171., cum tamen tribunatus XXIII. Aurelii huic numo inscriptus, quo labente ex numi hujus indicio haec profectio contigit, saltem in mea sententia, ne quidem in annum sequentem 170 porrigatur, ut in Aurelii trib. potestate disputabimus. At enim numus praesens ignotus fuit Tillemontio, notus vero solum ille, qui eandem ejus profectioem cum tribunatu XXIII. memorat, qui revera in Tillemontii sententia usque ad diem VII. Martii anni

P. X. 171 durat. Igitur ex praeclari hujus numismatis praeeptō maturandum ejus iter, sic ut videatur exeunte hoc anno iter in hosticum susceptum.

*Eadem * * **

RESTITVTORI. ITALIAE. IMP. V. COS. III. S. C. *Imperator paludatus stans mulierem turritam in genua prolapsam, et s. globum tenentem subleuat.* AE. I. (Mus. Farnes.)

Nimirum *Restitutor Italiae* dicitur per depulsum ab regione orbis terrarum principe periculum, quod ei a rebellibus Germanis impendebat.

*Eadem * * **

COS. III. *vel:* FELICITAS. AVG. COS. III. *vel:* SALVTI. AVG. COS. III. *cum suis typis, in omni metallo, et forma.*

V. C. 923. P. X. 170.

TR. P. XXIV. COS. III. P. M. IMP. V. M. Cornelio Cethego, C. Erucio Claro cos.

Bellum cum Marcomannis omni vigerit gravibus per intervalla acceptis incommodis, omnibus superstitionis adimniculis saepe frustra arcessitis, inutili etiam illo, quod suavit Alexander Abonuticheos Paphlagoniae propheta, ut dictum supra ad annum V. C. 920. Rara propter pestilentiae vim juventute servos et exules ad arma vocat, et exhausto aerario pretiosam palatii suppellectilem vendit. ^{a)} Carnuntum Pannoniae superioris belli sedem deligit. ^{b)}

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIII. *Caput laureatum.*

a) Capitolin.

b) Eutrop.

VICT. AVG. COS. III. *Victoria gradiens d. lauream, f. tropaeum.* AR. AE. II.

Videtur verisimile, Aurelium ex victoria hac, quam generatim enunciat numus, dictum imperatorem VI., et si ex numis istud probari nequeat. Nam universim imperatoris titulus ex anni hujus moneta abest, dempto unico aeneo I. formae apud Vaillantium, sed quem non dubitem prave descriptum: LIB. AVG. VI. TR. P. XXIV. IMP. VI. COS. III. Liberalitatem Aug. VI. videmus ad annum denique V. C. 923.

Eadem aduersa.

COS. III. *vel:* FORT. RED. COS. III. *vel:* PROfectio. AVG. COS. III. *vel:* SALVTI. AVG. COS. III. *cum typis solitiis.*

V. C. 924. P. X. 171.

TR. P. XXV. COS. III. P. M. IMP. VI. L. Sept. Severo II. L. Alfidio Herenniano *cos.*

Vota prima decennalia solvuntur:

- A. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. *Caput laureatum in omni metallo, et forma, in AE II. etiam radiatum.*
- B. IMP. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. *ut in prioribus.*

Vt lit. A.

IMP. VI. COS. III. *Victoria stans clypeum ex palmae trunco suspensum tenet, cui inscriptum:* VIC. GER. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PRIMI. DECENNALES. COS. III. *intra coronam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SOL. DECENN. COS. III. *Imperator velatus stans d. pateram ad tripodem sacrificat.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SVSCEP. DECENN. II. COS. III. *Idem typus.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Exeunte hoc anno Aurelii primo decennio vota decennialia soluta sunt, et pro more suscepta alia in proximum decennium, de quo instituto distinctius agetur alibi.

V. C. 925. P. X. 172.

TR. P. XXVI. COS. III. P. M. IMP. VI. *Incipit GERMANICVS in averfa numorum.*

Maximo, Orfito cos.

Aurelio ex victoriis in Germania partitis *Germanici* titulus accedit testibus numis. Vide de hoc infra sub hoc titulo.

- A. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVI. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. in AE II. etiam radiatum.*
- B. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in Quin. musei Caes.*

Vt lit. A.

COMMODOVS. CAES. GERM. ANTONINI. AVG. GERM. FIL. *Caput Commodi nudum.* AE. max. mod. (Mus. Albani)

Vt lit. A.

GERMANICO. AVG. IMP. VI. COS. III.

S. C. Tropaeum cum captivo sedente. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

IMP. VI. COS. III. variis typis in omni metallo, et forma; inter hos insignior:

Imperator paludatus stans d. fulmen, s. hastam coronatur ab adstante Victoria.

AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICT. GERM. IMP. VI. COS. III. Victoria in quadrigis triumphalibus. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vt lit. A.

VIRTUS. AVG. IMP. VI. COS. III. S. C.

Pons navalis, super quo incedit imperator sequentibus militibus cum signis militaribus. AE. I. (Mus. Caes.)

Fluvius, in quo pons hic factus, haud dubie est ipse Danubius, propter quem magna pars belli gesta, et refert Capitolinus, Marcomannos ab Aurelio in ipso transitu ejus fluminis fuisse delatos.

V. C. 926. P. X. 173.

TR. P. XXVII. COS. III. P. M. IMP. VI.

M. Aurelio Severo II. T. Claudio Pompeiano cof.

Subactam per repetitas victorias Germaniam docent numi.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P.

XXVII. Caput laureatum.

GERMANIA. SVBACTA. IMP. VI. COS. III. S. C. Germanus moestus sedens juxta tropaeum. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

GERMANICO. AVG. IMP. VI. COS. III.

S. C. Tropaeum, juxta quod stans captivus manibus retro ligatis, et alter moestus sedens. AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

RELIG. AVG. IMP. VI. COS. III. S. C.

Templum quatuor Hermis suffultum, in cuius epistylis testudo, gallus, aries, caduceus, galea alata, crumena, intus Mercurius stans d. pateram, s. caduceum. AE. I.

In aliis: Mercurius eodem modo stans sine templo. AE. II.

In aliis: Idem stans d. crumenam, s. caduceum, pro pedibus gallus. AE. II. (Sunt omnes in museo Caes.)

Inusitata hactenus in numis epigraphae

RELIGIO AVG., atque ethi satis constat,

fuisse Aurelium religioni ad superstitionem usque deditum, ut ad annum V. C.

920 ex Capitolino docui, tamen non

perinde explicata ratio, cur ad contem-

standam ejus religionem ex tanto deo-

rum agmine unus selectus sit Mercurius.

Removit difficultatem testimonio suo

Diodorus Siculus narrans, *) Mercuri-

um in Aegypto τὰς τῶν θεῶν τιμὰς, καὶ

θυσίας διατάξαι, deorum cultum, et sacri-

ficia ordinasse. Addit mox infra, Osirin

in conscribendis sacrorum legibus Mer-

curii potissimum consiliis usum. Qua-

propter cum Aurelius religionis amo-

rem profiteri voluit, apposite Mercuri-

um intulit, qui religionis auctor est ha-

bitus. Neque aliam ob causam in numis

Decii, et filiorum juxta signum Mercu-

rii scriptum videtur PIETAS. AVG. Na-

men ex privato principum arbitrio pe-

penderit, feligere numen, in quod re-

ligionis honorem mallet conferre. Sa-

ne in numis Valeriani RELIGIO. AVGG.

a) L. I. c. 16.

sociatur cum Diana venatrice. Pagius commemorato numo simili, sed cum TR. P. XXVIII., inscriptione RELIG. AVG. et typo Mercurii adludi putat ad mirabilem illam pluviam, de quo mihi ad annum sequentem sermo; nimirum testante Xiphilino ex Dione, ^{a)} Marcum hanc pluviam Mercurio, cujus cultui addictus fuerat, acceptam tulisse. ^{b)} Perperam. Non enim narrat Xiphilinus, Marcum aut Mercurio impensius fuisse deditum, aut ejus beneficio aquas coelestes imputasse, sed narrat tantum, Arnuphin quendam magum Aegyptium, qui cum Marco erat, Mercurium praesertim aerium invocavisse, ac per eum pluviam elicuisse. Deinde Mercurio horum numorum nihil esse commune cum eo pluviae miraculo, eo est manifestum, quod haec averfa in numis anni praesentis exstat, illa autem pluvia anno primum sequente cecidit. Ceterum numi praesentes operis sunt perelegantis, signis quoque minutis, quae nota sunt Mercurii attributa, in templi epistyllo nitide expressis, sed quae tantum in numis profus integris possunt discerni.

Eadem adversa.

VICT. GERM. IMP. VI. COS. III. S. C. *intra coronam.* AE. I. II. In alio, sed sine S. C. *Victoria in lentis quadrigis.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

V. C. 927. P. X. 174.

TR. P. XXVIII. COS. III. P. M.

IMP. VI. VII.

Gallo, Flacco Corneliano cos.

Ingens prodigium, et copiosis veterum testimoniis celebratum, dum Romanorum exercitus a Quadis obsessus, et siti ad extrema deductus leni pluvia recreatur, hostibus interea procella, et fulminum terrore percussis, et disiectis, cujus facti memoriam conservat quoque exstans Romae columna cochlis M. Aurelii. Id beneficium scriptores ethnici benevolentiae suorum deorum, Christiani precibus legionis Melitenes ex Christianis conflatae, ac propterea *Fulminatricis* dictae acceptum tulere, de quo vide Tillemontium copiose, et adcurate disputantem. Patratum fuisse istud, ut fama tulit, miraculum anno praesente, docet primum Eusebius in Chronico, deinde Xiphilinus, qui ex Dione refert, Aurelium ex hac victoria ope coelesti parta dictum *imperatorem VII.* ^{c)} Sed et numi hunc titulum hoc anno renovatum docent. Romam revertitur Aurelius teste numo.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P.

XXVIII. *Caput laureatum.*

ADVENTVS. AVG. IMP. VI. COS. III. *Imperator paludatus d. hastam, s. tropaeum super humero arcum triumphalem intrat, praecedunt duo vexillarii, sequitur Victoria imperatorem coronans, pone templum, et ara.* AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Certum hic numus testimonium praebet, Aurelium hoc anno in urbem reversum, quod reticent historici. Videtur tamen paullo post iter in Germaniam relegisse.

Eadem adversa.

a) L. LXXI. § 8.

b) Crit. Baron, ad ann. V. C. 927.

c) L. LXXI. § 10.

IMP. VI. COS. III. *vel:* GERMANIA. SVBACTA. *vel:* MARTI. VICTORI. *vel:* VICT. GERM. *vel:* RELIG. AVG. *addito in omnibus* IMP. VI. COS. III. *typis jam cognitis*, in omni metallo, et forma.

Eadem aduersa.

IMP. VII. COS. III. *typis variis*, numi copiosi in omni metallo, et forma.

V. C. 928. P. X. 175.

TR. P. XXIX. COS. III. P. M.

IMP. VII.

Calpurnio Pisone, M. Salvio Iuliano cos.

Attritis jam fere quaquaversum barbaris, et ad pacem compulsis Aurelius Germanici titulum, mox etiam Sarmatici cum elogio imperatoris VIII. suscipit. Quo minus belli reliquias praefens ipse conficeret, obstitit Avidii Cassii in Oriente rebellio, qui clarus militia, et disciplina in castris ad crudelitatem usque exercita, rebusque in Armenia, et Aegypto praeclare gestis imperatorem se appellat. Re intellecta Aurelius filium Commodum arcessit, dataque ei toga virili in Orientem adversus Cassium proficiscitur, sed qui interea a suis perimitur: Per iter Faustina uxorem in radicibus Tauri amittit. ^{a)}

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIX. *Caput laureatum.*

IMP. VII. COS. III. *typis variis.* AR. *vel:* ANNONA. AVG. IMP. VII. COS. III. S. C. *typo modii.* AE. II. *vel:* *Victoria sedens inscribit clypeo:* VIC. AVG. AE. max. mod. (Theup.)

Eodem anno:

incipit GERM. in antica numorum.

M. ANTONINVS. AVG. GERM. TR. P. XXIX. *Caput laureatum.* IMP. VII. COS. III. *variis typis*, (Mus. Caes.) LIBERAL. AVG. VI. IMP. VII. COS. III. *Liberalitas stans.* AV. AR. AE. I. (Sunt omnes in museo Caesareo.)

Eadem Epigraphe. Caput radiatum.

LIBERALITAS. AVG. VII. IMP. VII. COS. III. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II. (Mus. Caes.)

Duplicem hanc liberalitatem VI. et VII. hoc anno in Commodi gratiam fuisse exhibitam, dicam infra in numis Commodi ad hunc annum.

Eodem anno:

incipit SARMATICVS IMP. VIII.

A. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
B. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARMATICVS. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

Vt lit. A.

TR. P. XXIX. IMP. VIII. COS. III. *variis typis, vel:* FORT. REDVC. *vel:* SECVRIT. PVB. *addito in his:* TR. P. XXIX. IMP. VIII. COS. III. *typis propriis.* AR.

Vt lit. B.

TR. P. XXIX. IMP. VIII. COS. III. S. C. *variis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

a) Dio, Capitolinus, Vulcatius in vita Avidii Cassii.

De titulis *Germanici, Sarmatici, Imperatoris VIII.* vide infra in singulis his articulis.

V. C. 929. P. X. 176.

TR. P. XXX. COS. III. GERM. SARM. IMP. VIII.

Incipit forte hoc anno titulus P. P.

T. Vitrasio Pollione II. M. Flavio Apro II. cof.

Aegyptum, et Syriam invisit, Antiochenos, quod Calsio pertinacius adhaerere, ornamentis, sive privilegiis exuit, redux perlustratis Athenis Brundisium appellit, die XXIII. Decembris cum filio Commodo de Germanis, et Sarmatis triumphat. a)

A. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. XXX. *Caput laureatum, in AE. I.*

B. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARMATICVS. *Caput laureatum, in AE. I. et II.*

C. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum, in AR. et AE. II.*

Vt lit. B* vel C.

TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. *typis variis, in AR. et AE.*

Antica varia.

CLEMENTIA. AVG. *vel: PAX. AVG. vel: SECVRIT. PVB. addito in omnibus* TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III.

Vt lit. C.

DE. GERM. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Tropaeum, juxta quod captivi lumi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

Primus hic est numus, qui sero tan-

dem *Patris Patriae* titulum prodit. De hoc numismate copiosius agam infra sub hoc titulo, quo ejus primum capti tempus propius definire conabor.

Vt lit. C.

FORT. DVCI. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. *Fortuna sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

• Numum hunc in catalogis Mediobarbi, Vaillantii, Gelsneri praeteritum video, quin neque in indice Mediobarbi Fortunam *ducem* memorari, etli *reducem* frequentissime. Ac propterea cum primum numum hunc viderem, monetarii sphalma suspicabar. At cum serius similes bini alii museo Caesareo accederent, absolvendus sane fuit monetarius. Ergo etiam *Fortunam ducem* numis habemus stabilitam, et mirum profecto, tam parce ejus fieri mentionem, cum neminem esse existimem, qui non Fortunam *ducem* praee *reducem* malit. Vulgato exemplo hanc quoque dedit imperium Commodi in numo, quem dabimus ad annum V. C. 939.

V. C. 930. P. X. 177.

TR. P. XXXI. COS. III. P. M. P. P. GERM. SARM. IMP. VIII.

Commodo Aug., Quintillo cof.

Filium Commodum consulem hoc anno *Augustum* dicit communicato etiam *Patris Patriae* honore. (Vide numos Commodi.) *Imperator IX.* adclamatur.

A. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum, in AR.*

B. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. *Caput*

a) Capitolin. in Aurel. Lamprid. in Commodo.

laureatum, in *AE. I.* etiam radiatum in *AE. II.*

Vt lit. A.

DE. GERM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Congeries armorum Germanicorum.* AR. *Similes aliquantum diversi.* AE. I. II.

Vt lit. A.

DE. SARM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Congeries armorum Sarmaticorum.* AR. *Similes aliquantum diversi.* AE. I. II.

Numi hi testes triumphii ab Aurelio sub ipsum anni praecedentis exitum de Germanis, Sarmatisque acti.

Vt lit. B.

FELICITATI. AVG. IMP. VIII. COS. III. S. C. *Navis cum multis remigantibus, in nonnullis Neptuno in proa flante.* AE. II. (Muf. Caef.)

Egrege numus confirmat id, quod de Aurelio proxime maritimo itinere Athenis Romam reverso refert Capitolinus: *) *revertens ad Italiam navigio tempestatem gravissimam passus est.* Igitur quod periculum evasit, *felicitati Augusti* in his numis tribuitur. Idem typus exstat etiam in numis Commodi anno praefente signatis adscripto: FELICITATI. CAES., at constat etiam, Commodum et itinere, et periculi fuisse socium.

Vt lit. B. Protome Aurelii laureata obverso tergo cum aegide ad pectus, et hasta.

IMP. VIII. COS. III. P. P. *Aurelius, et Commodus in quadrigis triumphalibus,*

praecedit miles cum tropaeo, superne volitat Victoria item cum tropaeo. AE. max. mod. (Muf. M. Ducis.)

Confirmatur insigni hoc numo, quod in annalibus prioris anni diximus, Aurelium una cum Commodo de Germanis, et Sarmatis triumphasse.

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. VII. IMP. VIII. COS. III. P. P. S. C. *Liberalitas stans.* In alio: *Duo imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas, cive per gradus ascendente.* AE. I. (Muf. Caef.)

Dubium non est, congiarium istud praebitum occasione matrimonii Commodum inter, et Crispinam initi, ut ad numum Commodi synchronum ex Capitolino docebo. Liberalitatem Aurelii VII. jam quidem in numis anni V. C. 928 vidimus, sed dicitur in moneta Commodi ad eundem annum 928, qua ratione difficultas haec videatur expedienda.

Vt lit. A.

TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

Eodem anno IMP. IX.

Vt lit. B.

IMP. VIII. COS. III. P. P. S. C. *Fulmen.* AE. II. (Muf. Caef.)

Vt lit. B.

PROPVGNATORI. IMP. VIII. COS. III. S. C. *Iuppiter nudus fulmen in jacentem humi barbarum intorquet.* AE. I. (Vaill.)

Vt lit. A.

TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

V. C. 931. P. X. 178.
 TR. P. XXXII. COS. III. P. M. P. P.
 IMP. IX.
 Exspirat GERM. SARM.
 Iuliano Rufo, Gavio Orfito cof.

Germanis rursum turbantibus ipse cum filio in Germaniam proficiscitur die V. Augusti. *)

A. M. AVREL. ANTONINVS. TR. P. XXXII. *Caput laureatum, in AE. I. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

C. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXXII. *Caput laureatum, in AE. II.*

Vt lit. B.

TR. P. XXXII. IMP. VIII. COS. III. S. C. *typis variis. AR.*

V. C. 932. P. X. 179.
 TR. P. XXXIII. COS. III. P. M. P. P.
 IMP. IX. X.
 Commodo Aug. II., T. Annio Aurel. Vero H. cof.

Marcomannos, Hermunduros, Quados, Sarmatasque cruento praelio vincit. b) Ex ea victoria Imperator X. appellatur. c)

A. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXXIII. *Caput laureatum, in AE. I, II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

C. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*
 Vt lit. B. vel C.

COS. III. P. P. *variis typis. AR.*

Hos numos ad istud aevi pertinere, dicitur infra ad titulum P. P.

Vt lit. B.

TR. P. XXXIII. IMP. VIII. COS. III. P. P. *typis variis. AR.*

Vt lit. B.

TR. P. XXXIII. IMP. X. COS. III. P. P. *typis variis. AR.*

V. C. 933. P. X. 180.
 TR. P. XXXIV. COS. III. P. M. P. P.
 IMP. X.

L. Fulvio Bruttio Praesente II., Sex. Quintilio Condiano cof.

Marcomannis fere interneccione delictis ex contracto morbo exstinguitur Vin-dobonae Pannoniae d) die XVII. Martii e) exactis aetatis annis LVIII. mensibus fere XI. imperii XIX., et diebus paucis, non sine suspicione veneni a medicis suadente Commodo propinati. f) Apud Sirmium diem obivisse tradit Tertullianus. g)

Si quid valet unanimis antiquitatis consensus, ex omnibus, quos unquam fortuna in summo fastigio collocavit, non erat alius, qui per raras virtutes, atque egregias imperandi artes regendis populis aptior, digniorque esset habitus. Iam a prima infantia gravitatem

a) Lamprid. in Commodo.

b) Dio.

c) Dio L. LXXI, § 33.

d) Victor uterque.

e) Tertull. Apologet. c. 25, Dio.

f) Dio.

g) l. c.

(Vol. VII.)

morum prae se tulit singularem, amorem vero a puero ad severa philosophiae studia incredibilem, sic ut duodecim annos natus philosophi habitum palam adsumeret, et deinceps in tradendis morum praeceptis, quae ipse pluribus libris hodieque superstitibus complexus est, tum vero, quod amplius est, vita secundum ea sanctissime instituenda omnis aetatis sapientiae magistros superare, dictus propterea a Iustiniano Φιλοσοφωτατος, id est: (ut cum vetere interprete loquar) *philosophissimus*, ^{a)} cuius testimonium, ut alia abessent omnia, locupletissimum suppeditat epistola, quam ad fratrem Verum in Orientem scripsit conservavitque Vulcatius Gallicanus, ^{b)} paucis verbis complexam severissimae virtutis praecepta omnia, et qua perfecta fatebitur quisque, non alias magistrae philosophiae, alumnatum obsequentorem in disciplinam fuisse traditum. At quod maxime Marcum vere philosophum comprobabat, illud est, quod, cum Stoicum ille institutum non modo profiteretur, sed et numeris omnibus impleret, ipse diversas sectas profectos non modo patienter ferret, sed eodem etiam, quo suam, loco putaret et ornaret quoque, cum alii vulgo aliter sentientes odiis et bellis ἀσπονδοῖς persequerentur. Etenim ille, ut sapientiae studium promoveret, singulis philosophorum generibus, non modo Stoicis, Platonicis, Peripateticis, sed, quod mirere, Epicureis quoque, salarium locuples Athenis constituit, ita, ut unicuique, qui juventutem doceret, prae-

mium esset aequale. ^{c)} Neque vero is, qui tranquillis philosophiae studiis apprime delectabatur, non etiam ad res agendas, sive pacis, sive belli negotia spectes, singularem attulit alacritatem, atque animi robur indefessum, et fuit communis praeteritae aetatis sensus, nisi ad illa tempora reservatus fuisset Aurelius, quibus saeva lues, bella maximis, quae unquam fuere, equiparanda, fames, terrae motus per Asiam, inundationes fluminum, aliaque omnis generis mala in imperii perniciem conjuravere, rem Romanam velut uno lapsu fuisse interituram. Quae bella externa, et quanta felicitate, et Romani nominis gloria gesserit, in annalibus exposuimus. Idem liberalis publice, domi suae parcus, atque ne tributorum onere provinciae opprimerentur, providus, qui in belli Marcomannici sumptus, ut civibus parceret, ipsa palatii ornamenta, pocula aurea, crystallina, murrhina, vestem uxoriam sericam, gemmas vendidit. At nulla alia virtute magis, quam clementia, atque animi lenitate gloriabatur, qua non modo suorum vitia, et illatas sibi injurias nullo poenae, aut vindictae studio pertulit, verum et externis hostibus, atque iis quoque, qui in caput suum, ac sanguinem conjuravere, facile indulgit. At enim tum quoque patuit, virtutem ipsam, cum nimis evagari patimur, in opprobrium, ac saepe perniciem vertere. Nam quod L. Verum pridem per domestica flagitia cognitum, atque ea propter ab Antonino Pio despiciatui habitum, non modo

a) Cod. L. V. tit. 17. § 12.

b) in vita Avidii Cas.

c) Lucian. in Eunucho, Philostratus Vita Soph. L. II. § 2. Dio L. LXXI. § 31.

coegente nemine, sed nullo etiam adhuc exemplo sibi in imperio conlegam junxit, quod uxoris Faustinae effrenes libidines magno cum suo, tum imperii dedecore impune tulit, utrumque vero post exactam inter flagitia vitam divorum honore adfecit; quod filium Commodum adhuc puerum non modo ad consulatum, sed etiam imperium, et ipsum Patris Patriae honorem, quem ipse nonnisi sero admisit, jam perspectis ejus opprobriis, et vita impura vocavit, id quidem ejus lenitati, et in suos indulgentiae tribuendum, sed qua sempernam praeclarae suae vitae maculam inulsit, imperio vero per filium successorem gravissima mala acciuit. Vt imperavit in amore omnium, ita sinceris quoque ab omnibus lacrimis mortis nuncius est acceptus, nam viguit eo imperante res Romana, ut secundum Platonis oraculum, quo et ipse frequenter usus est, vigere debuit, nimirum florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur. Ejus vitam, et res gestas scripsere Capitolinus, a) Vulcatius, b) Dio. c)

Vxor *Faustina*, de qua, et susceptis ex ea liberis agetur in hujus numis.

Hac mortua concubinam sibi adscivit, ne tot liberis novercam induceret. d)

A. M. AVREL. ANTONINVS. AVG.
TR. P. XXXIII. *Caput laureatum in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG.

Caput laureatum, in AR. et AE. II.

Vt lit. B.

TR. P. XXXIII. IMP. X. COS. III.
P. P. *typis variis.* AR. AE. II.

DIVVS AVRELIVS.

De ejus post obitum cultu haec Capitolinus: *parum sane fuit, quod illi honores divinos omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio, ac dignitas dedit, nisi quod etiam sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in domo sua non habuit - - Denique hodieque in multis domibus M. Antonini statuae consistunt inter deos penates, nec defuerunt homines, qui somniis eum multa praedixisse futura, et vera concinuerunt. Vnde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani, et sodales, et flamines, et omnia, quae de sacratibus crevit antiquitas.*

DIVVS. M. ANTONINVS. PIVS.

Caput nudum.

CONSECRATIO. *Aquila vario situ, etiam imperatorem sublime efferens. — Rogus — Imperator in quadrigis elephantorum. In omni metallo, et forma.*

PII nomen, quod vivo Aurelio in moneta datum non est, et si per adoptionem jus in illud habuit, ei in omnibus, ac copiosis consecrationis numis a Commodio signatis delatum est.

DIVO. MAR. ANTONINO. *Caput radiatum.*

AVG. PARENTI. SVO. *Eques manu elata.* AE. II. (Panel Catal. le Bret. Theu- poli, Pellerin Mel. I. p. 213.)

a) in Aurelio, et Vero.

b) in Avidio Casio.

c) L. LXXI.

d) Capitolin.

Omissum in hoc numo S. C., tum vel sola imago aperte loquuntur, numum hunc extra urbem fuisse signatum, et quidem in colonia quapiam, quae, ut olim Gades Agrippam, Aurelium nostrum parentem agnoverit.

DIVO. MARCO. *Caput radiatum.*
 CONSECRATIO. *Aquila stans.* In aliis:
Arg. luculenta. AR. (Mus. Caes.)

DIVO. MARCO. ANTONINO.
Caput radiatum.
 CONSECRATIO. *Aquila expansis alis.*
 AR. (Baldinus Thom. II. p. 374.)

Vtrosque hos numos vilis argenti multo fuisse ferius signatos, docebimus olim in diatriba de numis consecrationum.

Numi commutis peregrini.

Urbium liberarum.

Numorum in his signatorum ingens est copia, qui, si quid memoria dignum offerunt, in sua singuli patria descripti sunt. Aliorum sedes natalis incerta, ut aeneorum I. et II. formae, qui hinc *Caput Antonini Pii*, illinc *Aurelii Caesaris* exhibent, suntque obvii. Alii aenei I. formae, in quorum averfa plerumque est *Caput Ammonis* scripto juxta ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΤC. addito vario trib. potestatis numero, incertae item sunt patriae. Verum ista non magnopere moramur.

Solertius examen merentur numi argentei drachmae pondere inscripti Graece ΠΙΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ, aut simi-

liter, quorum patriam alii hactenus se ignorare professi sunt, aut falsam, ut v. detur, adfinxere. Eorum antica offert vel caput M. Aurelii, vel Faustinae junioris, vel L. Veri, vel Lucillae. Eos omnes collegi, et explicavi in numis Mesopotamiae urbis incertae Vol. III. pag. 520, nam hujus eos esse regionis opus, vix reor posse dubitari.

Coloniarum numi persequentes.

Alexandrini item copiosi, at parciore *Antiocheni*, ut diximus in moneta Antiochiae Syriae.

NOMINA ac TITULLI.

Ante adoptionem, ac primum nato indita fuere nomina *Annii Veri* a nomine avi, ut ait Capitolinus, quanquam hoc etiam teste idem quoque nomen fuit patri. a) *M. Annium Verum* ante adoptionem etiam nominat Dio. b) Dictum praeterea *Catilius Severus* a proavo materno adserit Capitolinus, et in nomine Catilii conspirat quoque Dio. c) Post patris excessum dictus ab Hadriano fuit *Verissimus* teste Capitolino binis locis, et Lampridio, d) de quo nomine mox.

Post adoptionem omnia ejus nomina fuere: *M. Aelius Aurelius Verus*, etiam *Verissimus*, *Caesar*. Praenomen *Marci*, et nomen *Veri* sibi pridem indita retinuit, *Aelii* et *Aurelii* ab Antonino patre adoptivo hausit. Omnia haec nomina collegit marmor paullo ante Antonini mortem positum, et inscriptum: M. AELIO AVRELIO VERO CAESARE III. e)

a) in Aurel. c. 1.
 p. 300. 1.

b) L. LXIX. § 21.

c) l. c.

d) in Diadumen,

e) Grut.

et aliud insigne marmor in Dalmatia re-
pertum, et vulgatum a Muratorio. ^{a)} *Aelius* etiam dicitur in constitutione,
quae est in Codice. ^{b)} Numi commatis
Romani aliud nomen praeter *Aurei* ad-
dito *Caesaris* non offerunt. In numis
Graecis liberalius: M. ΑΤΡΗΑΙΟC.
ΒΗΡΟC. (vel ΟΤΗΡΟC.) ΚΑΙCΑΡ. vel
tantum ΑΤΡΗΑΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. vel tan-
tum ΟΤΗΡΟC. ΚΑΙCΑΡ. Sed sunt, qui
numos posteriore hoc modo inscriptos
Annio Vero M. Aurelii filio tribuant,
jure, nec ne, infra in hoc disputabitur.
In numo, quem Pellerinius vulgavit, ^{c)}
cujusque deinde similem edidit Sestinus
ex museo Ainslieano, et esse coloniae
Parianae adfirmavit, ^{d)} legitur: VE-
RVS. ET FAVSTINA. AV.

Verissimus: Hoc nomen Aurelio ab
Hadriano datum ex Capitolino diximus,
occasionem praebente *Veri* nomine, quo
praeditus jam fuit; cumque jam puer can-
dorem summum, animumque apertum
praeferet, factum, ut indoli tam prae-
clarae *Verissimi* nomen aptius conveni-
re visum esset. Explicatius haec Xiphi-
lius ex Dione loquens de Hadriano,
cui Aurelius noster adhuc puer in pau-
cis carus fuit: ^{e)} ὅτι φωνὴν ψυχῆς ἐρρωμε-
νεστατὴν ἤδη ὑπέφαινε, ἀφ' ἧς καὶ ΟΤΗΡΙC-
CΙΜΟΝ αὐτόν, πρὸς τὴν τῆς Ῥωμαίων ῥήμα-
τος ἐννοίαν κομψευόμενος ἀπεκάλει, quia
jam tum solidam animi indolem prae se tu-
lit, quo factum, ut eum *VERISSIMUM*,
ad vocabuli Latini sensum facete adludens,
nominaret. Eodem illum nomine com-

pellat S. Iustinus Martyr synchronus: ^{f)}
Ὀυηρισσὶμω ὑῖω φιλοσοφῶ, *Verissimo filio*
philosopho, nempe Antonini Pii filio. Et
vero inditum hoc nomen egregie ex nu-
mo Tyrannorum Sarmatiae comproba-
tur, in quo juxta Aurelii caput legitur:
BHPICCIMOC. KAICAP. ^{g)} Vide de hoc
nomine plura apud Spanhemium, ^{h)} tum
et infra in Annio Vero filio.

Aurelius *Augustus* varia in suis, et
conlegae nominibus immutavit, sese *An-*
toninum, et conlegam *Verum* appellan-
do. Ita diserte Capitolinus perhibens
ea, quae mox post Pii mortem acciderent: ⁱ⁾
Antonini mox ipse nomen recepit, et quasi
pater L. Commodi esset, et Verum eum
appellavit, addito Antonini nomine. In
eandem sententiam alibi: ^{k)} dato impe-
rio - - *Verum vocari praecepit suum in*
eum transferens nomen, cum antea Com-
modus vocaretur. Cum Capitolino con-
spirat Galenus: ^{l)} τὸν μὲν ἐμπροσθεν ὀνομα-
ζόμενον Λαγκιον κοινῶν ἐποίησατο καλεῖσθαι
Βηρον, ἑαυτὸν δὲ μετωνομασεν Αντωνινον,
eum, qui antea Lucius vocabatur, conle-
gam sibi adscivit nomine Veri, se ipsum
mutato nomine vocavit Antoninum, idque
iisdem paene verbis repetit alibi. ^{m)} Haec
utriusque testimonia insigniter confirman-
tur tam numis commatis Romani, quam
marmoribus, in quibus Aurelio Caesari
nunquam nomen *Antonini*, Augusto nun-
quam amplius *Veri* adjicitur. Ex quo
confit, falli illos, qui susceptum ab
Aurelio statim post adoptionem nomen
Antonini docuerunt, inter quos nomi-

a) Pag. 239. 4. b) L. III. tit. 31. § 1.
c) L. LXIX. § 21. f) Apolog. I. init.

g) Vaill. Num. Graec. p. 58.

h) Caels. Iulti-
ani Preuves pag. 42.

i) In Aurelio.

c) Suppl. II. p. 52. d) Lettere pag. 97.
e) L. LXIX. § 21. f) Apolog. I. init.

g) Vaill. Num. Graec. p. 58.

h) Caels. Iulti-
ani Preuves pag. 42.

i) In Aurelio.

k) In Vero.

l) περι των ιδιων ειελιων.

m) προς της περι τυης γραψ.

nasse satis sit Iacobum Biaem, ^{a)} Pellerinium, ^{b)} auctorem musei Theupoli.^{c)} Novi equidem, a Vaillantio, et ipso Pellerinio, aliisque proponi numos tam coloniarum, quam urbium Graecarum liberarum, in quibus Aurelio adhuc Caesari Antonini appellatio additur, sed forte ex his minus caute excepta est epigraphe, aut forte horum nonnulli Caracallae sunt, aut revera peccatum a rudibus monetariis, qui ex vetere more recepta omnia ab Aurelio adoptantis fuisse nomina sibi persuaserint. Scriptores nonnulli Aurelio jam Augusto vetus adhuc Veri nomen tribuunt. Sic apud Photium legas: ^{d)} ἐπὶ Μ. Ἀντωνίνου Βηρῆς Κασιλευς Ρωμαιων, et apud Theopistulum Antiochenum ^{e)} Ἀνρηλιὸς Ουρηρῆς.

Pater patriae.

Capitolinus haec de Aurelio: *PATRIS PATRIAE* autem nomen delatum fratre absente in ejusdem praesentiam distulit. Et infra: *posteaquam autem a Syria victor frater rediit, PATRIS PATRIAE nomen ambobus decretum est*, Horum testimoniorum fide Tillemontius hunc titulum ab utroque Augusto anno V. C. 919 susceptum adfirmare non dubitavit. Aliud a Tillemontii doctrina magnopere diversum docent numi. Secundum hos Aurelius hunc titulum adoptavit nonnisi ineunte anno V. C. 930, aut ad summum exeunte 929. Atque horum ego praeconio standum omnino adfirmo. Cur enim, si id nomen revera anno V. C. 919 adscivit, ipsis XI. annis ejus men-

tionem in moneta abstinuit, cum tamen constet, Augustos, ex quo illud suscipere, eo constanter in numis fuisse gloriosos? Deinde si cui luberet obgerere, monetarios non omnes titulos etiam decretos numis inscripsisse, quaero, cur iidem monetarii, qui antea inferere id nomen monetae constanter neglexerunt, illud inde ab anno V. C. 930 usque ad Aurelii excessum nunquam amplius inferere neglexerint, aut saltem per vices jam inseruerint, jam non, perinde atque illis cum titulo pontificis maximi constitutum fuit? Cur denique, si, ut jactatur, Verus quoque patris patriae nomen suscepit, nunquam illud in toto ejus numorum longo agmine legitur? Ergo testibus numis certum est, hunc titulum a L. Vero nunquam, ab Aurelio nonnisi eo, quo dixi, tempore receptum. Non favet huic sententiae Capitolinus, at neque officit, si modo rite ejus verba aestimentur. Quod primum ait, Aurelium delatum sibi hoc nomen in fratris praesentiam distulisse, aliud non docet, nisi istud sibi tum, cum titulus deferebatur, constitutum fuisse, subinde praesente fratre mutasse sententiam. Deinde ait solum, fratre reverso id nomen ambobus fuisse *decretum*, non vero etiam ab ambobus susceptum. Quam explicandi rationem si quis honesti effugii causa a me adinventam velit existimare, recolat, quaeso, quae variis per praesens opus locis de titulis imperatorum decretis quidem, at multo serius admisisis, aut saltem in monumenta publica inferri coeptis disputavi,

a) ad num. aur. Arschot. Tab. 29. n. 1.
xandr.

d) Cod. XIV.

b) Lettres p. 26.

e) ad Autolyce. L. III.

c) in M. Aurelii num. Ale.

et speciatim de OPTIMI cognomine in Trajanum collato, et de Hadriani titulo patris patriae.

At litem mihi a marmoribus intentari video, in quibus et L. Verus *patris patriae* elogio decoratur, atque ipse Aurelius multo maturius anno V. C. 930 a me definito. Verum qui causam suam marmoribus agere instituant, patienter ferant, si et eorum causam marmoribus involvam. Nam si per testimonium Capitolini, ut fertur, Aurelius nonnisi post fratris reditum, atque adeo V. C. 919, et in suo tribunatu XX. se patrem patriae dixit, qua ratione is in lapide Muratorii jam in tribunatu XVI. hoc potest titulo gloriari? a) aut etiam frater Verus in marmoribus annorum 915. 916? b) Accedit, in plerisque marmoribus ad Aurelium pertinentibus, et ante annum V. C. 930 positis, abesse revera, ut oportuit, patris patriae elogium, ut adeo, si qua sunt, quae adversus traditam regulam peccant, culpa omnis sit aut penes eos, qui minus accurate epigramma exscribere, aut penes quadratarios, qui titulum hunc, quem primum anno V. C. 914, deinde iterato 919 decretum noverant, etiam ab utroque Augusto susceptum crediderint, cujus generis lapsus in monumentis praecipue iis, quae in provinciis concepta sunt, pridem cogniti.

Ajebam supra, ab Aurelio hunc titulum adoptatum adhuc exeunte anno V. C. 929. Hoc ut conjicerem, impulit numus argenteus, qui sanus, ac integer exstat in museum Caesareum recens inlatus.

M. ANTONINVS. AVG. GERM.

SARM. *Caput laureatum.*

DE. GERM. TR. P. XXX. IMP. VIII.

COS. III. P. P. *Tropaeum.* AR.

Aurelius in nullo numo, quos hactenus viderim, dicitur pater patriae ante trib. potestatem XXXI. Quare tempus, quo hoc elogium adscivit, penget a tempore, quo tribunatus numerum iterare est solitus. Cum Aurelius in mea sententia, quam olim copiose comprobasso, tribunatum XXXI. iniverit Kalendis Ian. V. C. 930, necesse est, numum hunc fuisse signatum exeunte anno praecedente 929, quod non improbabile; nam exstant etiam similes nummi Commodi Caesaris, qui certe sunt hujus anni; nam si essent anni sequentis 930, non in iis omissus esset titulus COS., quo is illo anno insignitus fuit. Causa feriundae hujus monetae fuit triumphus de Germanis actus die XXIII. Dec. V. C. 929, ut ad hunc annum, et proxime sequentem de numis hujus argumenti differentes animadvertimus. Et sane verisimile est, inter triumphus ejus applausum patris patriae nomen rursus decretum a senatu, ac demum a reluctantante diu Aurelio adscitum.

Obvii sunt numi argentei inscripti in averfa solo COS. III. P. P. variis typis. Hos olim in Catalogo musei Caesarei, quoniam praeter consulatum III. nullum alium characterem chronologicum praeferebant, inserui numis anni V. C. 914. P. X. 161, quo re ipsa consul III. processit Aurelius, temere nimirum fecutus oraculum Oconis, Scopulum inde ab ortu suo eruditus fatalem. At vero po-

a) Pag. 188. 6.

b) Gruter pag. 258. 2. et 1082. 7. bis.

nequam eos secundis curis atque attentius inspexeram, facile vidi, lineamenta oris aperte in senium vergere, multum abludentia ab iis, quibus labente hoc consulatu Aurelius in moneta proponitur. Quare hi quoque numi ad id tempus pertinent, quo patris patriae titulo demum coepit gloriari, atque verisimiliter, ut ex lineamentis, quae numi offerunt, conjicio, ad annum V. C. 932, aut praecedentem.

**ARMENIACVS PARTHICVS MAX.
MEDICVS.**

De tribus his collatis honorum titulis definite Capitolinus: a) *Gestae sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum Artaxatis captis, delatumque ARMENIACVM nomen utrique principum, quod Marcus per verecundiam primo recusavit, postea tamen recepit* Plenius idem in Vero: b) *Parthicum bellum Staius Priscus, et Avidius Cassius, et Martius Verus per quadriennium consecerunt, ita ut Babylonem, et Mediam pervenirent, et Armeniam vindicarent, partumque est ipsi nomen ARMENIACI, PARTHICI, MEDICI, quod etiam Marco Romae agenti delatum est.* Omnes hi tituli comprobantur quoque numis, et quidem hoc ordine:

ARMENIACVS. Hunc titulum suscepit primum in tribunatu XVIII., qui coepit in mea sententia Kalendis Ian. V. C. 917. P. X. 164. At aliquanto maturius eo uti coepit Verus, nimirum in tribunatu III., qui coepit Kalendis Ian. 916. P. X. 163, et verisimile est, ex eunte hoc anno utrique a senatu fuis-

se decretum, et continuo Veri numis insertum, Aurelio primum hunc honorem velut sibi indebitum recusante, at postea acceptante, quod et testari Capitolinum vidimus. Biennio post in societatem adscitus est titulus *Parthici Maximi*, de quo agetur continuo.

PARTHICVS MAXIMVS. Compareret primum in Aurelii tribunatu XX., sed jam adulto; nam multo plures sunt hujus tribunatus numi, qui hoc titulo abstinent. Coepit haec XX. potestas Kalendis Ian. V. C. 919. P. X. 166. Sed hunc quoque titulum L. Verum priorem occupasse, numi persuadent; jam enim legitur in ejus tribunatu V., qui exivit cum anno Iuliano V. C. 918. P. X. 165. Confirmat id quoque Capitolinus, qui narrat, c) Verum nomina, quae sibi delata fuerant, cum fratre communicasse die triumphi, quae pariter celebrarunt. Haec nomina fuerunt *Parthici*, et *Medici*, (nam *Armeniacy* uterque jam pridem usus est) Actus est hic triumphus anno V. C. 919, quo anno revera Aurelius, neque antea, PARTH. MAX. appellari incipit. At vero L. Verum jam anno V. C. 918. dictum fuisse Parthicum Max., in ejus numis probabitur. Hoc *Parthici Max.* titulo conjuncto cum altero *Armeniacy* usus est Aurelius, quoad frater vixit, qui mortuus est in ejus tribunatu XXIII., nam numi Aurelii hoc labente signati partim hos titulos addunt, partim omittunt, cum quo egregie item conspirat historia; nam refert Capitolinus, d) Aurelium fratri mortuo titulum *Parthici* velut proprium permisisse, se autem *Germanicum* appellasse. Sed

a) in Aurelio.

b) Cap. 7.

c) in Vero.

d) in Aurelio c. 12.

istud alterum factum serius, ut videmus.

MEDICVS. Decretum Aurelio, et Vero hunc titulum, ejusque causam, paullo supra vidimus. Exstat inscriptus in numo singulari, quem supra ad annum V. C. 919 objeci, jungiturque cum titulis *Armeniaci*, et *Parthici Maximi*. Marmora hujus tituli frequentius meminere. In numo insigni Alexandrino L. Veri cum L. E., quem edidit cl. Zoega, mulier stans clypeum tenet, cui inscriptum: ΑΡΜΕΝΙΑΚΟΣ ΠΑΡΘΙΚΟΣ ΜΗΔΙΚΟΣ. Galerium quoque Maximinum vocatum *Armeniacum Max. Medicum Max.* testatur Eusebius. ^{a)}

GERMANICVS.

Aurelius abjectis per Veri mortem nominibus *Armeniaci* et *Parthici Maximi*, hisque, ut diximus, fratri soli reservatis, quod factum labente anno V. C. 922, aliquamdiu omni nomine honorifico in moneta abstinuit propriis suis contentus. Postea temporis per claras de Germanis victorias, de quibus actum in annalibus, GERMANICI sibi cognomen emeruit. Collati hujus tituli meminere Capitolinus, ^{b)} et Dio. ^{c)} Hunc numi, neglecto Mediobarbi praeconio, ostentare incipiunt in Aurelii tribunatu XXVI., qui coepit sub initium anni V. C. 925, sic tamen, ut more veterum titulorum non in antica numorum, sed parte averfa legatur hac lege: GERMANICO. AVG. IMP. VI. COS. III., quod observatur etiam in numis anni sequen-

926, atque id nomen GERM. nonnisi in tribunatu XXIX., seu labente anno V. C. 928 in anticam est trajectum, eadem plane ratione, qua in Trajano vidimus decretum huic nomen OPTIMI multo ante occupasse tantum partem averfam, quam in anticam reciperetist. Haec numi, nam marmor nullum hactenus reperi, quod solum *Germanici* nomen offerret. In causa est, quod ea, quae supersunt, serius sunt posita adscito jam Sarmatici titulo, de quo continuo. Etiam Commodus eodem anno V. C. 925, et quidem die XV. Octobris impertitum *Germanici* titulum infra ex Lampridio docebimus, sed quem et hic nonnisi anno V. C. 928 patris exemplo in numorum anticam recepit. Advertetis praeclaram numorum cum historicis concordiam.

SARMATICVS.

Sarmatorum nomine intelliguntur populi trans Danubium, qua Pannoniam superiorem separat, late in septemtriones positi, quibuscum acris Aurelio, ac plurium annorum dimicatio fuit. Eorum meminit quoque Pausanias, cum refert, ab Aurelio bello domitos τῆς τε Γερμανῆς μαχιμοτατῆς καὶ πλείστῆς τῶν ἐν Ἑυρώπῃ βαρβαρῶν καὶ ἐθνος το ΣΑΥΡΟΜΑΤΩΝ, *Germanos bellicosissimos, et barbarorum plurimos, qui per Europam sunt, et gentem SARMATARVM.* ^{d)} Ex his saepe numero victis bellicum quoque decus Aurelio accessit, datumque *Sarmatici* nomen ei, filioque Commodus testibus

a) Hist. eccl. L. VIII. c. 18. (Vol. VII.)

b) in Aurelio c. 12. c) L. LXXI, § 3.

d) Arcad. L. VIII. c. 43. K

numis copiosis, ac marmoribus. Factum istud non multo post, quam *Germanici* nomen in partem anticam recepit. Certe in eadem trib. potestate XXIX. legitur: M. ANTONINVS. AVG. GERM. et: M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. Coepit hoc anno V. C. 928., P. X. 175°. Vfus est his titulis per sequens adhuc biennium, deinceps his, omnibusque aliis usque ad excessum in moneta abstinuit. Legitur quidem adhuc in numo aureo musei Caesarei cum tribunatu XXXIII., qui currebat cum anno V. C. 932. Verum etsi is vetustus omnino videatur, cum tamen differat fabrica, et probitate auri, videtur ex adulteratoris veteris officina prodivisse compositis male binis matricibus, atque universim non esse is, qui reliquis agnitae sanitatis reclamantibus resistere unus possit.

PIVS.

In hoc nomen Aurelio per adoptionem Antonini Pii jus quidem fuit, nunquam tamen illud in ejus vivi monumentis legitur, at in ejus consecrati numis occurrit constanter, ut vidimus, forte quoniam jam antea uxorem quoque mortuam PIAM appellari voluit, ut infra in numis Divae Faustinae docerimus. Etiam Severus se vocat DIVI M. PII. *Filium*. Vide hujus numos ad annum V. C. 948. Parum igitur prospere adseruit Pagius: a) M. Aurelium passim Pium fuisse nuncupatum, atque istud multis viris eruditissimis non fuisse

observatum. Vnicum mihi usque modo exemplum occurrit ex marmore Africano: b) PRO. SALVTE. IMP. M. ANTONINI. AVG. PII. LIBERORVMQVE. EIVS. Hic M. Antoninus alius esse non potest ab Aurelio nostro; nam qui eadem nomina tulerunt, Caracalla et Elagabalus, liberis caruere. Fuere nomina quaedam honorifica, quae apud Romanos non nisi post excessum tribui sunt solita, aut, ut planius loquar, fuere decreta. Drusus senior post mortem *Germanicus* dici coepit. Caracallam soli consecrationis numi *Magnum* appellant, vivum nunquam.

IMPERATOR.

Capti hujus ex victoriis tituli sequens lex e monumentis, ac numis praecipue, statuitur.

IMP. II. Legitur istud primum in ejus tribunatu XVII., qui currebat cum anno V. C. 916, et accepsit hic honos per subactam a L. Vero Armeniam. Meminit hujus tituli Capitolinus quoque, scilicet L. Verum bello cum Parthis per legatos gesto dictum fuisse imperatorem. c)

IMP. III. Aurelius in numis tribunatus XIX., qui currit cum anno V. C. 918, dicitur IMP. II. et III. Ergo fluente hoc anno iteravit hunc honorem. Causa iterum petenda ex lauris Parthis.

IMP. IV. Parte priore trib. potestatis XX., quae fuit anni V. C. 919, dictus est adhuc IMP. III., at deinceps, cum primum titulos *Parthici Maximi*, et *Me-*

a) Crit. Baron. ad ann. Chr. 162. § 3.

b) Mus. Veron. p. 458. 7.

c) in Aurel. c. 8.

dici adfcivit, dici se etiam una *impera-*
torem IV. passus est, nimirum bello Par-
thico tanta Romani nominis gloria fe-
liciter confecto.

IMP. V. Hunc titulum peperit tribu-
natus XXII. anni V. C. 921, nam in
ejus parte priore dicitur adhuc IMP. IIII.
Hoc sibi decus in bello adversum Ger-
manos quaesivit.

IMP. VI. Verisimiliter captus hic ti-
tulus in tribunatu XXIV., seu V. C. 923
ex victoria Marcomannica. Certe in nu-
mis anni sequentis jam occurrit.

IMP. VII. Coepit in tribunatu XXVIII.
seu anno V. C. 927, nam ejus parte
priore dicitur IMP. VI., mox IMP. VII.
Numerus ipse, et causa tituli insigniter

probatur ex Dione, ut ad hunc annum
animadverti.

IMP. VIII. Parte priore tribunatus
XXIX., seu V. C. 928 Aurelius se dixit
IMP. VII., subinde in eodem, cum pri-
mum *Sarmatici* nomen suscepit, aut cer-
te paullo post, *imperatorem VIII.* se
dixit. Ajebam, paullo post. Nam in de-
nario musei Caesarei, inscripto *SEC-*
RITAS. PVBLICA, videtur IMP. VII.
adhuc conjungi cum titulo SARM. Numi
illud invicte demonstrant. Quare fallit-
ur Tillemontius, qui in numis hujus
tribunatus legendum semper IMP. VII.,
at nunquam VIII. suspicatur. a) Ad
hanc ejus tituli iterationem VIII. per-
tinet insigne epigramma a Grutero publi-
ci juris factum: b)

M. AVR. ANTONINO. AVG. GERM. SARM. PONT. MAX.
TRIB. POT. XX. (lege XXX.) IMP. VIII. COS. III. P. P. QVOD.
OMNES. OMNIVM. ANTE. SE. MAXIMOR. IMPP.
GLORIAS. SVPERGRESSVS. BELICOSISS. GENTIB.
DELETIS. ATQVE. SVBACTIS. S. P. Q. R.

IMP. IX. Hic honos Aurelio certe ob-
tigit in tribunatu XXXI., seu anno V. C.
930, quoniam ejus parte priore se ad-
huc in numis dixit IMP. VIII., postea IX.
Perperam, et contra numorum certam
fidem Tillemontius iteratum hunc hono-
rem in annum sequentem, P. X. 178

differt. Ampliati ejus tituli causa in in-
certo est.

IMP. X. In tribunatu XXXIII., qui
respondet anno V. C. 932, legitur IMP.
IX. et X., et accessit haec laurus ex bel-
lo Sarmatico tum renovato. Conspirat
in numero denario Dio quoque. c)

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei

C.

a) in Aurel. nota 17. et 20.

b) Pag. 260. 4.

c) L. LXXI. § 33.

Numos Aurelii aureos primum abundare, eorum deinde numerum sensim minui, et extremis ejus annis fere deficere experimur. Vide, quae de hac peristasi observabimus in numis Faustinae junioris, et sub finem numorum Commodi.

Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
<i>Commatas peregrini:</i>									
Argentei urbium Graecarum	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei variae formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

FAUSTINA IVNIOR.

Annia Faustina nata patre Antonino Pio Aug., matre Galeria Faustina Aug. anno incerto. Volente Hadriano destinata fuit L. Vero, sed eam Antoninus post Hadriani mortem propter Vero aetatem immaturam M. Aurelio uxorem dedit perfecto aliquot inde annis matrimonio. Augustae titulo fuisse decoratam, et quidem marito adhuc Caesare, infra ex numis comprobabimus. Maritum in Syriam confectata in itinere apud Halale vicum Tauro aditum morbo exstincta est V. C. 928. Femina fuit, si qua unquam, ultimae infamiae, ac libidinis, indigna patre, et marito, quos omnis aetas ipsam Virtutem dixit. Vsam promiscue gladiatoribus, nautis, et si qui sunt his viliores, historia prodit, et fuit ea aetate rumor constans, ipsum Commodum ex gladiatore conceptum. Credebatur etiam L. Vero causa mortis subitae exstitisse, et particeps quoque

consiliorum Avidii Cassii adversus maritum conspirantis. Vulgata haec uxoris dedecora tam parum movere maritum, ut etiam iis, qui auctores fuere, ut saltem repudiaret, si occidere eam nollet, responderet: *si uxorem dimittimus, red- damus et dotem*, imperium Scilieet. Ferri quodammodo poterat ea indulgentia utcunque atrox et inconsulta, nisi eam mortuam flevisset etiam, et omni infamia contaminatam concilio deorum intulisset, ut paullo post videbimus. Vide Capitolinum, Dionem, Victorem.

Liberi ex M. Aurelio:

Praeter *Vibiam Aureliam Sabinam*, et *Fadillam*, quas memorant marmora Gruteri, ^{a)} et Muratorii, ^{b)} item *Domitiam Faustina*, aliosque ignoti nominis, quos ex auctoribus veteribus congesere Tillemontius, ^{c)} et Pagius, ^{d)} memorandi sunt.

Lucilla, nupta L. Vero, de qua infra in numis propriis.

a) Pag. 252. 8.
Baron. ad ann. Chr. 180.

b) Pag. 242. 3. et 590. 4.

c) in Aurelio pag. m. 694.

d) Crit.

Commodus, et *Antoninus* gemelli, ille futurus *Augustus*, hic post quadriennium extinctus.

Annus Verus. Vide ejus numos.

Filias tres adhuc caeso *Commodo* fuisse superstites, tradit *Lampridius*, ^{a)} et generatim dixit *Herodianus*, *Marco* plures filias natas fuisse, ^{b)}

Numi:

- A. FAVSTINA. AVGVSTA. in omni metallo, et forma.
- B. FAVSTINA. AVG. PII. AVG. FIL. ut supra.
- C. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. PII. FIL. ut supra.
- D. FAVSTINAE. AVG. PII. AVG. FIL. ut supra.
- E. FAVSTINA. AVG. PII. AVG. FILIA. in AE. I., sed fabricae rudioris, quam pro ea aetate, ut adeo legem praescribere non possit. (Mus. Caes.)
- F. FAVSTINA. AVGVSTA. AVG. PII. F. in AV. et AR.

Vt lit. D.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XII. Caput laureatum. AE. II. (*Baldini* ad *Vaill.* Num. praest. T. I. p. 76.)

Ex hoc numo probatur, *Faustinam* *Augustae* titulum marito adhuc *Caesare* iam tulisse, quanquam ejus facti testimonium antiquius offerat insigne marmor *Gruterianum*: ^{c)} FAVSTINAE. AVG. IMP. CAES. T. AELI. HADRIANI. ANTONINI. AVG. PII. P. P. TR. POT. X. IMP. COS. III. FILIAE. M. AVRELI. CAESARIS. VXORI. Idem docet numus *Graecus* urbis incertae, in cujus una superficie: ΦΑΥΣΤΕΪΝΑ. ΚΕΒΑΚΤΗ. Caput *Faustinae junioris*, in altera: ΑΤΡΗΑΙΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ. Caput *Aurelii nudum*. (Mus. reg. *Christinae* tab. LX.) Adde similem alium *Neapolis Samariae*. Cum igitur *Faustina* jam in *Antonini* tribunatu X. dicatur *Augusta*, qui fluxit cum anno V. C. 900, quo ipso anno *Aurelius* trib. potestatem adeptus

est, verisimile est, uno tempore *Aurelio* decretam fuisse hanc potestatem, et *Faustinae* titulum *Augustae*.

Epigraphae varia.

CONCORDIA. Columba. AV. (Mus. Caes.)
In aliis: Mulier stans d. pallium adducit, s. cornucopiae. AV. AR. AE. I. In aliis: Mulier sedens d. florem. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Novus *Concordiae* typus *columba*, sed vere captus ex indole ejus alitis, hujusque imagine jam olim a *Venusino* vate petita, cum ita de se, et *Fulco* *Aristio* scribit: ^{d)}

Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter, Annuimus pariter, vetuli, notique columbi.

Concordiae *Faustinam* inter, et maritum, sed quae in ea morum discrepan-

a) in *Commodo*. b) L. I. c. 2. c) Pag. 269. 6. d) *Epist.* L. I. 10. 4.

tia hujus unice philosophiae, et nativae indulgentiae debebatur, non uno loco meminere historici veteres.

Vt lit. A.

FECVND. AVGVSTAE. *Mulier stans utraque manu singulos infantes gestat, alio hinc, alio illinc adstante.* AR. AÆ. I. II. (Mus. Caes.)

Fecunditatem suam Faustina prolium numero abunde probavit, utinam et perinde fidem in maritum. Ambitur in hoc numo liberis quatuor, at in numis inscriptis TEMPOR. FELIC. sex praesto sunt, aucto nimirum eorum numero. Et fuisse senario plures, colligitur ex iis, quae supra in ejus vita memoravi. In numis IVNONI. LVCINAE. infantes tres vagiunt. Fecunditatem nunc primum in numis jactari videmus, etsi similem in Faustina seniore produxerit Medio-barbus, an genuinum, ignoro. Ei templum statuit Nero, nata sibi filia ex Poppaea. a) Numen istud saepe deinceps in numis Augustarum celebrari, mirum non est, at existare etiam in moneta Galieni, insolens plane est.

Vt lit. A.

FORTVNAE. MVLIEBRI. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AV. (Vaill.) AR. Mus. Caes.)

Refert Valerius Maximus: b) *FORTVNAE MVLIEBRIS simulacrum, quod est via Latina ad IV. miliarium, eo tempore cum aede sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternae preces re-*

pulerunt. Ejus meminere etiam Livius, c) Plutarchus, d) aliique, quos laudat, commentatores D. Augustini de Civit. Dei. e) At quam inique haec dea cum Faustina jungatur, docet Festus: f) *item via Latina ad miliarium IV. Fortunae muliebris, nefas est attingi, nisi ab ea, quae semel nupsit.* Cultam quoque Romae Fortunam virilem, et quidem inde a Servio Tullio, docebunt Dionysius Halic., g) et Ovidius, h) atque hanc a feminis prae Muliebri fuisse observatam, ob causam, quam eodem loco adducit Ovidius.

Vt lit. A.

LAETITIA, *Mulier stans d. coronam, s. scipionem.* AR. (Mus. Caes.)

Alium Laetitiaem typum vidimus in moneta Antonini ad annum V. C. 902. Qui numo praesente proponitur, deinceps plerumque sibi Laetitia proprium facit. Corona certissimum laetitiaem signum seu publicae, seu privatae. Ea enim aspirante tota saepe civitas coronata incensit. Nulla sine coronis grata convivium, comissiones, vina. Vetusissimus hic mos, et jam ex sacris litteris cognitus, hortante in his homine molli, et voluptatibus pepitus immerso: i) *Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt - - coronemus nos rosis - - ubique relinquamus signa laetitiaem.* Recentiora coronarum in laetitiaem exempla collegit Oiselius, k) Typi si qui alii Laetitiaem comitantur, plerumque facilem habent explicatum.

a) Tacit. XV. 23. b) L. I. c. VIII. § 4. c) L. II. c. 40. d) de Fort. Rom. T. II. p. 318. e) L. IV. c. 19. f) in Pudicitiae signum. g) L. IV. h) Fast. L. IV. 145. i) Sapientia c. 2. v. 6. k) Theol. sel. num. pag. 336.

Vt lit. C.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXX.
Caput M. Aurelii nudum. AE. max. mod.

Sic numus hic exhibetur inter numos max. mod. regis Gall. tab. XI. n. 1, sed qui in binis offendit, primum quod juxta Aurelii nomina omittuntur tituli GERM. SARM., quibus in tribunatu XXX. constanter est usus, deinde quod Faustinae adhuc vivam proponat, quae jam anno praecedente diem obiit. Quare aut deinde aliquid ex tribunatus numero, et legendum forte TR. P. XXIX, aut numus spurii accensendus.

Vt lit. A.

MATRI. CASTRORVM. S. C. *Mulier stans d. pateram, f. acerram ad aram sacrificat, juxta tria signa militaria.* AE. I. (Mus. Caes.)

Prima Faustina hoc titulo usa est. Eum illi honorem delatum fuisse, disertè tradit Dio, ^{a)} nimirum relata prodigiosa illa de Quadis victoria, de qua ad annum V. C. 927 egi, Aurelium dictum fuisse imperatorem VII., et Faustinae matrem castrorum, (*μητέρα των στρατοπεδων*) Nomen illud confirmat Capitolinus quoque; nam eam, inquit, ^{b)} *secum in aedivis habuerat, ut MATREM CASTRORVM appellaret.* Eodem serius nomine gloriata quoque est Iulia Domna Severi, et posthac plures aliae in numis Alexandrinis, quos vide.

Antica varia.

PVDICITIA. *typis variis in omni metallo, et forma.*

An Faustinae pudicitia in his numis

jactatur. per suetam adulationem? an eo more, quo principibus proponimus, ut esse velint, quod esse deberent? Etiam Hadriani pudicitiam crepant numi, nullo pacto istud laudis promeriti.

Vt lit. A.

SAECVLI. FELICIT. *Duo puelli in lectifornio, imminuentibus capiti astris.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Sunt hi Commodus, et Antoninus D^oscuro- rum cultu propositi, quos uno partu Faustina edidit, et de quibus agetur in vita Commodi. Saeculo propterea aliquid felicitatis partum, sequens aevum non probavit.

Vt lit. C.

S. C. *Templum Vestae, intus idolum, praeforibus hinc virgines tres, illinc totidem aetnae ad aram luculentam sacra faciunt, adstante praeterea parva figura femella.* AE. max. mod.

Vulgavit numum hunc ex museo Farnesiano Pedrusius, cujus ego judicio laetus lubens non acquiesco. Eum reticent catalogi alii illustriores a viris insignis meriti vulgati. At novi etiam, numum tam inscriptione, quam typo simillimum existare inter eos, quos impostor Patavinus fabricatus est, et quos aeri incisos dedit Molinetus, ^{c)} quae sane causa numorum similibus fidem suspectam facit. Augetur suspicio, quod eorum existat numerus incredibilis. In uno museo Caesareo reperi exemplaria fere XX., quorum complura sunt operis admirabilis, inter quae eminet unum ex duobus metallis, quorum interius insuper utriusque tenuissima lamella aurea tegitur,

a) L. LXXI. § 10. b) in Aurel. c. 26. c) Cabin. de Genev. Médailles Padouanes n. XXX.

fic tamen, ut faciem Faustinae, et in averfa tectum templi et aram vestiat lamella argentea arte tam mirabili, ut nihil perfectius in hoc genere videri possit. Fuit olim in museo Collegii acad.

• S. I., et inde in gazam Caesaream translatum. Ceterum nolim adserere, non existare Faustinae numum genuinum cum hoc typo, nam habemus similem dempto S. C. et adstante parva figura, in numis coaevis Lucillae maximae item formae, quos dabimus loco suo. Monere tamen tirones hoc loco volui, ut propter causas memoratas in adprobandis iis cautionem adhibeant.

Vt lit. B.

S. P. Q. R. Carpentum a duabus mulis tractum. AE. I. (Mus. Caes.)

Involasse Faustinae in carpenti honorem exemplo Messalinae, et Agrippinae uxorum Claudii, ex hoc numo discimus.

Vt lit. A.

VENERI. VICTRICI. S. C. Venus semimuda stans adstanti Marti adblanditur. AE. II. Idem typus, sed sine epigraphe. AE. max. mod. (Mus. Farnes. et Caes.)

Furtivus Martis, Venerisque amor, quem Ovidius *toto notissimam fabulam coelo* appellat, ^{a)} saepe in veterum artefactis, et multa cum varietate occurrit. Eodem modo, ut in numo praesente, proponitur saepe in signis marmoreis, et annulis. Fuere, qui his exhiberi turpem Faustinae cum gladiatore consuetudinem censerent, inducti credo,

quod hunc ipsum typum in hujus Augustae moneta viderent. Non lubet ineptam hanc, et jam nunc nemini creditam opinionem refellere.

DIVA FAVSTINA.

Auctore Dione ^{b)} Faustinae mortem vehementer luxit Aurelius. Apertius, quae ad consecrationem pertinent, Capitolinus: ^{c)} *petiit a senatu, ut honores Faustinae, aedemque decerneret, laudata eadem, cum tamen impudicitiae fama graviter laborasset, quae Antonius vel nescivit, vel dissimulavit. Novas puellas Faustianas instituit in honorem uxoris mortuae. Divam etiam Faustinae a senatu appellatam gratulatus est.* - Fecit et coloniam vicum, in quo obiit Faustina (Faustinopolis nonnullis creditur, quam pro dunt itineraria dictum vulgo Antonini, Hierosolymitanum, et Hierocles, et Tyanis Cappadociae admovent.) *et aedem illi exstruxit, sed haec postea aedes Hellogabalo dedicata est.* De hac aede vide plura in Caracalla Spartiani sub finem. Alios honores recitat Dio, ^{d)} nempe decretas a senatu statuas argenteas in templo Veneris et Romae, aram, ad quam virgines omnes, quae nubarent in urbe, una cum sponsis sacrificarent etc. Adde, quod ex ejus numerorum copia facile probatur, percussam per reliquos etiam Aurelii annos divae Faustinae nomine monetam. Tam immoderati honores in mulierem immerentem congesti facile poterant dicaçi Sileno movere et stomachum, et risum. ^{e)} Elegantem ima-

a) Metam. IV. 189.
e) Julian. in Caels.

b) L. LXXI. § 30.

c) in Aurel. c. 26.

d) l. c. § 31.

ginem Faustingae consecratae, et a Viptam proponit Bellorius, et ex eo Montfauconius. *)

- A. DIVA. FAVSTINA. PIA. *Caput cultu solito, aut velatum, in AR. AE. I. II.*
 B. DIVA. AVG. FAVSTINA. *Caput velatum, in AR.*
 C. DIVAE. FAVSTIN. AVG. MATR. CASTROR. *Caput velatum, in AR. AE. I.*
 D. DIVAE. FAVSTINAE. PIAE. *Caput velatum, in AR. AE. I.*

Vt lit. A.

AETERNITAS. *variis typis, ut: Faustina sedens in carpento duorum elephantorum, d. hastam. — Eadem sedens vario cultu etc. AR. AE. I.*

Vt lit. A.

AETERNITAS. S. C. *Faustinae sedens d. sceptrum inter duas mulieres gradientes, et velum per caput sinuantes. AE. I. (Mus. Caes.)*

Occurrit, exhiberi in hac averfa simulacrum Faustinae fenatu jubente positum, et virgines sponfas ad eam accedentes, ut juxta illud ex praescripto fenatus sacrificarent, ut paullo supra ex Dione docui.

Antica incerta.

AETERNITAS. AVGVSTA. *Faustina velata Dianae ritu cervo insidet, s. taedam. AE. max. mod. (Reg. Gall.)*

Antica varia.

CONSECRATIO. *Typis admodum variis, rogi, arae, pavonis, lectisternii Iunonis, Faustinae ab aquila sursum elatae, lunae inter septem planetas. AR. AE. I.*

Vt lit. D.

MATR. CASTRORVM. *Mulier sedens d. phoenicem, s. hastam, juxta duo; in aliis tria signa militaria defixa. AR. AE. I. (Mus. Caes.)*

De titulo *Matris castrorum* actum in numis Faustinae vivae.

Vt lit. A.

SIDERIBVS. RECEPŦA. *Mulier stans adstituta capiti luna utraque manu facem gestat. In aliis: Faustina velum per caput sinuans in citis equorum bigis. AE. I. (Mus. Caes.)*

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Magnum numerorum in his signatorum est agmen. In horum non paucis varietate inscribitur; nam saepe praepositur ANNIA, quod nomen in Romanis nunquam additur. Nonnunquam tantum scribitur; ΦΑΥΣΤΙΝΑ. ΝΕΑ., ut in numis Aezanis, et Temni. (Pellerin. Mel. II.) Dicitur adeo nova, seu junior, ut discerneret a matre cognomine. Signati haud dubie sunt hi numi, antequam Augustae titulo fuisset ornata. In aliis ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ. ΝΕΑ. ΚΕΒΑΧΘ., ut in numo

a) Supplem. T. V. tab. 60, (Vol. VII.)

Pergami; (Vaill.) Philippopolis Thraciae, (Mus. Caes.) et Anchiali Thraciae. (Neumann Num. pop. p. 118.) In binis integerrimis, et elegantibus, quos olim vulgavi, (Num. vet. p. 183.) et signatis Nicaeae Bithyniae: AN. NEA. ΦΑΤΤΕΙΝΑ. CEB. Priorēs duas voces non esse connectendas, sic ut legendum sit ANNEA, et hoc per monetarii lapsū pro ANNIA, eo evincitur, quod unam N ab altero iusto intervallo separatur, neque ullo pacto verisimile, monetarios in binis numis diversi typi eodem modo bis peccasse, nimirum relinquendo inter AN et NEA majus intervallum, quam reliqua inscriptionis lex postulabat, deinde scribendo NEA pro NIA. Vocabulum NEA necessario proponendum non est, nam et in numis

Zenodori legimus ΝΕΟς ΚΑΙ cap, ut ta-
ceam numos inscriptos: NEOI. ΘEOI.
NEA. HPA. NEOI. HAIOI. Eadem in
numo Byzantii apud Pellerinium (Mel.
II.) et in Alexandrinis passim dicitur:
CEB. ETCEB. ΘΤΓ. vel ΘΤΓΑ., nempe
ut in Romanis: AVG. PII. FIL. Magi-
stratus munere fungitur in numis Byzan-
tii: ΕΠΙ. ΘΕΑC. ΦΑΤΤΙΝΗC. Vide
numos hujus urbis.

De argenteis III. formae inscriptis:
ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ, vide, quae
diximus ad numos incertae urbis Meso-
potamiae Vol. III. p. 520, qua in regi-
one eos fuisse cufos verisimile existimo.

Coloniarum numi perrari. Vnicum re-
perit Vaillantius, pauci a posteris ad-
diti.

Alexandrini satis frequentes.

PRETIUM.

Commatibus Romani:

Aurei

C.

Observo, non mihi hactenus occurrisse numum Faustinae consecratae, qui aureus esset, de quo vide, quae monebimus sub finem numerorum Commodi de hujus numis aureis, et jam monuimus supra in M. Aurelio, quo loco de pretio numerorum aureorum hujus Augusti egimus. (Pag. 76.)

Argentei

C.

Aenei max. formae

RRR.

Aenei I. et II. formae

C.

Aenei III. formae

O.

Commatibus peregrini:

Argentei

RRR.

Reliqua vide paulo supra.

ANNIVS VERVS.

Annus Verus natus patre M. Aurelio
Aug. et Faustina Aug. anno V. C. 916

biennio post Commodum, et Antoninum
geminos in lucem editos, qui annus ex

tempore mortis conficitur. Petente L. Vero ex Oriente reduce, ut filii Marci *Caesars* dicerentur, ^{a)} ad id fastigium evectus est cum fratre Commodo die XII. Octobris V. C. 919. ^{b)} At non diu tantae fortunae superfuit. Etenim V. C. 923 eo ipso tempore, quo profectionem in Marcomannos pater parabat, exsecto sub aure tubere Praeneste septennis est mortuus. Decevit moestus pater status mortuo, et imaginem auream Circensibus ferendam, et ut saluari carmini nomen ejus infereretur. ^{c)}

Hunc Annium Verum Lampridius vocat *Severum*. ^{d)} Sed Casaubonus pro *Severum* legendum censet *Sex. Verum*.

Numi:

Commatis Romani.

ANNIVS. VERVS. CAES. ANTONINI. AVG. FIL. *Caput Annii Veri nudum.*

COMMODOVS. CAES. ANTONINI. AVG. FIL. *Caput Commodi nudum.* AE. fere I.

Numi praeco est Vaillantius, et jam ante hunc Petrus Bellorius, qui similem ex museo cardinalis Maximi Romae, vulgavit addita dissertatione. Idem etiam, sed maximè moduli, exstat in museo Caesareo ex Romano Carthusianorum thesauro in illud illatus, at mihi magnopere suspectus, quod pace virorum illustrium, qui eum calculo suo probum adseruere, dixero. Ajunt et similes in medio aere existerent. ^{e)}

VERVS. CAESAR. COMMODOVS. CAESAR. *Vtriusque caput nudum se respiciens.*

TEMPORVM. FELICITAS. *Quatuor puelli anni tempora designantes.* AE. max. mod. (Vaill. Mus. Florent. tab. XXVI. Mus. Theup.)

Elegans hic typus nunc primum in moneta comparet, quem in numis suis resuscitabunt Commodus, Caracalla, Diocletianus, aliique. Exhibet is quatuor Horas, seu totidem vices, quae annuo intervallo sibi succedunt, ver, aestatem, autumnum, hyemem. Singulae sua jactant munera, quae ipsae educant; reliquis nudis una hyems panis involvitur adversus suam ipsius inclementiam quaerens praesidium, velut in turri octogona Andronici, quae est Athenis, fingitur Boreas pallium vultui obducens. Has ipsas intelligit Q. Calaber, cum narrat, Iunoni adsidere quatuor famulas:

Τας ποτ' ἀρ' Ἡελίω· Χαροπὴ δμῆθεισα
Σελήνη

Γεινὰτ' ἀν' ἔραγον ἔυρυν ἀτειρεας, ἕδεν
ὁμοίως

Ἀλλήλαις, μορφῆ δὲ διεκριθεὺν ἄλλη ἐπ'
ἄλλης.

Ἡδ' ἕτερη χειμῶνι καὶ ἀργοχερῆι μεμηλεῖ,
Quas quondam Soli formosa subacta

Luna

*Peperit per coelum latum infatigabiles,
nulla in re similes*

Sibi mutuo, forma vero distinguitur a-
lia ab alia,

Altera hyemi, et capricorno curae est.

^{a)} Capitolin. in Aurel. cap. 12. ^{b)} Lamprid. in Commod. cap. 1. et cap. 11. ^{c)} Capitolin. cap. 21. ^{d)} in Commod. cap. 1. ^{e)} Beauvais hist. des Emp. T. I p. 245.

Inter hunc, et sequentem versum certa est lacuna, quae, quod ad alias Horas pertinet, absorpsit. Easdem tanquam Cereris comites inducit Callimachus de hac frugum dea sic canens: ^{a)}

ὥς ἄμιν μεγάλα θεὸς ἐϋρυάνασσα
 Λευκὸν ἔαρ, λευκὸν δὲ θερὸς, καὶ χειμῶ
 • φεροῖσα •
 Ἡξει, καὶ φθινόπωρον, ἔτος δ' εἰς ἄλλο
 • φυλάξει.

*Sic nobis magna dea late imperans
 Candidum ver, candidam aestatem, et
 hyemem ferens
 Veniet, et autumnum, et ejus proven-
 tum in alium annum servabit.*

Eleganter Graeci quatuor has anni vices, si laetæe fuere, uno vocabulo ἐνετηρίας expressere, et felicitatis publicae esse symbolum voluerunt. Quapropter et dixit Libanius, felicitatem agri Antiochenensis depraedicans: ^{b)} ὑπερ δε τοιαυτης της ημετερας γης ἂν Ωραι χορευσαι ἐμμελως, in tali hoc nostro solo anni tempestates venustas ducunt choreas.

Commatis peregrini.

Numi Annii Veri etiam hujus classis perrari. Vnum urbis incertae edidit Vailantius: (Numi Graec. p. 62.)

Μ. ΑΤΡΗΑΙΟΤ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ.
 ΤΙΟΙ. *Capita adversa Commodi, et
 Annii fratrum.*

ΑΥ. ΚΑΙΣ. ΑΥΡΗΑ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΚ.
Caput Aurelii nudum. AE. II.

Vtriusque etiam caput sistitur in numis inscriptis ΚΑΒΙΡΩΝ. ΤΥΡΙΩΝ., in quorum altera parte sunt capita M. Au-

relii, et L. Veri laureata barbata, quos olim produximus in moneta Tripolis Phoenices. Sed adverte etiam ad ea, quae de his numis mox observabimus.

Habuit tamen Annii Verus suos patronos, quorum benevolentia opes suas monetarias auxisse creditus est. Lubet eas hic describere additis observationibus, quibus Caesarum hujus aevi numi non parum, ut spero, juvabuntur.

ΟΥΗΡΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput nudum barbatulum.*

ΑΜΑΚΤΡΙΑΝΩΝ. *Tripus cum serpente.* AE. fere II. (Froelich Appendic. II.)

ΒΗΡΟΚ. *Caput juvenile nudum.*

ΙΟΝΩΝ. *Caput muliebre.* AE. (Haym. T. II. pag. 288.) sed corrigenda prava aversae inscriptio in ΡΟΔΙΩΝ, ut docet similis editus in museo Christianae tab. LIX. n. 16.

Froelichius in numum ex propositis primum commentatus probare contendit, *Verum Caesarem* in eo memoratum esse non posse aut L. Aelium ab Adriano adoptatum, aut L. Verum Augustum, aut M. Aurelium, qui omnes quodam tempore *Veri* nomen tulere. Tribuendum ergo quarto hujus nominis, nempe Annio Vero, in quo sumus, adserit. Quod ad priores duos attinet, facile omnes cum viro erudito consentient. At non aequè patienter feremus, M. Aurelium quoque ab jure, quod sibi in praesentem numum est, excludi. Froelichii argumentum est, M. Aurelium, cum simul Caesar declaratus, et in Aureliam Antoninorum familiam adsum-

a) in Cerer. v. 122.

b) in Antiochico.

ptus est: *M. Aelium Aurelium Verum* fuisse dictum, et nunquam ex eo tempore sine Aurelii nomine in numis comparere. Postremae huic parti distinctione opus est. Certum sane, Aurelium semper dici, et hoc nomen nunquam abesse in numis commatis Romani, at num etiam in numis commatis peregrini? Satis constat, urbes Graecas citra leges Romae monetarias aut addidisse nomina, aut ex pluribus, quae libuit, selegisse. Paulo supra vidimus, Faustinae junioris in moneta Graeca dici *Anniam*, quod nomen moneta urbis nunquam recepit; eam quoque dici *NEAN*, *junio*rem, etiam istud nullo exemplo. Sic et a Graecis Crispina dicitur *BPOTTIA*, et Salomina *XPTCOΓONH*, tacentibus haec nomina Romanis. Praenomen *Marci* in numis Aurelii adhuc Caesaris officinae Romanae legere non est, istud tamen non raro reperitur in numis exteris. Contra in numis Romanis, e. c. Trajani, et Antonini Pii nunquam occurrit scriptum tantum: *TRAIANVS. CAESAR*, vel: *IMP. ANTONINVS*, tamen in pluribus Graecis legitur tantum: *TPAIANOC. KAICAP*, et *ATTOKPACTΩP ANTONINOC*. Ergo ex pluribus nominibus, quae singuli propria habuere, inscribere numis, quae scribere placuit, atque ut in aliis *M. Aurelii* adhuc Caesaris numis scribere plenius: *M. ATPHAIOC. OTHPOC. KAICAP*, ita in aliis parcius: *ATPHAIOC. OTHPOC. KAICAP*, aut tantum: *ATPHAIOC. KAICAP*, quae omnia habes apud Pellerinium, ^{a)} atque adeo in aliis quoque tantum *OTHPOC. KAICAP*, ut in praesente Amastrianorum

numo. Atque hoc loco satis mirari non possum, a Froelichio caput istud, quod in numo luculenta per genas, et mentum barbula vestitur, ab ipso etiam, ut ex iconismo apparet, agnita, Annio Vero tribui, qui mortuus est, cum annum nonnisi septimum vitae ageret. Verum ex alio numo sententia Froelichii plane evertitur, quem hic ex Pellerinio sisto. ^{b)}

OTHPOC. KAICAP. Caput juvenile nudum.

CTPI. KABIPΩ. Caput laureatum Antonini Pii, et Faustinae junioris. AE. II.

Si Froelichium audimus, hic numus *M. Aurelii* esse nequit, quoniam abest nomen *Aurelii*. At multo minus *L. Aelii* esse potest, qui Antonino adhuc privato, cujus tamen caput altera numi pars exhibet, mortuus est, aut *L. Veri*, qui vivo Antonino neque *Veri*, neque *Caesaris* nomen adhuc habuit, aut *Annii Veri*, qui vivo Antonino ne natus quidem fuit. Ergo is numus aut nullius, aut unius *M. Aurelii* erit, probaturque vel uno hoc numo, quod probare hactenus institueram, *Aurelii* nomen non semper huius numis fuisse adjectum. At enim alium numum dare lubet, quem ad idem comprobandum advoco:

OTHPOC. KAICAP. Caput juvenile nudum.

CTPI. KABIPΩ. Duo capita juvenilia se respicientia. AE. II. (Haym. T. II. p. 289. Pellerin Mel. I. p. 79.)

Notandum, caput anticae in ectypo Haymianum secundum mentum luculentam barbulae offerre, quo cavetur, ne puellō Annio Vero tribui numus possit.

a) Mel. II. p. 86. 87.

b) Mel. I. p. 77.

Iure Pellerinius Haymium castigat, quod is numum hunc L. Vero largitus est; hic, antequam a M. Aurelio in collegium imperii vocaretur, *Caesaris*, et *Veri* nomina non habuit, et tum simul

- Caesar, simul Augustus, simul Verus dictus est, ut ad ejus numos advertemus. Ergo secundum prius dicta hujus item anticae caput est M. Aurelii. At quorum sint bina aversae capita, minus expectata ratio. Commodi, et Annii Veri esse non possunt; ut Pellerinius ex intellecto male Haymio opinari videtur; nam hi necdum nati fuere Aurelio adhuc Caesare. Si sinisterius caput est muliebre, quod discrimen in id genus numis saepe est dubium, haud dubie erit Lucillae Aurelii filiae, et oppositum caput Cesonii Commodi, qui subinde L. Verus dictus est, et cum hac Lucilla matrimonio junctus.

Aliter sentiendum de numo, quem his verbis proponit auctor musei Theupoli. (Pag. 913.)

ΟΤΗΡΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput Annii Veri nudum.*

ΕΤΡΙΟΝ. ΚΑΒΙΡ. *Capita aversa M. Aurelii, et L. Veri laureata.* AE. III.

Isud praeconium si verum, caput anticae alterius esse nequit, quam hujus nostri Annii Veri, cum M. Aurelius jam aversam invaserit. Alioqui per hanc disputationem non istud egi, ut evincerem, Anno Vero non posse convenire epigraphen ΟΤΗΡΟC. ΚΑΙCΑΡ, sed tantum, ea etiam usum Aurelium Caesarem, quod negavit vir praestantissimus Froelichius.

Ex his, quae modo disputavi, sequen-

tes regulae suapte profluunt. Numi inscripti

M. ΑΤΡΗΑΙΟC. ΒΗΡΟC. (vel ΟΤΗΡΟC.) ΚΑΙCΑΡ. sunt tantum M. Aurelii, ut patet.

ΑΤΡΗΑΙΟC. ΟΤΗΡΟC. ΚΑΙCΑΡ, Aurelii tantum adhuc Caesaris, tum his nominibus usi. Non profus negaverim, posse quoque competere L. Vero Aug., cum Graeci non raro CEBACTOT titulum suppresserint, at tum facile indicium ex vultu; si juvenior, et modestius barbatus, erit Aurelii, si promissiore barbam appendit, L. Veri.

ΑΤΡ. ΒΗΡΟC. vel: ΑΤΡΗΑΙΟC. ΟΤΗΡΟC. Aurelii tantum, forte etiam L. Veri Aug. secundum indicium in praecedente regula allatum. Auctor musei Theupoli eos nimium confidenter L. Vero Aug. muneratur. ^{a)}

ΟΤΗΡΟC. ΚΑΙCΑΡ. Sin vultus adultior, ac praecipue si barbulam promittit, haud dubie est M. Aurelii Caesaris; sin admodum juvenilis, non diffitebitur Annium Verum. Aliae peristases, quales supra indicavi, plerumque facile criterium suppeditabunt. Perperam Haymius numum sic inscriptum largitur L. Vero, ^{b)} et nimium frequenter hunc errorem errat auctor Musei Theupoli. Observo tamen, suppresso praenomine Δ., sive *Lucii*, et titulo CEBACTOT posse etiam numos sic inscriptos competere Vero Aug., sed rarus erit is casus, ac tum illi patrocina buntur lineamenta, barba promissior, laurea.

ΒΗΡΟC. Caput juvenile nudum, in numo, quem supra ex Haymio secundo loco descripsi. Editor eum Anno Vero

a) Pag. 915 et 918.

b) Tom. II, p. 289.

tribuendum censet. Non repugno pertinacius. Valentiora quidem sunt lineamenta, quam pro aetate puelli septennis, sed saepe veteres in puerorum Caesarum imaginibus aetatem anticipaverunt. In simili numo musei Christinae, quem eodem loco adduxi, vultus magis ad infantem accedit. Pro Annio facit etiam solum vocabulum BHPOC, nam fuit, ut vidimus, tempus, quo Caesar nondum fuit.

ΟΤΗΡΟC. ΑΝΤΩΝΙΝΟC, in numo Amastriae musei Theupoli p. 913, qui si recte est descriptus, esse poterit L.

Veri Aug., quem uno eodemque tempore Antonini nomen gessisse, auctores nonnulli testantur. Hunc numum revocabo infra in Vero, quo loco litem de variis hujus Augusti nominibus disceptabo.

BHPICCIMOC. KAICAP. Numum sic inscriptum Tyrannorum Sarmatiae supra pag. 69. post Vaillantium M. Aurelio Caesari tribuimus. Si fides Herodiano, ^{a)} ΒηρροσιμωC vocatus etiam fuit Annius Verus. Sin istud, neque huic sua in hunc numum jura deerunt. Iudicium ex vultu pendebit, an is saltem barbatulus, an plane imberbis, ac forma puerili.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei, et argentei	O.
Aenei max. mod., si modo genuini	RRRR.
Aenei I. et II. formae	RRR.

Commatis peregrini Graecarum urbium.

Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae, citatur unicus a cl. Beauvais. Alexandrini, et coloniarum nondum comperti.	

L. AVRELIUS VERVS.

L. Cejonius Commodus natus est Romae patre Aelio Caesare adhuc privato, matre, ut in hoc diximus, incerti nominis, anno V. C. 883. P. X. 130, ut ex tempore adoptionis eruitur, quo septimum jam annum egressum tradit Capitolinus. ^{b)} Dies illi natalis XV. Decembris, quo natus est Nero, ut refert idem, ^{c)} et in quo die conspirat etiam

Kalendarium Lambecii. Patre ab Hadriano V. C. 888. adoptato in familiam Aeliam translatus est, dictusque L. *Cejonius Aelius Aurelius Commodus*, et illo V. C. 891 Kalendis Ianuariis mortuo in Hadriani familia remansit. ^{d)} Hoc pacto Hadriani per adoptionem nepos, cum is paullo post Aelii mortem Antoninum sibi adoptasset, ob patris meritum

a) L. I. c. 2.

b) in Vero v. 2.

c) Ibidem cap. 1.

d) Capitol. in Vero c. 2.

eodem tempore Antonino una cum M. Aurelio adoptandus traditus est. ^{a)} Factum istud V. C. 891 die XXV. Februarii. Haec et M. Aurelii, et L. Veri per
 • Antoninum facta adoptio etfi pluribus locis a Spartiano ^{b)} et Capitolino ^{c)} adferatur, iidem tamen parum sibi constantes alibi adoptatum ab Antonino Aurelium, ab hoc Verum aperte pronunciant, sic ut Verus Aurelii per adoptionem filius esset habendus, non frater, ^{d)} et tamen per ipsam orationem dictorum immemores fratres eos constanter appellat. Enimvero communem ambos per adoptionem habuisse patrem Antoninum, et hac lege fuisse fratres, praeter ea argumenta, quibus ad tollendum hunc dissensum utitur Tillemontius, manifeste probatur ex marmore coaevo, quod edidit Gruterus: ^{e)} IMP. CAES. DIVI. ANTONINI. F. DIVI. LVDII. (legendum L. VERI.) PARTH. MAXIMI. FRATRI. etc. Frater etiam appellatur Verus in marmore Muratorii. ^{f)} In insigni alio marmore Gruteriano ^{g)} Verus, perinde ac in aliis Aurelius, dicitur *D. Ant. Pii filius, D. Hadriani*

nepos etc. S. Iustinus Martyr coaevus Vero hos titulos largitur: Δεκιω Φιλοσοφω Καισαρος Φυσει υιω, και Ευσεβης εισηποιητω, *Lucio Philosopho Caesaris (L. Aelii) natura filio, et Pii (Antonini) adoptivo.* ^{h)} Si adoptivus Antonini Pii, ergo hujus filius, et adeo Aurelii frater. Denique jurisconsulti veteres aliquoties edicta *divorum fratrum* memorant, velut Ulpianus, (Dig. L. XXVI. tit. 2. l. 19. § 1.) quo nomine certum est ab iis respici M. Aurelium, et L. Verum.

• Translatus ergo in familiam Antonini toto tempore, quo hic imperium tenuit, in privati modum vixit, nullo *Caesaris* aut titulo, aut honore propter aperta vitae immoderatae indicia, tantum quod *Augusti filius* vocabatur. ⁱ⁾ V. C. 906 quaesturam obivit, et mox anno sequente 907 consulatum. ^{k)} Interjectis annis VII. ipso anno Varroniano 914, quo diem obivit Antoninus, cum fratre Aurelio processit consul II. confirmante istud marmore Gruteriano, ^{l)} quod quoniam Veri titulos ac nomina postremo tempore ejus vitae privatae continet, hic appono:

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III. COS.

L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. II.

P. R. C. ANN. DCCCCXIII nempe a Parilibus anni superioris.

V. C. 914 P. X. 161.

CAESAR. AVGVSTVS. TR. P.

COS. II.

Kalendis Ianuariis adhuc priuatus consul iterum procedit collega fratre con-

sule III. Mortuo circiter diem VII. Martii Antonino Pio fratris beneficio collega imperii adsciscitur collatis uno tempore *Caesaris*, et *Augusti* titulis, tum trib. potestate, et proconsulatu, item

a) Spartian. in Aelio c. 7. b) in Aelio c. 2. c) in Antonino c. 4. d) Spartian in Aelio c. 5. Capitolin. in Aurel. c. 5, et in Vero c. 2. e) Pag. 29. 13. f) Pag. 1121. 7. g) Pag. 258. 2. h) Apolog. I. initio. i) Capitolin. in Vero c. 3. k) Ibid. l. 6. l) Pag. 300. 1.

nomine *Veri*, quo Aurelius antea usus, in eum translato, cum *Commodus* prius vocaretur. ^{a)}

Vt marmor Gruteri paullo ante memoratum Aurelium adhuc Caesarem, et Verum privatam anni hujus principio

sisit, ita eximium aliud ineunte hoc saeculo apud Puteolos repertum utrumque jam Augustum, et novis utriusque nominibus jam inde a die XXIII. Martii, atque adeo mox ab adito imperio exhibet, et reliquis omisis sic habet: ^{b)}

IMP. CESARE. (sic) M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. III. COS. •
ET. IMP. CESARE. (sic) L. AVRELIO. VERO. AVG. II.

Numi:

*V. C. 915. P. X. 162.
TR. P. II. COS. II.*

Præcipiendum ad *Veri* numos, horum typos ab iis, quos in moneta Aurelii vidimus, parum differre exceptis paucis uni *Vero* propriis, nam ut honores, ita et factorum gloriam communem esse voluerunt. Quare ne antiqua otiose repetam, plerumque numorum explicationem ex fratris moneta ejusdem anni petendam monebo.

- A. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS.
Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.
- B. IMP. L. AVREL. VERVS. AVG.
Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.

Vt lit. A.

COS. II. *typis variis.* AR.

Numi reliqui: CONCORDIAE. AVGVSTOR. vel: LIB. AVGVSTOR. vel: PROV. DEOR. addito fere constanter: TR. P. COS. II. in Aurelio explicati reperiuntur.

Hoc anno ad bellum Parthicum exit Verus. (Vide annales Aurelii.)

- A. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS.
Caput nudum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.
- B. IMP. L. VERVS. AVG. *Caput nudum, in AR. (Mus. Caef.)*
- C. L. AVREL. VERVS. AVG. *Caput nudum, in Quin. aureo. (Mus. Caef.)*
- D. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. TR. P. II. COS. II. *Caput nudum, in AE. max. mod. (Mus. Caef.)*

Vt lit. C.

TR. POT. II. COS. II. *Mulier stans d. globum, f. cornucopiae. Quin. AV. (Mus. Caef.)*

Reliqui: CONCORDIAE. AVGVSTOR. vel: PROV. DEOR. addito semper TR. P. II. COS. II., ut in numis Aurelii.

^{a)} Capitolin. in. Aurel. c. 7. et in Vero c. 4.

^{b)} Vignoli de Columna Anton: p. 52.

V. C. 916 P. X. 163.
TR. P. III. COS. II. IMP. II.
Incipit ARMENIACVS.

Ex vindicata per duces Armenia sibi, fratrique imperatoris titulum parit, ut est Armeniaci, sed quem Aurelius aliquanto sepius admittit.

- A. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. TR. P. III. COS. II. Caput laureatum, in AE. m. m. (Mus. Caes.)
- B. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. Caput laureatum, vel nudum, in AE. I. etiam radiatum, in AE. II.
- C. IMP. L. VERVS. AVG. Caput nudum, in AR.
- D. IMP. CAES. L. VERVS. AVG. Caput nudum, in AV.
- E. L. VERVS. AVG. ARMENIACVS. Caput nudum, in AR.

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVG. TR. P. III. COS. II. S. C. Imperator eques d. hastam. In aliis praeterea praecedit figura militaris, tribus sequentibus. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Hac in his numis prodita profectio aut intelligitur ea, quam is in Syriam Parthosque ex urbe instituit, aut cum ipse ex Antiochia, qua in urbe substitit, adversum hostem movit. Nam etsi ipse magis voluptatibus, quam hostibus retia intendit, totumque bellum per legatos confecit, tamen toto quadriennio, quod bello huic impensum fuit, bis ad Euphratem impulsu comitum suo-

rum profectus est, ut refert Capitolinus. a)

Vt lit. E.

ARMEN. TR. P. III. IMP. II. COS. II. Armenia humi sedens inter arma patria d. caput fulcit, s. navis prorae imposita. AR. (Mus. Caes.)

Alius, sed sine ARMEN. AR. (Mus. Caes.)

Ex his numis, qui Verum jam in tribunatu III. Armeniacum produnt, docemur, Verum hunc titulum aliquanto maturius fratre adoptasse; nam hic primum Armeniacus legitur in numis tribunatus XVIII., qui respondet tribunatu Veri quarto. Etiam hic Armeniae humi sedentis typus frequens est in Aurelii moneta, sed et hic primum in eodem tribunatu XVIII. Vide etiam Aurelium sub titulo Armeniaci. Navis indicare videtur navalem aliquam victoriam de Armeniis in Euphrate partam. Hi numi, quod norim, unici sunt, qui cum tribunatu III, conjungant titulum IMP. II.

Reliqui numi: FELIC. AVG. vel FORT. RED. vel SALVTI. AVGVSTOR. addito semper TR. P. III. COS. II. et cum typis propriis.

V. C. 917 P. X. 164.

TR. P. IV. COS. II. ARM. IMP. II.

Ephesum proficiscitur, ut Lucillam Aurelii filiam, et destinatam sibi uxorem exciperet. Bellum Parthicum continuatur.

a) in Vera. c. 7.

- A. L. VERVS. AVG. ARMENIA-
CVS. *Caput laureatum, vel nu-
dum, in AV. AR. AE. II.
- B. L. AVREL. VERVS. AVG. AR-
MENIACVS. Caput laureatum,
vel nudum, in AR. AE. I. radia-
tum, in AE. II.

Vt lit. A.

ARMEN. TR. P. IIII. IMP. II. COS. II.
Typus, ut in simili anni praecedentis. AV.
AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

REX. ARMEN. DAT. TR. P. IIII. IMP.
II. COS. II. Imperator in suggestu sedens
adstantibus duabus figuris diadema adstan-
ti infra regi circumdat. AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

Eadem epigraphe, at in aliis plenius:
REX. ARMENIIS. DATVS. IMP. II.
TR. P. IIII. COS. II. S. C. Idem typus,
sed adstantibus in suggestu tribus figuris.
AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Vaill.)

Regis hujus a Vero Armeniis secun-
dum hos numos impositi nomen, et ge-
nus reticet biographus Capitolinus, di-
cere contentus, Verum bello confecto re-
gna regibus dedisse. ^{a)} Opportune hujus
silentium compensat Photius, qui, cum
Iamblichi ἐρωτικᾶ recenset, haec eum
de se narrantem commemorat, ^{b)} flo-
ruisse se temporibus Soaemi τῆς Ἀρχιμε-
νίδῃς τῆς Ἀρσωνίδῃς, qui rex fuit a patribus
regibus oriundus, atque idem senator
Romanus, et consul, ac postea magnae
Armeniae rex, factumque istud, quo
tempore imperavit Antoninus, qui Ve-

rum imperatorem; eundemque fratrem
suum, generumque misit, ut Vologaesio
Partho bellum inferret. Huc pertinet,
quod refert Suidas, ^{c)} et exstat in Dio-
ne Reimari, ^{d)} a Martio Vero, qui
pro Vero Aug. bellum in Armenia gessit,
missum Thucydidem, qui Soaemum in
Armeniam reduceret. Quo docemur,
eum jam prius imperasse Armeniae, sed
inde pulsum a Parthis, nunc a Vero re-
stitutum. Hem! quam tenues rivulos,
eosque fere lutulentos jubemur consectari,
cum tam illustri imperii historiam
scribere aggredimur. Hic averfae typus
in Aurelii numis nondum est repertus.

Vt lit. A. et B.

TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. variis
typis in omni metallo et forma. Hos inter
illustrior: Hercules stans d. oleae ramum,
s. clavam, et exuvias leonis. AV. (Mus.
Caes.)

Alius similis, sed addito praeterea:
HERC. PAC. AV. (Vaill.)

Herculem paciferum monetae inferen-
dum curavit Verus, tanquam auctorem
restituendae propediem victis hostibus
pacis.

Reliqui hujus anni numi argumenta
obvia continent.

V. C. 918. P. X. 165.

TR. P. V. COS. II. ARM. IMP. II.

Profligato undique Parthorum bello
Verus cum Aurelio imperator III. dicitur,
ipse Parthici Maximi titulum jam

^{a)} in Vero cap. 7.
pag. 1021.

^{b)} Cod. 94. in fine.

^{c)} sub Μαρτίου Βρυος.

^{d)} Tom. II.

hoc anno adoptat, quo tantisper abstinet Aurelius.

A. L. AVREL. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, in AE. I. etiam laureatum vel nudum, in AE. II.*

B. L. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

Vt lit. A. vel B.

TR. P. V. IMP. II. COS. II. *typis variis victorias Parthicas crepantibus in omni metallo et forma.*

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. TR. P. V. IMP. II. COS. II. S. C. *Liberalitas stans. AE. II.*

Numi sic inscripti sunt obvii, at prior ille, si modo rite excepta est epigraphe, quem inter aeneos II. formae describit Vaillantius: LIB. AVG. II. TR. POT. V. IMP. II. COS. II., ut revera congiarium hujus anni numero alterum fuit.

Eodem anno:

PARTH. MAX. IMP. III.

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum.*

TR. P. V. IMP. III. COS. II. *typis variis prostratae Parthiae testibus in AV. AR. AE. I.*

V. C. 919. P. X. 166.

TR. P. VI. COS. II. DES. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. III. IV.

A bello Parthico redux una cum fra-

tre de Parthis triumphum agit, ac tum delatos sibi antea *Parthici Maximi*, et *Medici* titulos cum Aurelio communicat.

A. L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

B. L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. MEDIC. *Caput laureatum in singulari Aeneo I. formae.*

Vt lit. A.

LIB. AVG. III. TR. P. VI. COS. II. *Liberalitas stans. AR. (Mus. Caes.)*

Ad hunc annum habentur Aurelii numi AE. I., sed inscripti: CONG. AVG. III., sed utrique numi congiarium III. ab utroque imperatore uno eodemque tempore praeslitum enunciant. Iidem collati comprobant, L. Verum aliquantibus citius prae Aurelio *Parthici Maximi* titulum adoptasse, ut infra ad hunc titulum differemus.

Vt lit. A.

TR. P. VI. IMP. III. COS. II. *typis variis. AV. AR. AE. I. II.*

Eodem anno:

MEDICVS IMP. IV.

Vt lit. B.

TR. POT. VI. IMP. III. COS. II. S. C. *Vterque imperator lauri ramum praetendens in curru triumphali. AE. I. (Belley ex Mus. Pellerin. B. L. T. XXV. hist. p. 82.)*

Numum similem, solis Aurelii nominibus, ac titulis diversum vidimus in moneta Aurelii, quo loco et de horum numerorum raritate, ac pretio egimus,

quod praecipue ex MEDICI titulo, quem pars aduersa exhibet, colligitur. Reliquam numi hujus explicationem ex eodem loco pete.

Vt lit. A.

TR. P. VI. IMP. III. COS. II. *typis variis tropaea Parthica praedicantibus in omni metallo, et forma.*

V. C. 920. P. X. 167.

TR. P. VII. COS. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV.

Exspirat in numis MEDICVS.

Fratrem ad bellum Marcomannicum comitatur. Vide ad hunc annum annales Aurelii.

L.VERVS. AVG. ARM. PARTH.

MAX. Caput laureatum.

CONG. AVG. III. TR. P. VII. IMP. III. COS. III. *Liberalitas stans.* AV. (Mus. Caes.)

Idem numero congiarium existat etiam in numis Aurelii, sed quod sciam, aeneis tantum, at alio typo.

Eadem aduersa.

TR. P. VII. IMP. III. COS. III. *typis variis in omni metallo, et forma.*

Eadem epigraphe. Protome Veri laureata obverso tergo, cum aegide in pectore.

TR. P. VII. IMP. III. COS. III. *Vterque imperator in quadrigis triumphalibus, praecedunt milites, juxta gestatur tropaeum.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

Typus loquitur triumphum anni praecedentis.

V. C. 921 P. X. 168.

TR. P. VIII. COS. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV. V.

Anni hujus ab utroque imperatore res gestas ex M. Aurelio pete.

L.VERVS. AVG. ARM. PARTH.

MAX. Caput laureatum.

TR. POT. VIII. IMP. III. *in aliis IMP. V. COS. III. typis variis, in omni metallo, et forma.*

Eadem aduersa.

Eadem epigraphe addito ARMENIA. Verus eques Armenum projectum hasta confodit. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Eadem aduersa.

TR. P. VIII. IMP. III. COS. III. *Vterque imperator in quadrigis triumphalibus stante juxta puello, praecedunt milites, juxta ferculum cum tropaeo, et captiuis.* AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Revocat hic numus memoriam triumphi Parthici, quem ambo imperatores ante biennium egere, admisis etiam in currum M. Aurelii liberis utriusque sexus, ut testatur Capitolinus ^{a)} Atqui vetus fuit mos, et stantis adhuc reipublicae, triumphantis liberos eodem curru vehi. Narrat Zonaras ex Dione, ^{b)} moris esse, ut qui triumphans in urbem introibat, liberos ac cognatos utriusque sexus, siquidem praetextati adhuc essent, in curru juxta se haberet; sin grandiores essent, equis jugalibus funalibusve imponeret. Quod si plures essent, equis singularibus vecti currum prosequantur. Appianus, cum illata causa triumphi, quem senior Africanus egit, Romanorum triumphos de-

^{a)} in Aurel. c. 12.

^{b)} Annal, Tom. II.

scribit, haec generatim: ^{a)} ἐπιταύσαι δ' αὐτῶ ἐπὶ τὸ ἄρμα παῖδες τε καὶ παρθενοί, καὶ ἐπὶ τῶν παρθῶν ἑκατέρωθεν ἡῖθεοὶ συγγενεῖς. *Vehuntur eodem curru filii filiaeque, et funalibus equis utrinque gestantur adolescentes consanguinei.* Hunc morem innuit quoque Cicero: ^{b)} *An, cum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant etc.* Suetonius de Tiberio: ^{c)} *Dehinc pubescens Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisterriore funali equo, cum Marcellus Octaviae filius dexterriore veheretur.* Domitianum patris fratrisque triumphum Iudaicum albo conspicuum equo fuisse comitatum, diximus in hujus numis ad annum V. C. §24. Quam bellum est, quae docuit antiquitas, publicis quoque monumentis videre confirmata.*

V. C. 922 P. X. 169.

TR. P. IX. COS. III. ARM. PARTH.
MAX. IMP. V.

Hoc anno, ac media quidem hyeme auctore Galeno Verus eadem lectica cum fratre portatus, et apoplexia correptus apud Altinum Venetorum moritur imperii anno IX. aetatis XXXIX. vel XL. Dubia de ejus vera aetate expensa vide apud Tillemontium in nota XII. in Aurelium. Mortuum verisimiliter medio Ianuario hujus anni, non Decembri, quod plerisque visum, probabo in doctrina de trib. potestate Veri.

Si Capitolinum audimus, neque inter bonos, neque malos principes ponitur, quem constat non inhorruisse vitiis,

nec abundasse virtutibus, ^{d)} quin et amasse in eo Antoninum simplicitatem ingenii, et puritatem refert. ^{e)} At parum hic, ut alias crebro, secum ipso concordat hic biographus, cum ejus licentiam vitae per adulteria, aleae, et commissionum intemperantiam, protractas in popinis noctes, provocatos ad rixas infimae sordis homines persequitur, sic ut eo ipso teste vitiorum Caji, Neronis, ac Vitellii aemulus exstiterit. Atque haec ne gravius, et in reip. perniciem erumperent, sola est fratris auctoritate retentus. Ad bellum Parthicum ab Aurelio missus rei gerendae cura legatis permessa ipse uni voluptati vacavit acta Laodiceae hyeme, apud Daphnen aestate, reliqua parte Antiochiae, rediitque in urbem multo per Syriae delicias corruptior. Invitus ad bellum Marcomannicum cum fratre profectus, et brevi urbanam licentiam respectans reditum impetravit quidem, at per iter inopinato, ut diximus, malo oppressus interiit. Corpus exanimum in Hadriani sepulcro patris naturalis L. Aelii cineribus fuit sociatum. Haec ex Capitolino.
Vxor *Lucilla*, de qua infra.

Numi:

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH.
MAX. TR. P. VIII. *Caput laureatum.*

COS. III. *Rbma galeata thoraci insidens lauri ramum porrigit Vero galeato, et paludato adstanti, ipsa retro a Victoria coronatur.* AE, max. mod. (Mus. M. Ducis.)

a) de rebus Punicis, c. 66.
e. 2. e) Ibiu. c. 3.

b) pro Muraena c. 5.

c) in Tib. cap. 6.

d) in Vere.

L. VERYS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum.*
TR. P. VIII. IMP. V. COS. III. *variis typis in omni metallo, et forma.*

Divus Verus.

Mortuum a fratre appellatum *divum*, sacrisque plurimis honoratum, dedicato ei flamine, et Antoninianis sodalibus, et omnibus honoribus, qui divis habentur, tradit Capitolinus. ^{a)} Consecrationem numi quoque comprobant.

DIVVS. VERVS. *Caput nudum.*
CONSECRATIO. *Aquila, rogos, vel ipse sedens in quadrigis elephantorum.* AR. AE. I.

Eadem adversa.

M. AVREL. ANTONINVS. TR. P. XXIII. *Caput Aurelii laureatum.* AE. I. (Vaill.)

Indubitatum, seu Vaillantii, seu ty-pothetae vitio scriptum TR. P. XXII. pro XXIII., nam satis constat, Verum per totum priorem Aurelii tribunatum adhuc vixisse. Sane et cum TR. P. XXIII. hic numus proponitur a Norisio. ^{b)}

Numi commatis peregrini.

De drachmis inscriptis: ΠΙΕΡ. ΝΙΚΗ. ΡΩΜΑΙΩΝ egimus in numis Mesopotamiae urbis incertae.

Numi hujus classis alii nihil profus offerunt, cui philologiae causa immeremur.

NOMINA VERI.

Ei nato fuisse nomina *L. Cejonii Commodi*, subinde patre ab Hadriano ad-

optato *L. Cejonii Aelii Commodi*, principio diximus. Adoptatus ab Antonino nihil videtur in appellationibus mutasse, nam *Aurelii* nomen sibi a patre domesticum fuit, neque necessario per adoptionem in eum ab Antonino derivatum, velut in Marcum fratrem.

Mortuo Antonino Pio M.° Aurelii in L. Verum praeter Augusti honorem etiam *Veri* nomen, quod sibi antea proprium fuit, transtulisse, supra in Aurelii nominibus affatim docuimus. An etiam *Antonini* nomen, disputari potest. Afirmat istud Capitolinus: *Verum*, ait. ^{c)} eum appellavit Aurelius, addito ANTONINI nomine. Rursum in Vero: ^{d)} *L. Cejonius Aelius Commodus Verus ANTONINVS*, qui ex Hadriani voluntate Aelius appellatus est, ex Antonini conjunctione *Verus*, et ANTONINVS. Consona refert Lampridius. ^{e)} *Verus* autem Commodi nomen habuit, quo abolito ANTONINI non praenomen, sed nomen accepit. Commodum autem Marcus ANTONINVM appellavit. Deinde Spartianus, qui refert, ^{f)} a Severo nomen hoc filio datum, quoniam jam per quatuor principes cucurrisset. Antoninos hactenus dictos Pium, Marcum, Commodum constat; nisi Verum addamus, quartum non habebimus. Diserte vero etiam a Capitolino inter octo Antoninos numeratur alibi. ^{g)} Addi potest ex Capitolino, ^{h)} Aurelium mortuo Vero *Antoninianos* sodales, nimirum ex ejus nomine, ut videtur, dedicasse. Conspicantibus his auctoribus non ausim horum testimoniorum veritatem in dubium vocare, etsi mirum videatur, coevum

a) in Aurel. c. 15. b) Epoch. Syromac, diss. IV, p. 304. c) in Aurel. c. 7. d) Cap. 1. e) in Diadumen. c. 6. f) in Geta c. 2. g) in Macriano c. 3. h) in Aurelio c. 15.

Galenum, quem supra in M. Aurelii nominibus laudavi, nequaquam Vero Antonini nomen tribuere, quo loco de permutatis ab utroque appellationibus agit. Ad haec, si revera honorificum istud Antonini nomen sibi delatum fuit, cur illud Vero in nullo aut numo, aut marmore, non raro omnes ejus titulos liberaliter jactante, sociatur? dempto forte Amphitriae Paphlagoniae numo, in quo is, si modo satis fidendum auctori musei Theupoli, a) cujus non raro oracula fallunt, dicitur ΟΥΗΡΟC. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. Addi posset numus maximae formae apud Buonarrotium b) inscriptus: ΑΥ. ΟΥΗΡΟC. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. Verum non satis liquet, sitne caput M. Aurelii, an L. Veri. Cum igitur monumenta publica, saltem certa, hoc nomen reticeant, verisimile potius, illud Vero nunquam certa quapiam lege fuisse delatum, etsi per Antonini adoptionem jus illi in hoc fuit, et si illud forte in quopiam monumento in provinciis statuto conjunctum legatur, id ea ratione factum videri possit, qua Aurelius quoque adhuc Caesar in nonnullis numis, sed commatis peregrini, *Antoninus* dicitur, sed nulla publica auctoritate, ut supra in titulis M. Aurelii indicavi. Capitolinus, et Lampridius, qui datum illi hoc nomen confidenter adserunt, forte istud ex aliorum sententia scripserint; nam horum posterior memorat quoque, c) unde etiam quidam et Severum, et Pertinacem, et Iulianum Antoninorum praenominibus honorandis putant. Verum hos nullum adhuc cognitum monumentum

Antoninos pronunciat. Ejus etiam Elagabalum in Antoninorum calculo rationem non habuisse, in hujus moneta sub nomine *Antonini* videbimus.

Pontifex.

Pontificatus in Verum collati etsi non meminerint scriptores, dubitari tamen nullo pacto potest, ejus generis unum vel plures illi post adoptionem fuisse decretos. Et vero Gruterus lapidem vulgavit, in quo aliis ejus encomiis additur titulus PONTIFIC. d) Numi hunc honorem perpetuo reticent. At enim istud mirum, L. Verum in binis Gruteri marmoribus dici *pontificem maximum*, e) cum constet tamen, si quando duo Augusti imperium una tenuerunt, horum tantum unum, atque hunc seniore pontificatus maximi munere functum, dum Balbinus et Papienus morem veterem infregere. Quare marmorum horum epigrammata aut male sunt descripta, aut in provinciis a rudibus ingeniis dictata, in qua sententia comperio quoque fuisse Bimartium, qui intrusum hunc Veri pontificatum maximum copiose et erupite impugnat. f)

Pater patriae.

In numis M. Aurelii ad eundem hunc titulum probavi, Aurelium anno demum V. C. 930, ad summum exeunte anno 929 patris patriae nomen adoptasse. Quare toto illo tempore, quo L. Verum conlegam habuit, illo caruit, caruit-

a) Pag. 913.

b) Offerv. istor. p. 86.

c) in Diadum. c. 6.

d) Pag. 253. 2.

e) Pag. 257. 11. et 258. 3.

f) B. L. T. XII. Mem. p. 408.

que adeo multo magis conlega Verus, quod et egregie comprobant ejus numi, quorum nullus unquam, si modo certae sit fidei, hunc titulum ostentat. Quid sentiendum sit de marmoribus, quorum non pauca L. Verum patrem patriae creaverunt, in Aurelio eodem loco dictum.

Armeniacus, Parthicus max. Medicus.

Horum titulorum genesin jam exposui in Aurelio sub iisdem vocabulis, qui nempe eos per fratrem Verum partos suscepit etiam, sed priores duos nonnihil serius, ut jam tum innui.

Armeniacus. Hoc nomen captum a Vero in tribunatu III., et aliquanto maturius, quam illud admisit frater, jam in Aurelio stabilivimus. Fluxit hic Veri tribunatus cum anno 917.

Parthicus max. Illud quoque a Vero fuisse anticipatum, abunde in Aurelio probavi. Illud vero sibi adlegit in tribunatu V., qui cucurrit cum anno V. C. 918. Fuisse autem Verum in capiendo

hoc titulo priorem, praeter ea, quae in Aurelio dixi, confirmatur numis binis, quorum alter Aurelii est, alter Veri. Aurelii numus in averfa inscriptum offert: CONG. AVG. III. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III., et numus Veri: LIB. AVG. III. TR. P. VI. COS. II. Per numerum tribunatum utriusque numus signatus est V. C. 919, et per numerum congiarii, nempe III., uterque eodem tempore, sed numus Aurelii titulo *Parthici maximi* adhuc abstinet, quem tamen jam exhibet numus Veri, quin jam exhibuit in tribunatu V.

Medicus. De nomine hoc, in unico tantum L. Veri numo obvio, sed frequentiore in marmoribus, vide, quae ad illud idem in Aurelio observavi.

Imperator.

Quoad vixit, imperator V. est adclamatus, et semper una cum fratre Aurelio, semper propter easdem causas, quas jam memoratas in Aurelio nunc repetere supervacaneum.

PRETIUM.

Commatis Romani :

Aurei, et argentei	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini :

Argentei urbium Graecarum	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei variae formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei coloniarum.	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini.	-	-	-	-	-	-	-	C.

(Vol. VII.)

N

LVCILLA.

Nata est Annia Lucilla, ut eam vocat numus Byzantium, ^{a)} anno V. C. 900, aut paullo ante, si modo eadem est, de qua, sed dissimulato nomine loquitur Capitolinus, ^{b)} nimirum Aurelium suscepta filia fuisse tribunicia potestate donatum, quae coepit anno V. C. 900. Desponsata a parentibus M. Aurelio, et Faustina juniore L. Vero, et ad eum V. C. 907. ad sponsum missa, quo tempore is bello Parthico distinebatur, patre eam Brundisium usque deducente, et Vero ad eam excipendam ex Syria Ephesum properante. Mortuo V. C. 922 marito, cui eam propinasse venenum ferebat rumor, ^{c)} a patre denupta est Claudio Pompeiano patria Antiocheno, qui equestris tantum ordinis, at meritis, et probitate in paucis conspicuus fuit. ^{d)} Patrem ad sopiendas seditionis Calsianae reliquias in Syriam comitata Alexandriae tantisper restitit. ^{e)} Post patris Aurelii excessum perrexit frater Commodus, eam omnibus Augustae honoribus observare; sed cum majores haberi hujus uxori Crispinae, quam sibi doleret, insidias fratris comparat, quibus detectis primum Capreas ejecta, paullo post morte adficitur circa annum V. C. 936. At maritus procul ab aula ruri plerumque adfixus vitata insidiarum suspicione ad usque Severi imperium duravit. Vide Xiphilinum, Herodianum, Capitolinum.

Ait M. Aurelius in opere, quod *εἰς*

ἐαυτον scripsit, et quo loco de elatis ad funus personis Illustribus differit, ^{f)} haec addit: *Λυκίλλα Ουρηρον. εἶτα Λυκίλλα.* Eruditi neglecta ab auctore verba sic supplent: *Λυκίλλα Ουρηρον ἐξηνεγκε, εἶτα Λυκίλλα ἐξενεχθη, Lucilla Verum extulit, deinde et Lucilla elata est.* Gatakerus in subjecta huic loco nota nomine Lucillae hanc ipsam nostram Aurelii filiam, L. Veri Aug. uxorem intelligendam adferit. Istud si verum, quoniam patri sic de filia scribenti prae omnibus amplissima fides est habenda, falsa utique erunt, quae posteriores historici de Lucilla a fratre Commodo caesa memoriae prodiderunt. Quod cum nullo modo probabile sit, alius hoc loco Verus, alia Lucilla sine dubio est capienda. In initiis M. Aurelii narravimus, patrem illi fuisse Annium Verum, matrem Domitiam Calvillam, cui et *Lucillae* nomen fuit. Hos ergo dubium non est Marco in hac de communi hominum fato admonitione fuisse intellectos. Quod si quis malit Lucillam nostram intelligi, necesse erit in altero hoc orationis membro: *εἶτα Λυκίλλα*, subaudiri: *ἐξενεχθησεται, deinde et Lucilla efferetur*, quod sane oraculum vatem fallere non potuit.

Liberi. Habuisse eam liberos ex Vero quoque, etsi illud aperte non prodant scriptores, conjicitur ex ejus numis inscriptis: FECVNDITAS, quos vide, tum ex iis, quae continuo differam.

Filia incerti nominis, nupta Claudio

a) Mus. Christianae tab. LXI. b) in Aurelio, in Aurel. c. 20. c) Capitolin in Aurel. c. 26.

c) Capitolin. in Vero c. 10. d) Capitolin. f) L. VIII. § 25.

Pompejano ejusdem cum matris altero marito nominis, sed qui convictus infidiarum, quas Commodus struxit, caesus est una cum Lucilla, quae scelus suavit V. C. 936. ^{a)} Eam haud dubie Lucilla ex L. Veri conceperit. Nam si pater statuatur maritus alter Pompejanus, quoniam huic Lucilla ante annum V. C. 923, qui fuit Veri postremus, nubere non potuit, etiam dicta filia nasci non potuit ante annum 924. At constat ex Xiphilino, ^{b)} eam circa annum V. C. 936, quo matrem caesam fuisse diximus, nuptam jam fuisse alteri Pompejano, nondum ergo satis idonea matrimonio aetate, nisi L. Veri fuisse filiam statuamus.

Pompejanus, Lucillae filius ex marito altero Pompejano. Eum Caracalla et consulem bis fecerat, et omnibus bellis praeposuerat, quae gravissima tunc fuerunt. A latronibus interemptus proditur. ^{c)}

Numi:

- A. LVCILLA. AVGVSTA. *in numis omnis metalli, et formae.*
 B. LVCILLAE. AVG. ANTONINI. AVG. F. *in numis omnis metalli et formae.*
 C. LVCILLAE. AVG. M. ANTONINI. AVG. F. *in AE. I. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A.

FECVNDITAS. *Mulier sedens in consor-*

tio unius, aut duorum, aut trium infantum. AV. AR. AE. I. II.

Ex hac horum numorum averfa probare conatus est Mediobarbus, ^{d)} numos cum epigraphe LVCILLA. AVGVSTA alteri Lucillae, quam quae L. Veri fuit, esse tribuendos, nimirum quae, ut ipse existimat, secunda nunquam existit. Fecundam eam fuisse, et haud dubie etiam ex Vero, paullo supra ostendi, et quid vetat, ejus etiam ex Pompejano fecunditatem in moneta laudari, cum eam etsi privata, nuptam perinde ut antea omnibus Augustae honoribus observatam sciamus? Ad eosdem Lucillae partus referendi sunt numi inscripti IVNONI. LVCINAE, in quibus typum facit eadem dea sedens, et manu infantem fasciis involutum tenens. Nihil ergo obstat, quo minus numos omnes Lucillae nomine inscriptos huic Veri Lucillae tribuamus, et longe valere jubeamus veterum antiquariorum inde ab auctore Occone sententiam, qui eorum aliquos uxori L. Aelii Caesaris sunt admensi, cui tamen fuisse Lucillae nomen, nulla auctoritate constat, ut jam ad numos Aelii Caesaris monui.

Vt lit. A. vel B.

IVNONI. LVCINAE. *Dea velata stans dextenta florem, s. infantem fasciis involutum.* In aliis: *Mulier sedens d. florem, s. infantem similem.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Offerunt hi numi deam partus praefidem, Graecis *Ilithyiam*, Romanis *Iu-*

a) Xiphilinus.

b) ex Dion. L. LXXII. § 4.

c) Spartian. in Carac.

d) Pag. 189.

nonem Lucinam. Dionysius Halic. ^{a)} εἰς μέν τῆς Εἰλείθυιας θῆσαυρον, ἢ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἡραν Φωσφορον, in *Ilithyiae thesaurum*, quam Romani vocant *Iunonem Lucinam*. Apud Terentium Glycerium partui vicina his deam vocat: ^{b)}

Iuno Lucina fer opem, serva me, obsecro.

Ex re igitur s. infantem tenet, et dum d. florem ostentat, quoniam hic spei est solum, bene sperare de infantis salute et incrementis jubet, aut potius suum ipsa attributum ostentat ab Ovidio manifeste indicatum: ^{c)}

Ferte deae flores, gaudet florentibus herbis

Haec dea, de tenero cingite flore caput.

Dicite: tu lucem nobis, Lucina, disti,

Dicite: tu voto parturientis ades.

Explicationem magis eruditam obtulit insignis Ennius Vicecomes, ^{d)} dum typum hunc verbis Ovidii illustrat, narrantis, ^{e)} Iunonem indignatam, quod Iovi Minerva sine matre nata esset, acquisivisse modum, quo sine viro mater fieret. Cupienti Chloridem porrexisset florem, cujus illa solo contactu gravida Martem peperit. Equidem libenter ingeniosae huic sententiae subscriberem, nisi inscriptio IVNONI. LVCINAE imperaret, hoc typo intelligendam esse Iunonem illam, quae parien-

tibus opem fert, nullo adeo ad dictum de Marte mythum respectu. Atqui videmus etiam, Iunonem hanc Lucinam frequenter in Augustarum numis occurrere, non alia sane de causa, quam quod sibi olim in puerperiis opem tulit, eamque in futuris quoque sibi propitiam esse cupivere. Idem typus est etiam in numis Mamaeae et Saloninae.

Vt lit. B.

Sine epigraphe. Figura muliebris manum lauro arbori admovet, altera aquam ex mari excipit in vas puerulum nudum ablutura, puer alius ex ara pronus cadit, tres adsunt genii alati, unus arae imminet, alter suggestui, et tertius in nemore muris concluso ex arbore frondes decerpens. AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

His verbis numum hunc describit Baldinus in nova sua Vaillantii editione. ^{f)} Ipse Vaillantius in suis ad Campsianum hunc numum commentariis typo infantum lustrationem exhiberi putat, multaque admiscet, quae haud dubie monetario nunquam in mentem venerint. Ejusdem numi meminit etiam cl. Fea in Winckelmanno suo, ^{g)} ex cujus mente stans illa mulier dextera arborem quatit, ex qua Cupido velut pomum ex arbore vi impulsus pronus decidit, additque, simile argumentum existare in pictura quapiam vetere. Mirari subit, malle Cupidinem arbore excussum caput illidere solo, quam volatu evadere periculum. Non negaverim, hunc sese typum sive per leporem, sive partium compositionem commendare, verum idone-

a) L. IV. p. 220. Clem. Tom. I. p. 5.

b) in Andria Act. III. sc. 1.

c) Fast. III. 253.

d) Mus. Pio.

e) Fast. V. 229. seq.

f) Tom. III. p. 145.

g) Tom. II. p. 58.

am hactenus ejus explicationem jam esse peractam, plasse dubito.

jus numi explicatione esse statuat Vestae adseruit, invito sane Ovidio:*)

Vt lit. B.

Sine epigraphe. Templum Vestae, intus idolum, prae foribus hinc virgines tres, illinc totidem aliae ad aram luculentam sacra faciunt. AE. max. mod.

Similem averfam dedimus in numis Faustinae junioris, sed quorum auctoritatem esse valde suspectam, diximus etiam. Praesentis numi fidem vindicat patronus omni exceptione major Vaillantius, qui eum vidit ipse, et approbavit. ^{a)} Alter similis laudatur in Catalogo musei Theupoli pag. 785. Virginum Vestalium sacrificium, haud dubie factum pro salute domus Augustae, hoc typo exhiberi, causae omnes persuadent, ac primum quidem forma rotunda templi, qua illud fuisse docet Ovidius: ^{b)}

Par facies templi; nullus procurrit in illo

Angulus; a pluvio vindicat imbre tholus.

Paullo infra illud *curvum tholum* vocat. ^{c)} Ejus imaginem templi jam vidimus in denariis Calsii Longini. Conspirat etiam numerus virginum sacrificantium sex; nam cum antea quatuor essent, duas alias addidisse Tarquinium Priscum, docet Dionysius Halic. ^{d)} Idolum, quod intra templum conspicitur, cujus sit numinis, non facile edixerim. Erravit sine dubio Vaillantius, qui in Campsiani hu-

*Esse diu stultus Vestae simulacra putavi,
Mox didici curvo nulla subesse tholo.*

Et mox:

Effigiem nullam Vestae, nec ignis haerent.

Malim Palladium hoc signo intelligi, quod in Vestae templo fuisse adscriptum, copiosa docent veterum testimonia. Narrat Val. Maximus, ^{e)} Metellum ardente Vestae templo raptum inter ipsos ignes Palladium incoctume servasse. Adde Lucanum, ^{f)} Herodianum, ^{g)} et Liviam, qui ait: ⁱ⁾ *Quid de aeternis Vestae ignibus signoque, quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar?*

Reliqui Lucillae numi typos fere continent ex Augustarum moneta abunde cognitos nulla nova ad philologiae incrementum accessione. Quare dissimulare eorum mentionem bona antiquariorum venia licebit.

Numi commatis peregrini.

Insignes drachmas cum capite Lucillae, et inscriptas: ΤΙΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩ. ΜΑΙΩΝ produxi inter numos Mesopotamiae incertae urbis Vol. III. p. 520. Parum frequentes sunt numi urbium liberarum, at perrari numi coloniarum. Numi Byzantii, in quo uno Lucillae nomen *Anniae* tribuitur, jam supra meminimus.

a) Mus. de Camps p. 41. b) Faß. VI. 281. c) v. 296. d) Ant. Rom. L. III. p. 199. e) Faß. VI. 295. f) L. I. e. 4. § 4. g) IX. 993. h) in Elagab. i) L. V. c. 52.

COMMODOVS.

-P R E T I V M.

Commatiss Romani:

Aurei et Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
<i>Commatiss peregrini:</i>								
Numi drachmae pondere	RRR.
Aenei urbium liberarum	R.
Coloniarum	RRR.
Alexandrini	RR.

COMMODOVS.

Natus Lanuvii parentibus M. Aurelio Aug., et Faustina juniore Aug. anno V. C. 914, quò ipso anno pater consul III. fuit, et mortuo Antonino Pio imperium adivit, pridie Kal. Sept., qui et Caligulae natalis fuit, matre eodem partu alterum filium enixa, cui nomen *Antonini*, et ab eventu *Gemini* inditum fuit, sed qui quadrimus diem obiit. ^{a)} Tamen natum fuisse Commodum non ex Aurelio, sed gladiatore, verisimile visum Capitolino. ^{b)} Quidquid erit, sum Aurelius semper agnovit dilexitque, et gestatum ulnis saepe proposuit militibus, ac cum suis praeceptis eximie imbuat, tum viris a morum literarumque fama conspicuis, verum inutili, ut patuit, opera educandum tradidit. *Caesar* una cum fratre Annio Vero dictus est die XII. Octobris V. C. 919 petente L. Vero, quo tempore uterque Augustus de Parthis triumphavit. ^{c)}

Antequam Commodi numos describo, non inutile pro horum explicatu videatur, praefigere ordinem chronologicum, quo is dignitates per intervalla suscepit, donec *Augusti* titulo ornaretur.

A. Appellatus CAESAR die XII. Octobris V. C. 919. P. X. 166, ut continuo dictum.

B. Dictus GERMANICVS *idib. Herculeis Maximo et Orphito cos.*, id est: XV. Octobris V. C. 925. P. X. 172. ^{d)}

C. *Adsumptus in omnia collegia sacerdotalia sacerdos* XIII Kalendas Invictas Pisone et Iuliano cos., id est: die XX. Ianuarii V. C. 928. P. X. 175. ^{e)}

D. *Profectus in Germaniam* XIV. Kal. *Aelias iisdem cos.*, id est: XIX. Maji V. C. 928. P. X. 175. ^{f)}

E. Indutus est toga virili nonis

^{a)} Lamprid. in Commodo. ^{b)} in Aurel. c. 19. ^{c)} Lamprid. in Commodo c. 11. Capitolin. in Aurel. c. 12. ^{d)} Lamprid. c. 11. ^{e)} Lamprid. c. 1. et 12. ^{f)} Lamprid. c. 12.

Iul., quo tempore Avidius Cassius de-
scivit, *) id est: VII. Iulii V. C. 928.
P. X. 175, et quidem a patre ex urbe
ad limitem arcessitus. b) Dicitur tum et
PRINCEPS IVENTVTIS, c) et ante
tempus consul designatur. d)

F. Cum patre IMPERATOR appél-
latus V. Kal. Exsuperatorias Pollione ite-
rum et Apro cos. e) vel, ut Lampridius,
qui haec refert, altius dixit: f) cum
patre IMPERATOR est appellatus V. Kal.
Decembr. die, Pollione et Apro cos., id
est: XXV. Novembris V. C. 929. P.
X. 176.

G. Triumphavit cum patre de Ger-
manis ac Sarmatis ex S. C. g) et qui-
dem X. Kal. Amazonias iisdem consulibus,
h) id est: XXIII. Decemb. V. C. 929.
P. X. 176. De his Capitolinus, sed si-
ne ordine: h) Marcus in filium Commo-
dum cito nomen Caesaris, et mox sacer-
dotium, statimque nomen imperatoris, ac tri-
umphii participationem, et consulatum con-
tulit.

H. Aurelius post triumphum Com-
modum in trib. potestatem jungit, et
congiarium populo dat. i)

V. C. 925. P. X. 172.
COMMODOVS CAESAR.

COMMODOVS. CAES. GERM.
ANTONINI. AVG. GERM. FIL.

Caput nudum.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVI.
Caput M. Aurelii laureatum. AE. max.
mod. (Mus. Albani.)

In hunc annum incidit patris trib.
potestas XXVI. De inserto Germanici no-
mine vide, quae ad annum proximum
monebimus.

V. C. 928. P. X. 175.
COMMODOVS CAESAR.

* Sacerdos in omnia collegia cooptatur.
Vide lit. C.

COMMODOVS. CAES. AVG. FIL.

Caput nudum.

S. C. Culter, caput bovis detracta pelle,
apex, capeduncula. AE. II. (Mus. Caes.)
Averlae typum pertinere ad sacerdo-
tium, quod, ut observavi in M. Aure-
lio ad annum V. C. 893, Caesaribus
decretum semper fuit, nunc recens Com-
modo delatum, perspicuum est.

Eodem anno.
CAESAR. GERM.

Diximus paullo supra, (ad lit. B.)
Commodo Germanici titulum jam fuisse
decretum anno V. C. 925, quo nimirum
et patri Aurelio, sed cum neque Aure-
lius illum ante annum praesentem in nu-
morum anticam receperit, ut in ejus
moneta ad hunc annum vidimus, sequi-
tur, neque filium eo maturius ulum.
Non obstat, Commodum in numo ad
annum V. C. 925 laudato dici Germani-
cum in parte antica; nam is forte pro-
pter hanc ipsam ἀνομαλίαν videri potest
suspectus, aut permutata matrix, de
quo arbitrentur ἀνοπται.

a) Lamprid. c. 2. b) Capitolin. in Aurel. c. 22.
c) Lamprid. c. 12. f) Cap. 2. g) Lamprid. c. 2.

c) Lamprid. c. 2. d) Capitolin. in Aurel. c. 22.
h) in Aurelio c. 12. i) Capitolin. in Aurel. c. 27.

COMMODOVS, CAES. AVG. FIL.

GERM. *Caput nudum.*

M. ANTONINVS. AVG. GERM. TR.

P. XXIX. *Caput M. Aurelii laureatum.*

• AR. (Mus. Caes.)

• Aurelii trib. potestas XXIX. in annum praecedentem incidit.

• *Eadem * aduersa. **

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans.*

AR. (Mus. Caes.)

L. AVREL. COMMODOVS. CAES.

AVG. FIL. GERM. *Caput nudum.*

LIBERALITAS. AVG. *Caesar sedens in suggestu stante retro alia figura, adstans Liberalitas, figura per gradus ascendente.* AV. (Mus. Prisc. de Waldeck.) *Addito S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

• Telle Lampridiō *) Commodus *adhuc in praetexta puerili congiarium dedit, atque ipse in basilica Trajani praesedit.* Praesentes ergo numi circa hoc tempus certo sunt signati; non prius, nam, ut vidimus, nonnisi hoc anno in ejus numis Germanici titulus saltem ex lege ordinaria scribi coepit; non posterius, nam paullo post posita praetexta virilem togam induit, ac tum quoque porrectum fuisse congiarium, docet Capitolinus: b) *Filio Commodō accersito ad limitem togam virilem dedit; quare congiarium populo divisit.* In Aurelii numis hujus anni revera binae liberalitates VI. et VII. memorantur, quo numerorum testimonio duplex haec forte in Commodi gratiam erogata liberalitas intelligitur, et utriusque historici oraculum rite firmatur;

cumque alia aliam intra modicum tempus consequeretur, factum fuerit, ut, quae re ipsa fuit duplex, deinceps pro simplice haberetur, quod verisimile fit ex numis Aurelii anno V. C. 930 signatis, qui rursus *Liberalitatem Aug. VII.* praedicant, neglecta nimirum septima anni praesentis, sed quae eadem fuisse cum sexta visa fuerit.

Eodem anno:

CAESAR. PRINC. IVV. COS. DES. GERM. SARM. -

Aurelius Commodum ex urbe ad limitem evocat, eique togam virilem dat nonis Iul. *Principem juventutis* dicit, et ante tempus *consulem* designat. Vide haec omnia supra sub lit. E. Cum patre in Orientem ad componendas tumultus Caesariani reliquias proficiscitur. c) *Sarmatici* quoque titulus, quem hoc etiam anno adscivit pater, cum filio communicatur.

A. COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput nudum, in AR. et AE. II.*

B. L. AVREL. COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput nudum, in AR. et AE. I. II.*

Vt lit. A.

EQVESTER. ORDO. PRINCIPI. IVVENT. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Refert Lampridius: d) *Commodum cooptatum inter tres solos principes juven-*

a) in Comm. c. 2. Comm. c. 2.

b) in Aurelio c. 22.

c) Lamprid. in Comm. c. 2.

d) in

tutis, cum togam sumpsit, etsi verba: tres solos in mendo haud dubie cubent, quod pridem obseruarunt Casaubonus, et Salmasius. Eandem aersae epigraphen jam vidimus in numis Neronis Caesaris. Qua ratione equester ordo cum principe iuventutis connectatur, disce ex iis, quae in volumine VIII. de titulo *Principis iuventutis* differemus.

Vt lit. A.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Pertinet aersa ad sacerdotium Commodi, de quo actum supra.

Numi reliqui: HILARITAS, vel: IOVI. CONSERVATORI, vel: PRINC. IUVVENT. vel SPES. PVBLICA cum suis typis.

Citati in hoc paragrapho numi etiam sequentem annum patiuntur.

V. C. 929. P. X. 176.

CAESAR. PRINC. IUVV. COS. DES. GERM. SARM.

Anno inclinante ex Oriente Rosam redux cum patre IMPERATOR appellatur die XXVII. Novembris. Cum eodem de Germanis, et Sarmatis triumphat die XXIII. Decembris, et paullo post tribunicia potestate donatur. (Vide supra lit F. G. H.) Quid de titulo *imperatoris* hic indicato, et initio trib. potestatis sit sentiendum, infra in his titulis disputabitur.

COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput nudum.*

(Vol. VII.)

DE. GERM. *Congeries armorum Germanicorum.* AV. AR. (Vaill.)

COMMODOVS. CAES. AVG. F. *Caput nudum.*

DE. GERMANIS. *Tropaeum cum adfidentibus duobus captivis.* AV. (Vaill. AE. II. Mus. Caes.)

Numus testis triumpho anno hoc exeunte de Germanis acti. Similes etiam cum capite patris Aurelii eodem hoc anno prodivere.

Reliquos hujus anni numos pete ex anno praecedente.

V. C. 930. P. X. 177.

CAES. PRINC. IUVV. COS. GERM. SARM.

Kalendis Ianuariis consul procedit.

COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. COS. *Caput nudum.*

FELICITATI. CAES. S. C. *Navis cum remigantibus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide numum explicatum in numo Aurelii synchrono FELICITATI. AVG.

Eadem adversa.

PRINCIPI. IUVVENTVTIS. S. C. *Duae dexterarum junctarum signum militare prae navis infixum tenent.* AE. II. (Mus. Caes.)

Incipit in numis hujus anni

IMP. CAES. TR. P. COS. GERM. SARM.

Circa hoc tempus Crispinam uxorem ducit.

De tribunicia Commodi potestate, quae tam spectato principio, quam ite-

ratione merum est aenigma, vide, quae olim in tractatu de tribunicia potestate copiose disputabimus. Illud explicandi cum hactenus ratio, quae satisfaceret, reperta non sit, misis interea controversiis ea tantum proponemus, quae numeri enunciant, cumque hi singulis annis singulas tantum trib. potestates dempto praesente, et postremo Commodi memorent, titulis annalium non nisi simplicem, et quae tantum in singulorum annorum numis legitur, trib. potestatem praefigam. De nomine *imperatoris* tanquam praenomine hoc anno adhiberi coepto vide infra ad hunc titulum.

IMP. CAES. L. AVREL. COMMODOVS. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

TR. POT. COS. * *Vterque imperator in quadrigis triumphalibus, praecedit miles cum vexillo, superne volitans Victoria cum tropaeo.* AE. max. mod. (Mus. Pisani, M. Ducis, Buonarroti. Offer. istor.)

Indicatur triumphus ab utroque imperatore anno praecedente de Germanis actus.

Eadem adversa.

TR. POT. COS. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Demptis his numis non mihi cognitus alter, (Mediobarbum, et catalogorum incerta indicia praetereo) qui cum consulatu simplice simplicem quoque trib. potestatem conjugat.

Eadem adversa.

CRISPINA. AVG. *Caput Crispinae.* AV. (Mus. olim de France.)

Eodem anno:

IMP. CAES. TR. P. II. COS. GERM. SARM.

IMP. CAES. AVREL. COMMODOVS. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

TR. P. II. COS. S. C. *Commodus in lentis quadrigis d. sceptrum cum aquila.* AE. I. (Mus. Caes. et reg. Christinae.)

Typus hic indicat Commodi processum consularem anni praesentis.

Eadem adversa.

DE. GERM. *in aliis:* DE. SARM. TR. P. II. COS. S. C. *Tropaeum adsidentibus duobus captivis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Idem typi sunt in coaevis Aurelii numis.

Eadem adversa.

LIBERALITAS. AVG. TR. P. II. COS. S. C. *Vterque imperator in suggestu sedens adstante Liberalitate, et alia figura, tertia per gradus ascendente.* AE. I. (Mus. Caes.)

In numo Aurelii synchrono praedicatur eadem liberalitas, sed numero VII. Occasionem praebiti hujus congiarii facile colligo ex Capitolino narrante, a) ab Aurelio congiarium populo datum, quo tempore Commodum cum Crispina copulavit, quod factum hoc fuisse anno, et circa istud tempus, proximi numi docebunt.

Exstant etiam numi argentei cum eadem antica, et inscripti: TR. POT. II. COS. et typis obviis.

a) in Aurel. c. 27.

Eodem anno:

AVG. TR. P. II. COS. P. P. GERM. SARM.

Aurelius Commodum AVGVSTVM, quin et PATREM PATRIAE appellat, et *imperatoris* ex victoriis titulum cum eo communicat. Omnia ex numis.

IMP. L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

DE. GERM. *vel:* DE. GERMANIS. *in aliis:* DE. SARM. TR. P. II. COS. P. P. S. C. *Congeries armorum, vel: tropaeum duobus captivis adfidentibus.* AE. I. II. (Muf. Caef.)

Eadem aduersa.

TR. P. II. COS. P. P. *Mulier stans d. pateram, f. vexillum.* AR. (Muf. Caef.)

IMP. * COMMODVS. AVG. GERM. SARM. CRISPINA. AVG. *Capita duo se respicientia, Commodi laureatum, et Crispinae.*

VOTA. PVBLICA. *Commodus togatus, et laureatus stans dexteram jungit cum adstante Crispina, adfistente in utriusque medio Concordia.* AE. max. mod. (Muf. reg. Gall. tab. XVI., de Camps.)

Eloquitur numus vota publice concepta, cum Commodus, et Crispina matrimonii nexu jungerentur, quod factum circa illud tempus.

*Eodem anno:
Incipit IMP. II.*

L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum.* IVNONI. SISPITAE. TR. P. II. IMP. II.

COS. P. P. *Iuno Sispita gradiens, pro pedibus serpens.* AR. AE. I. (Muf. Caef.)

Celebris hac aetate Lanuvinae deae cultus, quam monetario jam honore adfecit Antoninus Pius, ut dictum in hoc ad annum V. C. 893, et nunc Commodus, nimirum quoniam uterque in municipio Lanuvio ejus deae domicilio flatus est.

Eadem aduersa.

TR. P. II. IMP. II. COS. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II.

V. C. 931. P. X. 178.

TR. P. III. COS. DES. II. P. P. GERM. SARM. IMP. II.

Die V. Augusti ad bellum Germanicum cum patre proficiscitur. (Lamprid. in Coimm. c. 12.)

L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. III. *Caput laureatum.*

VOTA. PVBLICA. IMP. II. COS. P. P. *Sacrificium perelegans plurium figurarum, pons templum.* AE. max. mod. (Muf. M. Ducis.)

Perperam in numo simili musei de Camps Vaillantius pro TR. P. III. legit BRIT.; quod repugnat historiae.

Fere expirat GERM. SARM.

A. L. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

B. L. AVREL. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum, in AR. AE. II.*

C. L. AVREL. COMMODVS. AVG. TR. P. III. *Caput laureatum in:*

AE. I., etiam radiatum, in AE. II.

Vt lit. A. vel B.

COS. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caef.)

Hi numi certe anno praesenti sunt tribuendi; nam anno priore usus adhuc est titulis *Germanici*, et *Sarmatici*, et sequente jam fuit COS. II.

Vt lit. B.

TR. P. III. IMP. II. COS. P. P. *typis variis.* AR. AE. II.

Vt lit. C.

VOTA. PVBLICA. IMP. II. COS. P. P. S. C. *Imperator velatus stans d. pateramq. f. sceptrum ad tripodem sacrificat victimario juxta taurum feriente.* AE. I. (Mus. Caef.)

V. C. 932. P. X. 179.

TR. P. IV. COS. II. P. P. IMP. II.

Bello Germanico cum patre interest. Vide annales M. Aurelii.

A. L. AVREL. COMMODOVS. AVG. TR. P. IIII. *Caput laureatum, in AE. I., radiatum in AE. II.*

B. L. AVREL. COMMODOVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

Vt lit. A.

IMP. II. COS. II. P. P. S. C. *typis variis*, vel: VOTA. PVBLICA. IMP. II. COS. II. P. P. etc. *typis averlae jam notis.*

Eodem anno:

IMP. III.

Ex victoria de Germanis imperatoris

titulum cum patre multiplicat. Vide annales M. Aurelii.

L. AVREL. COMMODOVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. IIII. *Caput laureatum.*

IMP. III. COS. II. P. P. *Victoria in quadrigis.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Intermissi *Germanici Sarmatici* tituli in hoc numo revocantur, forte postremum.

Vt lit. A.

IMP. III. COS. II. P. P. S. C. *typis variis.* AE. I. II.

Vt lit. B.

TR. P. IIII. IMP. III. COS. II. P. P. *typis Victoriae, Salutis, Fortunae etc.* AR.

V. C. 933. P. X. 180.

TR. P. V. COS. II. DES. III. P. M. IMP. III.

L. Fulvio Bruttio Praesente II. Sex. Quintilio Condiano cos.

Mortuo die XVII. Martii patre imperium solus tenet. Relicto, non finito bello, et pace cum barbaris transacta, et suscepto hac, ut videtur, de causa imperatoris IV. titulo revertitur, et triumphat.

A. L. AVREL. COMMODOVS. AVG. TR. P. V. *Caput laureatum in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

B. L. AVREL. COMMODOVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. II.*

Vt lit. A.

IOVI. VICTORI. vel: VIRTVS. AVG. etc. addito semper: IMP. III. COS. II. P. P. S. C. in AE. I. II.

Vt lit. B.

TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. II.

Eodem anno:
IMP. IV.

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVG. IMP. III. COS. II. P. P. S. C. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Mus. Caes.)

Romam hoc anno reversum Commodum, hoc numo plene comprobatur. Fuisse autem jam in urbe die XXII. Octobris, certum est ex Lampridio, qui narrat: ^{a)} Commodum *datum in perpetuum ab exercitu, et senatu in domo Palatina Commodiana conservandum XI. Kal. Romanas Praesente iterum cos.*, qui dies est XXII. Octobris anni praesentis. Similes numos etiam aureos, et argenteos dicit Vaillantius, sed inscriptos tantum: ADVENTVS. AVG., nulla utrinque seu trib. potestatis, seu consulatus facta mentione. ^{b)} Praeter numum hunc est in museo Caesareo alter aeneus I. formae cum eodem tribunatu V., et inscriptus in averfa: FORT. RED., qui adeo ad idem argumentum pertinet.

Vt lit. B.

TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR.

Paulo post abolitis L. AVRELII nominibus paterna M. ANTONINI adsciscit. Vide infra in his nominibus. Sunt ergo deinceps numi inscripti:

M. COMMODOVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum.*

LIB. AVG. TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem averfa.

LIBERALITAS. AVG. TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. S. C. *Imperator sedens in suggestu adstante Liberalitate etc.* AE. I. (Mus. Caes.)

Exhibent hi numi congiarium populo ob imperii auspicia repraesentatum. Fuisse Commodum liberalem, et saepe populo congiarium drachmarum CXL. viritim dedisse, refert Dio insanorum ejus factorum testis ipse. ^{c)} At nimium videtur ejus efferre prodigalitem Lampridius, cum congiarium eum dedisse populo, singulis denarios DCCXXV. narrat, ^{d)} nisi forte per incuriam scripsit *denarios* pro verisimiliore *sestertios*, etsi idem testetur alibi, ^{e)} *helvatum* illum *viribus Romani imperii.*

Eadem averfa.

TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I.

V. C. 934. P. X. 181.

TR. P. VI. COS. III. P. P. IMP. IV. *Commodo Aug. III. L. Antistio Burro cos.*

Nihil ad hunc annum memorabile proditum.

A. M. COMMODOVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

a) in Comm. c. 12
Comm. c. 16.

b) Num. praest. T. II. p. 182.
c) in Comm. c. 3.

c) L. LXXII. § 16.

d) in

B. M. ANTONINVS. COMMODOVS. bella plura per legatos gesta memorantur. AVG. *Caput laureatum in AV.* historici neglecta temporis notione. AR. AE. II.

Vt lit. A.

LIB. AVG. III. TR. P. VI. IMP. III. COS. III. P. P. *Liberalitas stans.* AR. In aliis: • *Imperator sedens in suggestu etc.* AE. I. (Mus. Caes.)

Jam etiam Commodi congiaria digeri per numeros incipiunt, et re ipsa congiarium anni praesentis quartum numero est post primum anni V. C. 928, alterum anni 930, tertium anni 933, de quibus actum suis locis. Causa hujus liberalitatis laet, et si parabiles sunt prodigo tituli, quibus sua pessumdet.

Vt lit. B.

TR. P. VI. IMP. III. COS. III. P. P. • *variis typis.* AR. AE. II.

Vt lit. A.

VOTA. DECENN. SVSC. TR. P. VI. IMP. III. COS. III. P. P. S. C. *Imperator velatus stans d. pateram super tripode sacrificat.* AE. II. (Mus. Caes.)

Renovantur in hoc numo vota, quae Commodus initio imperii suscepit. Eorum iterum ad annum V. C. 937 fieri mentionem, infra videbimus. De varia hac votorum lege multa differemus in tractatu singulari.

V. C. 935. P. X. 182.

TR. P. VII. COS. III. DES. IV. P. P. • *IMP. IV. V.*

C. Petronio Mamertino, Corn. Ruso cof.

Imperator V. Commodus parte anni posteriore acclamatur testibus numis, qua ex victoria, incertum; nam

A. M. COMMODOVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in omni metallo et forma, in AE. II. etiam radiatum.*

B. M. ANTONINVS. COMMODOVS. AVG. ut in prioribus.

Vt lit. B.

LIB. AVG. V. TR. P. VII. IMP. III. COS. III. P. P. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.). *In alio quatuor figurae.* AV. (Vaill.)

Vt lit. A.

TR. P. VII. IMP. III. (*in serius signatis.* IMP. V.) COS. III. P. P. *typis variis, et obviis.* AR. AE. I. II.

V. C. 936. P. X. 183.

TR. P. VIII. COS. III. P. P. IMP. V. • *VI.*

Commodo Aug. IV. C. Aufidio Victorino II. cof.

Imperator VI. hoc labente anno dicitur Commodus, ex qua victoria, incertum. Britannicam putat Tillemontius. Gravem conspersionem evadit Commodus, cujus auctor fuit Lucilla soror, sed quae morte prava consilia luit. (Vide supra in Lucilla.)

A. M. COMMODOVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in numis, omnis metalli, et formae.*

B. M. AVREL. COMMODOVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AE. max. mod.*

Vt lit. A.

TR. P. VIII. IMP. V. (*in ferius signatis: IMP. VI.*) COS. III. P. P. *typis variis.* AR. AE. I. II.

Vt lit. B.

TR. P. VIII. IMP. V. COS. III. P. P. *Imperator eques leonem hasta ferit.* AE. max. mod. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Vt lit. A.

MVNIFICENTIA. AVG. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. III. P. P. *Elephas loricatedus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Aversa numi II. studia, et notas Commodi artes graphice exhibet perhibente Herodiano, eum sagittandi arte ipsos Parthos superasse, et centum leones uno die sagittis interfecisse. Sed de his imperatoris meritis alias. Numus postremus ludos ab eo editos indicat. De elephante loricatedo, et inscriptione MVNIFICENTIA ad ludorum solennia pertinente vide, quae diximus in Antonio Pio ad annum V. C. 902.

Incipit PIVS.

Nimirum ut narrat Lampridius: ^{a)} *inter haec Commodus senatu semet ridente, cum adulterum matris consulem designasset, appellatus est PIVS.*

- A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput cultu solito in omni metallo.*
- B. M. COMMODVS. ANTON. AVG. PIVS. *Caput laureatum in AR.*
- C. M. AVREL. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum in AE. max. mod.* (Reg. Gall.)

Vt lit. A.

ANNO. AVG. *vel:* PROV. AVG. *vel:* SALVS. AVG. *addito semper* TR. P. VIII. IMP. VI. COS. III. P. P. S. C. *cum typis propriis.* AE. I.

Vt lit. A. vel B.

TR. P. VIII. IMP. VI. COS. III. P. P. *typis perquam variis, in omni metallo, et forma.*

Vt lit. C.

I. O. M. *Caput Iovis hedera, et corymbis coronatum.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Insolens in Iove capitis cultus, quod Bacehi Indici haberi posset, nisi vetaret epigraphe Iovis *Optimi Maximi.*

V. C. 937. P. X. 184.

TR. P. IX. COS. IV. P. P. PIVS. IMP. VI.

Incipit PONT. MAX.

L. Eggio Marullo, Cn. Papirio Aeliano *cof.*

Bellum hac tempestate grave cum Britannis murum transgressis, gestum duce Vlpio Marcello viro artis militaris, atque disciplinae scientificissimo. ^{b)} Ex ejus victoriis Commodus primum titulus imperatoris VII., mox Britannici paritur.

- A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput cultu solito, in numis omnis metalli et formae.*
- B. M. COMMODVS. ANTON. AVG. PIVS. *ut in prioribus.*
- C. M. AVREL. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

^{a)} Cap. 8. ^{b)} Dio, L, LXXII. § 8.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. III.
P. P. *typis variis, et obviis.* AR. AE. I. II.
Potior pars numerorum hujus anni sic
inscribitur, multum tamen variantibus,
etsi cogniti argumenti, typis. Reliqui
numi: ANN. AVG. vel: VOTA. PV-
BLICA. etc. sed memorandus adhuc se-
quens:

Vt lit. C.

TEMPORVM. FELICITAS. . . . COS.
III. P. P. *Mulier sedens dextera porrecta
spicas, ante illam quatuor puelli nudi fru-
ctus ex arbore decerpunt, et in adstitutum
vas immittunt.* AE. max. mod. (Mus.
Com. de Vitzei.)

Extritis reliquis temporis notis nu-
mus hic certae suae sedi hactenus inferi
nequit. Exstat numus similis inter numos
maximae formae regis Galliarum, sed
in quo notae omnes chronologicae de-
sunt aetatis haud dubie injuria. Typus
suaapte perelegans. Quatuor puelli, tan-
quam quatuor *ωπαί*, totidem anni tem-
pora demonstrant, ut patet ex numo si-
militer inscripto, quem dabimus ad an-
num V. C. 944.

Eodem anno: IMP. VII.

Vt lit. A. Caput radiatum.

R. M. TR. P. VIII. IMP. VII. COS. III.
P. P. S. C. *Roma sedens.* AE. II. In aliis:
Genius nudus stans sacrificat. AR. (Mus.
Caes.)

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEP. DECENN. P. M. TR.
P. VIII. IMP. VII. COS. III. P. P. S.
C. *Imperator velatus stans ad tripodem sa-
crificat.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SVSC. DEC. . . . *reliqua,
ut in praecedente.* AR. (Mus. Caes.)

En tibi rursus, ac iterum proxime
vota decennalia suscepta, quorum fieri
mentionem jam ad annum V. C. 934.
vidimus. De his amplius differemus in
tractatu de numis votorum.

*Eodem anno:
Incipit BRIT.*

A. M. COMM. ANTON. AVG.
PIVS. BRIT. *Caput laureatum,
in AR.*

B. COMM. ANT. AVG. P. BRIT.
Caput laureatum in AR.

C. M. COMMODOVS. ANTON. AVG.
PIVS. BRIT. *Caput laureatum in
AE. I. radiatum in AE. II.*

D. M. COMMODOVS. ANTONINVS.
AVG. PIVS. BRIT. *Caput laurea-
tum in AE. max. mod.*

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VIII. IMP. VII. COS. III.
P. P. *variis typis.* AR.

Vt lit. C.

VOTA. SVSCEP. DECEN. etc. *ut in pa-
ragrapho proxime superiore.* AE. I. (Mus.
Caes.)

Vt lit. D.

VOTA. PVBLICA. *Imperator ante tem-
plum sacrificat adstantibus multis figuris.*
AE. max. mod. (Mus. Albani.)

V. C. 938 P. X. 185.

TR. P. X. COS. IV. DES. V. P. M. P. P.
PIVS. BRIT. IMP. VII.

Materno, Bradua cos.

Milites Perennem praefectum praeto-

rio ad mortem postulant. Horum minis
territus Commodus eum militum furori
permittit, a quibus cum tota familia
perimitur. a) Eo caeso FELIX appella-

tur. b) Tillemontium, qui caedem Per-
ennis in annum sequentem differt, infra
sub titulo *Felix* refutatum vide.

- A. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AV. AR.*
B. M. COMMODOVS. ANTON. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
C. M. COMM. ANTON. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. II.*
D. M. COMMODOVS. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod. (Vaill.)*

Vt lit. D.

BRITANNIA. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P. *Mulier insidens ruppibus d. aquilam legionariam, f. innixa clypeo, cui inscriptum S. P. Q. R., hastam tenet.* AE. max. mod. (Vaill. Mus. M. Ducis.)

Similem typum sitimus etiam in moneta Antonini ad annum V. C. 893. E-
jus in moneta Commodi occasionem prae-
buit bellum in hac insula hoc ipso tem-
pore gestum, ex quo *Britannici* libi no-
men imperator emeruit.

Vt lit. B.

ITALIA. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. S. C. *Mulier globo insidens d. cornucopiae, f. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. II.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P. *Iuppiter seminudus stans d. circulum,*

ex quo tres (in aliis quatuor, in aliis quinque) virgines prodeunt, f. scipionem, ex aduerso stat puellus f. elata ramum, aut florem, aut cornucopiae ostentans. AE. max. mod. (Vaill. in num. max. mod. Mus. reg. Christianae; et Caesareo, M. Ducis, Albani.)

Incerta esset hujus typi explicatio, nisi iuaretur noto Hadriani numo, in cuius averfa: SAEC. AVR. *Vir seminudus stans d. circulum contingit, quo totus ambitur.* Ergo et typo numi praesentis, qui idem est, nisi quod sigillis est locupletior, *Saeculum aureum* intelligitur, quale, si Commodo ipsi fides, hoc imperante vere exstitit. Nam is teste Lampridio c) SAECVLVM AVREVM, COMMODIANVM nomine asmilans vilitatem proposuit, ex qua majorem penuriam fecit. Magis illustre testimonium Dionis perhibentis, d) decrevisse Commodum, *ut id aevum, quo principatum teneret, nominaretur SAECVLVM AVREVM, idque in omnibus literis scriberetur,* etsi ejusdem Dionis iudicio,

a) Dio, Lamprid, Herodian. (Vol. VII.)

b) Lamprid, c. 8.

c) Cap. 14.

d) L. LXXII. § 15.

quod alibi aperit, ^{a)} saeculum ab nobili hoc metallo appellatum imperante quidem patre Aurelio fluxit, sub filio Commodo ad ferrum, et rubiginem infeliciter redactum. Hujus ergo numi typum concepit adulatio, quae eadem parturivit aliam huic adlinem, et parasiticam epigraphen in numis Nicaeensium, Cianorum, et Caesarensium Capadociae: ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ Ο ΚΟΚΜΟΚ ΕΥΤΥΧΕΙ: *Commodo imperante orbis felix est.* Confer etiam numum Alexandri Severi in ejus numis vagis propositum, et inscriptum: TEMPORVM FELICITAS.

Vt lit. C.

PRIMI. DECENN. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SVSCEP. DECEN. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P. S. C. *Imperator velatus ad tripodem sacrificat.* AE. I. (Mus. Caes.)

De decennialibus his votis agetur in peculiari dissertatione.

Vt lit. B.

VICT. BRIT. P. M. TR. P. X. IMP.

- A. M. COMMODOVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. In horum nonnullis infra caput leguntur literae P. D., quas explicabo infra in numo: P. D. S. P. Q. R.*
- B. M. COMM. ANT. FEL. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AR.*
- C. M. COMMODOVS. ANT. FELIX. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AE. I. In nonnullis infra caput legitur P. D.*
- D. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. et AR.*

VII. COS. III. P. P. S. C. *Victoria armis insidens d. palmam, f. clypeum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno: FELIX.

- A. M. COMM. ANT. FEL. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AR.*
- B. M. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. FEL. *Caput laureatum in AR.*
- C. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

Vt lit. C.

SAEC. FEL. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P. *Victoria f. pede galeae insistens clypeo super palmae trunco posito inscribit Vota Decennalia.* AR. (Mus. Caes.)

Reliqui: CONC. MIL. vel: FEL. AVG. etc. addito semper: P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. III. P. P.

V. C. 939. P. X. 186.

TR. P. XI. COS. V. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VII. VIII.

Commodo Aug. V. Glabrione II. cof.

Imperator VIII. anno hoc labente acclamatur, incertum, ex qua victoria.

a) L. LXXI. § 36.

- E. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum, vel radiatum in AE. II.*
- F. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FÈLIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod. (Mus. Medic.)*
- G. M. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. FEL. *vel: P. FEL. BRIT. Caput laureatum in Quinariis. (Mus. Caes.)*

Antica incerta.

FORTVNAE. DVCL. C. V. P. P. *Imperator ad aram sacrificans adstante Fortuna. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)*

Fortunam ducem jam vidimus in moneta patris ad annum V. C. 929.

Vt lit. D. vel A.

FORTVNAE. MANENTI. COS. V. P. P. *Mulier sedens d. equum capistro retinet, f. cornucopiae. AR. AE. I. (Mus. Caes.)*

Fortunam *Manentis* cognomine cultam sibi Commodi numi nos edocent, est copiosa alia a Romanorum superstitione indita memorent scriptores. Horatio laudatur *Fortuna manens*, sc. *mobilis* opposita. ^{a)} At vero cur Fortuna in hoc numo equum retineat, ratio videtur obscura, forte quoniam Fortuna, quae *Manens* in hoc numo appellatur, eadem fuerit cum Fortuna *Equestri*, cui Fulvius Flaccus, postquam ope equitatus Celtiberos profligavit, aedem vovit, ^{b)} et cujus templum stetit apud Antium refert Tacitus. ^{c)} Observandum, typum fere similem esse in numis Antiochiae ad Hippum Decapoleos, sed in his mulier cum cornucopiae est Fortuna urbis, et equus adlusio ad montem, cui urbs infedit, et cui nomen *Ἰππος*, *equus*, fuit.

Vt lit. A.

IOVI. EXSVPER. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. S. C. *Iuppiter sedens d. ramum, f. hastam. AE. I. (Mus. Caes.)*

Truncam vocem EXSVPER. explendam EXSVPERantissimo, docet insigne marmor, quod edidit Sponius, ^{d)} in quo legitur: I. O. M. SVMMO. EXSVPERANTISSIMO. Ampliora de hoc love praedicat marmor Vindobonense jam publicijuris factum a Scipione Maffeo: ^{e)}

SVMMO
SVPERANTISSIMO
DIVINARVM. HV
MANARVMQVE
RERVM. RECTORI
FATORVMQVE. AR
BITRO. - -

Callimacho hic Iuppiter dicitur *Κρονίδης πανπερτατος*. ^{f)} Ipse Commodus *Exsuperatorii*, *ὑπεραιρουτος*, sibi titulum addidit, tanquam qui mortales omnes omnibus in rebus superaret, ut explicat Dio. ^{g)} Quin et mensum hoc nomine adfecit, ut narrabimus infra. EXVPERATOR. OMNIVM. GENTIVM dicitur etiam in numis Constantinus M.

a) L. III. ode 29. b) Livius L. XL. 40. c) Annal. III. 71. d) Miscell. p. 71, 72.
e) Mus. Veron. p. 248. f) Hymn. in lov. v. 91. g) L. LXII. § 15.

Antica varia.

LIB. vel: LIBERAL. AVG. VI. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. *Liberalitas stans, vel: Imperator sedens in suggestu etc.* AR. AE. I. II.

Vt lit. A.

NOBILITAS. AVG. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. S. C. *Mulier stans d. hastam, f. icunculam, quae d. pateram, f. hastam tenet.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Nobilitatem in hoc numo suam jactat Commodus. Et vero teste Herodiano^{a)} carus principio Romanis fuit, quod tres successive imperatores contingeret, et patricio genere ortus esset, (*ἐπαρτιδης*) nam paternum ei genus a primoribus senatorii ordinis fuit, mater autem Faustina, Augusta ipsa, Antonini Pii filia, Hadriani etiam per matrem neptis, genus suum ad ipsum Trajanum proavum referebat. Quare in marmore quoque apud Gruterum^{b)} reliquis ejus titulis in fine additur: *Nobilissimo principi.* Aversam similem videbimus quoque in numis anni sequentis.

Edidit Oyselius numum cum eadem epigraphe, sed typo Anubidis stantis, d. sistrum, f. hastam tenentis.^{c)} Singularis hujus numi non meminit Vaillantius, et deest in museo Caesareo, atque ii, qui ejus meminere, Mediobarbum puto, et Gelsnerum, alium ab Oyselio testem proferre in medium non potuere. Ego, qui Oyseliana omnia spectata numerorum fide semper sum asper-

natus, ejus numi mentionem non facerem, nisi viderem, Zoegam ex hoc Anubidis typo urgere, adfectasse Commodum ab Aegyptiis diis genus, et nobilitatem adeo suam repetere.^{d)} Vtrum vir praeclarus in museis Romanis numum Oyseliano similem, eumque vere antiquum viderit, ignoro.

Vt lit. D. vel E.

OPTIME. MAXIME. C. V. P. P. *Iuppiter stans d. fulmen, f. hastam, in nonnullis pro pedibus aquila.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Memoranda epigraphes insolentia acclamationis ritu conceptae. Existimat Spanhemius,^{e)} Commodum in hoc numo Iovis ritu proponi, et ad eum pertinere quoque nomina *Optimi Maximi.* Sed non satis ad id rationis apparet. Vtrumque quidem Commodo tribuitur in marmore Muratorii,^{f)} sed ante hunc quoque pluribus Augustis aliis, quos ex lapidibus recenset Marinus.^{g)}

Vt lit. E.

P. D. S. P. Q. R. LAETITIAE. C. V. *intra lauream, extra quam S. C. AE. II.* (Mus. Caes.)

M. COMMODOVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum, infra quod P. D.*

S. P. Q. R. LAETITIAE. C. V. *intra lauream, extra quam S. C. AE. I.* (Mus. Caes.)

Numus ex propositis prior editus jam existat a Mediobarbo, Patino, et in museo Theupoli, at omnium horum fal-

a) in Commodo.
e) Tom. II. p. 501.

b) Pag. 262. 4.
f) Pag. 340.

c) Tab. LXXI. n. 7.
g) Frat. Arv. p. 559.

d) Num. Aegypt. p. 239.

lit lectio, cum primas in averſa epigra-
 phes literas eſſe P. P. edicerent, atque
 iis adeo *Patrem Patriae* cenſerent indi-
 cari. Quo tempore catalogum muſei
 Caefarei conſcripſeram, in numo ſimi-
 li, quem tum reperi, facile quidem ad-
 verti, alterum elementum eſſe cer-
 tum D., verum eo imprudens peccavi,
 quod primam literam eſſe D. puta-
 rem in numo eo loco aliquantum
 vitiato, ſic ut pro credito aliis P. P. le-
 gendum D. D. cenſerem. Serius alter
 magis ſanus muſeo acceſſit, qui, ut ſu-
 pra deſcripſeram, literas indubitatas
 P. D. ſtatit, ex cujus adeo praecepto et
 veteranus illorum, meusque novicius
 error feliciter corrigendus. Haud multo
 poſt is, quem altero hic loco recensui,
 in theſaurum Caefareum pervenit, cu-
 jus averſa priori ad omnem apicem eſt
 ſimillima, niſi quod in hac literae P.
 D. omiſſae ſunt. At cum ejus numi
 partem quoque anticam attentius perlu-
 ſtrarem, vidi, in hanc eaſdem fuiſſe li-
 teras trajectas, et juſto intervallo ab
 reliqua inſcriptione utrinque avulſas ſo-
 litariam infra ipſius Commodi caput
 ſtationem obtinere. Ea res propter inſo-
 lentiam mirā ſane viſa, nam literae ſo-
 litariae in parte antica monetae Caef-
 areae prioribus tribus ſaeculis locum
 vix habet, inſtigavit, ut omnes Com-
 modi numos ſecundis curis in examen
 vocarem. Ex quo inquirendi ſtudio eum
 cepi fructum, ut praeter eum, quem
 mox citavi, tres alios reperirem iisdem
 literis eodem infra caput loco onuſtos,
 omnes I. formae, atque omnes anni
 praefentis, quorum unus inſcriptus:
 FID. EXERC. alter; IOVI. EXSVPER.
 tertius; NOBLITAS. AVG. Addidit

quartum Baldinus ad Vaillantium: PRO-
 VID. AVG. At nunc harum literarum
 ſignificatio expedienda, quod quidem
 Buonarroto aliud agendo tentavit po-
 tius, quam peregit. (Oſſerv. iſtor.
 pag. 394.)

Certum eſt, eas ad ipſam partis a-
 verſae inſcriptionem non pertinere ne-
 ceſſario, cum in aliis illas abeſſe videam-
 us. Certum etiam, quoniam ſolitarily
 in aliis poſitae ſunt, eas per ſe, nullo
 cum reliqua epigraphe nexu, ſenſum
 facere. Ad eum eliciendum advoco nu-
 mum anno proxime ſuperiore deſcrip-
 tum, in cujus averſa legitur: PRIMI.
 DECENN. P. M. TR. P. etc. atque haec
 quoque epigraphe intra lauream eſt ex-
 arata nullo alio typo, ut in numis prae-
 ſentibus. Sunt ergo literae P. D. pleni-
 oris hujus epigrammatis ἀρχαῖοται, et
 revocant memoriam votorum *Primorum
 Decennialium*, quae hoc anno fuiſſe ſolu-
 ta continuo dicemus. Litatum ea occa-
 ſione a Romanis *Laetitia*, nimirum ob-
 ſequii genere per metum expreſſo, prae-
 ſentes numi eloquuntur.

*
 *
Vt lit. D. et A.

PIETATI. SENATVS. C. V. P. P. *Im-
 perator togatus ſtans ſ. volumen cum ad-
 ſtante ſenatore togato ſ. haſtam tenente dex-
 teram jungit.* AR. AE. I.

Vide, quae huc pertinentia ad numum
 anni ſequentis inſcriptum: PATER. SE-
 NATVS. dicentur.

*
 *
Vt lit. A.

PROVID. AVG. P. M. TR. P. XI. IMP.
 VIII. COS. V. P. P. *Navis expansis velis.*
 AE. I. (Vaill.)

Ad classem Africanam convehendo frumento destinata referendus hic numus, de qua agetur ad annum V. C. 944. Discimus adeo, eam a Commodo jam hoc anno fuisse constitutam.

Vt lit. D.

VOTA. SOL. DEC. P. M.; TR. P. XI; IMP. VIII. COS. V. P. P. *Imperator velatus stans d. pateram ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

Quae vota decennialia in numis anni

- A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. et AR.*
 B. M. COMMODVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*
 C. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput radiatum in AE. II.*
 D. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

Vt lit. A. et B.

AVCT. PIET. *vel in AE. I. AVCTOR. PIETAT. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. Mulier stans ante aram d. pateram, s. acerram.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Titulum auctoris pietatis promeritus videri poterat, dum peculiarem curam sacris impendit. At illud quoque, ut alia omnia, infanientis more, et maiestate imperii indigno. Nam in sacris Isiacis et caput rasit, et Anubin portavit, et in ea gestatione capita Isiacorum ore simulacri graviter adflixit. ^{a)} Habitu etiam victimarii victimas ipse immolavit. ^{b)} Quid quod et *deum* sese, et *Herculem* appellando novam populo exercendae pietatis materiem praebuit, de quo plura ad annum V. C. 945. Aeneas Ovidio dicitur *pietatis idoneus auctor*,

prioris *suscepta* dicuntur, haec numi anni praesentis, et proxime sequentis *soluta* faciunt. Numus est insignis, et forte aliis museis ignotus.

V. C. 940. P. X. 187.

TR. P. XII. COS. V. P. M. P. P. PIVS;
 FEL. BRIT. IMP. VIII.
Crispino, Aeliano cos.

Incertum, quae res gestae ad annum praesentem sint referendae.

vulgato scilicet suo in deos patremque adfectu, eoque idonee comprobato, ^{c)} unde discrimen inter veterem illum, et nostrum hunc pietatis auctorem cape.

Vt lit. A.

NOBILIT. AVG. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Mulier stans d. hastam, s. icunculam, quae d. pateram, s. hastam tenet.* AV. insignis elegantiae. AR. AE. II. omnes in Mus. Caes.

Vide, quae ad numum similem anni praecedentis animadverti.

Vt lit. A. et B.

PATER. SENAT. *vel SENATVS. P. M. etc. Imperator togatus stans d. ramum, s. hastam.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Quam infenso in senatum animo fu-

a) Lamprid. cap. 9.

b) Ibid. cap. 5.

c) Fast. II. 543.

erit Commodus, praecipue post detectam Lucillae sororis adversum se conjurationem, quamque ille in illustrem hunc ordinem caelis ejus viris praestantissimis toto deinceps imperii tempore saevierit, abunde narrant Lampridius, aliique. Quare si senatus in numo anni praecedentis *Pium* se in imperatorem, eumque in numis praesentibus *Patrem Senatus* dixit, atque alias se ipsum *Commodianum* appellavit, ^{a)} metu id potius extortum fuit, nimirum ut fictae pietatis specie velut objecta ossa infame monstrum placaret. Nam quis fuerit patrum verus de eo sensus, post ejus violentam mortem palam factum, ut docebimus infra. Fuit tamen tempus, quo senatum nominibus suis, nempe *Commodiani Felicis*, appellavit, ut refert Dio. ^{b)} Ceterum *Patris Senatus* nomen nequaquam imperii Commodiani inventum est putandum. Nam Claudii jam aevo tentavit irreperere narrante Tacito: ^{c)} *Ob ea Vipsanius consul retulit, Patrem Senatus appellandum esse Claudium, quippe promiscuum patris patriae cognomentum; nova in rem publicam merita non usitatis vocabulis honoranda.* Sed addit etiam historicas, nomen istud a principe recusatum. Serius Balbinus quoque, et Pupienus dicti fuere Patres Senatus.

Vt lit. A. et D.

P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Ianus geminus stans in templo distylo, d. hastam.* AV. AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

Eadem epigraphæ. Caput Iani geminum.

AE. max. mod. (Mus. Medic.)

Omnes hi Iani gemini numi propter elegantiam, et raritatem commendandi, etsi eorum culorum causa lateat. Videtur hic Iani cultus in Commodo partem *Pietatis* constituisse, cujus eum *Auctorem* dictum continuo vidimus. Quanto is fuerit in Ianum adfectu, patebit ex numo ejusdem musei Medicei, quem mox infra describam, in cujus antica ipsum Commodi caput geminum in Iani morem novo stuporis exemplo proponitur.

Vt lit. D.

PROVID. AVG. P. M. etc. *Navis turgentis velo.* AE. max. mod. (Mus. Medic.)

Similem numum jam recitavi antea praecedente.

Vt lit. D. Caput laureatum, vel: Caput Commodi geminum laureatum in morem Iani.

TELLVS. STABIL. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. *Mulier humi sedens d. globum praegrandem stellatum contingit, super quo quatuor virgines ramos gestantes incedunt, s. cornucopiae et simul corbi innixa, retro arbor.* AE. max. mod. (Mus. Medic. tab. 43. et 44., de Camps.)

Numos cum simili inscriptione, et typo vidimus in moneta Hadriani, cui ex vero tributa laus *telluris stabilitae*, at Commodo per solum assentandi studium, ut patet. De Commodi capite in Iani morem efficto mox egimus.

Vt lit. A.

VOTA. SOL. DEC. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Imperator*

a) Lamprid. cap. 8.

b) L. LXXII. § 15.

c) Ana. XI. 25.

velatus ad tripodem sacra faciens. AR. (Mus. Caes.)

En repetitam ad fastidium cramben votorum decennialium, de quibus distinctius agemus peculiari dissertatione.

V. C. 941. P. X. 188.

TR. P. XIII. COS. V. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

C. *Allio Fusciano II., Duillio Silano II. cof.*

Profectionem in Africam praetendens magnam pecuniae vim eo nomine exigit. Vota propterea pro eo concipiuntur Nonis Aprilibus. Verum retentus a senatu, et populo suo pecuniam in convivio et aleam convertit. ^{a)}

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. M. COMMODOVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

Vt lit. A. vel B.

P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *variis typis.* AR. AE. I.

Hoc modo fere omnis anni hujus mo- neta inscribitur. Typi nihil non jam cognitum spectandum praebent.

V. C. 942. P. X. 189.

TR. P. XIV. COS. V. DES. VI. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

Iunio Silano, Q. Servilio Silano cof.

Ad hunc annum refert Tillemontius

Cleandrum praefectum praetorio furori populi a Commodo permissum, et cum familia caesum, de quo copiose Dio, Herodianus, Lampridius.

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

B. M. COMMODOVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. II.*

Vt lit. A. vel B.

IOVI. IUVEN. *sed in AE. I.* IOVI. IUVENI. P. M. TR. P. XIII. COS. V. P. P. *Iuppiter barbatus stans d. fulmen, f. hastam, pro pedibus aquila.* AR. AE. I. etiam max. mod. (Mus. Caes.)

Iovem in vario aetatis statu finxit mythologia vetus, vagientem et in corona Corybantum exhibent numi Graeci non pauci, insidentem caprae specie nudi puelli numi Antonini Pii, et addito insuper IOVI. CRESCENTI numi Gallieni, ejusque familiae, proveciorem aetate, ^{a)} sed puerum tamen, finxit Iuvenalis: ^{b)}

*Multa pudicitiae veteris vestigia forsan,
Aut aliqua exstiterant, et sub Iove, sed
Iove nondum*

Barbato.

Denique numi praesentes Iovem juvenem, eumque jam barba verendum sistunt. Fueritne Iuppiter alicubi Iuvenis nomine appellatus, et observatus, ignoro, et

a) Lamprid. cap. 9 et 12.

b) Sat. VI. v. 14.

forte soli sunt Commodi numi, qui eum sic appellant dempto numo Domitiani, sed cujus, quoniam obiter tantum a Mediobarbo citatur, (ad annum V. C. 837.) nulla habenda ratio. Videtur ergo hic *Iovis Iuvenis* cultus et coepisse cum Commodo; et cum eo exspirasse, aut verius Commodus ipse per suetam adulationem nomine hoc et typo intelligitur, nimirum quod instar *Iovis* summam haberet potestatem, *juvenis* autem jure adhuc diceretur hac aetate, atque hoc anno, quo XXVIII. aetatis annum agebat.

Numi reliqui: MAR. PAC. in AR. vel: MART. PACAT. in AE. I. — MIN. VICT. in AR. vel: MINERV. VICT. in AE. I. et II. — FORT. FEL. in AR. vel: FORT. FELI. in AE. I. — SEC. ORB. in AR: vel: SECVRIT. ORB. in AE. I. addito semper in his omnibus: P. M. TR. P. XIII. COS. V. P. P.

Eodem anno: COS. DES. VI.

M. COMMOD. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. I.*

M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AR.*

M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput radiatum in AE. II.*

Numi inscripti: COS. DES. VI. sunt frequentes, sed spectatis typis iidem sunt cum his, quos modo descripsi, addito semper: P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. (*Vol. VII.*)

COS. V. DES. VI. omisso P. P. quoniam hic titulus in eorum antica memoratur.

V. C. 943 P. X. 190.

TR. P. XV. COS. VI. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

Commodo Aug. VI., M. Petronia Septimiano cof.

Romam de se *Colonia Commodiana* additis *Luciae Antoninianae* praenominibus et sacras inter ceremonias appellare instituit. Vide numos sequentes.

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AR.*

B. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. II.*

C. M. COMMOD. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. I.*

D. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

E. IMP. COMMODVS. AVG. PIVS. FELIX. *Caput laureatum in AE. max mod. (Mus. Caes. Albani.)*

Postremus hic epigraphes modus cum propter praefixum IMP., cum tamen in parte averla Commodus dicatur IMP. VIII., tum propter omissum BRIT. tam mihi videbatur insolens, et anno praesenti adversari, ut propterea numum

insignem maximae formae musei Caesarei, quem infra dabo, in catalogo a me vulgato fraudis suspicione onerarem. At postquam altero examine eum esse bonum atque innocentem comperi, et subinde viderem, alium inscriptum PIO. IMP. etc. quem mox producam, cum iisdem notis chronologicis, et eadem capituli epigraphae extare in museo Pissano, absolvendus utique numus, at simul novum habemus exemplum veteris moris per Commodi imperium plane confusi.

Vt lit. A. et B.

APOL. MONET. *sed in aeneis*: APOLA. MONETAE. P. M. TR. P. XV. COS. VI. *Apollo nudus stans d. capiti admota, s. voluminae innixus.* AR. AE. II.

Iunonem *Monetam* cum ex numis generatis Caristiae, tum veterum testimonis, atque etiam ejus appellacionis causam tenemus, non item *Apollinis Monetae*, quo nomine Apollinem soli, quod sciam, Commodi numi, et causa mihi incomperta discriminant. Sed neque lubet velle conjecturis pandere; nam vidimus hucusque nomina diis tributa, quae unius Commodi cerebrum generavit, noto nimirum ejus ingenio, qui, ut ait, Lampridius, *) in sacris ex libidine potius, quam religione addidit. Eundem Apollinem *Monetam* anni quoque sequentis numi in aere I. formae sistunt.

Vt lit. C. et B.

COL. L. AN. COM. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. *Commodus*

velatus bobus junctis aratrum ducit. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Numi hujus aversam jam rite explicuere Patinus, aliique. Narrat Lampridius, b) eo dementiae provectum Commodum, ut urbem Romam *Coloniae Commodianae* vocari voluerit, qui furor dicitur ei inter delinimenta Marciae suae injectus. Addit, quo tempore ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum senatum istud libenter accepisse, sed etiam se ipsum *Commodianum* vocavisse. En stuporem etiam senatus consulto munitum, quod testantur quoque numi praesentes senatus jussu signati. Quam istud pertinaciter concupiverit, amplius declarat Dio. c) Nam jussum, ait, fuisse populum, Romam ipsam *Commodianam*, et exercitus *Commodianos* appellare - - - tum Romam a se *Aeternam, Felicem, Coloniae* orbis terrarum dictam; voluisse enim omnino, urbem suam esse *coloniae* videri. At enim parum aberat, quin nova haec colonia ab eo ipso everteretur, qui eam deduxit. Nam incendiisset urbem, ait alio loco Lampridius, d) utpote *coloniae* suam, nisi prohibitus a Laeto fuisset.

Typus, nempe sacerdos *velatus junctis bobus arans*, egregie scriptorum testimonia roborat; nam is obvius est in numis urbium, quae *Coloniae* deductae sunt. Atque ad vesanum istud Commodi institutum pertinet, quod perhibet idem Dio, e) *ei statuam auream mille librarum cum tauro et vacca fuisse positam*, nimirum velut *coloniae* conditori. Vide, quae de sacro hoc *coloniae* dedu-

a) in Commod. cap. 16.
Commodo cap. 15.

b) in Commod. cap. 8.

c) L. LXXII. § 15.

d) in

e) l. c.

eendae ritu plura docuimus Vol. IV. pag. 489. Praeclare cum hoc typo consentit epigraphe, quae insuper vocabulum COLoniae adlittuit.

Tota epigraphe sic absque dubio est explenda: COLonia Lucia ANtoniniana COMmodiana, quomodo et Diospolis Samaritidos, et Eleutheropolis Iudaeae sese in numis dixere *Lucias Septimias Severianas*. Tamen istud mirum, inditum fuisse urbi *Luciae* praenomen, quo tempore Commodus ipse Marci praenomine constanter est usus, nisi forte jam nunc vetus, ac pridem abolitum *Lucii* praenomen de novo respexit, quod revera proximo biennio receptum videbimus. Ad hoc argumentum etiam pertinent numi inscripti: HERC. ROM. COND., quos ad annum V. C. 945. intuebimur.

Vt lit. D.

COS. VI. *Imperator paludatus stans d. parazonium; s. hastam, juxta procumbens mulier capite elephantis proboscide ornato d. leonem contingit, s. spicas tenet, retro Victoria statuens tropaeum.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Similem aversam video etiam in numo Antonini Pii musei Pisani, ex quo videtur Commodus typum mutuatus. Diximus in numo Antonini, hac imagine indicari victos ab eo Mauros, sed et idem praestitum a Commodo refert Lampridius. Hoc vero mulieris sedentis typo notari Africam, certum est ex numo Severi anni V. C. 947, in quo simili figurae adscriptum legitur: AFRICA.

Vt lit. A.

COS. VI. P. P. *Vir nudus quadrigas agens super nubes figura facem praeferente; ad oram numi superiorem portio zodiaci, infra mulier seminuda decumbens, s. cornucopiae.* AE. max. mod. (Mus. Caes. et regis Galliar.)

Vt dubium non est, virum in quadrigis esse Solem, et mulierem humi prostratam Tellurem a Sole seu fotam, seu illuminatam, ita adsequi non valeo, quid themate isto adumbrare voluerint monetarii. In numo maximae formae musei Medicei similis est typus, sed in antica est caput Antonini, et similis occurrit in numo Nicaensium cum capite M. Aurelii, ^{a)} et in gemma musei Florentini. ^{b)}

Vt lit. A.

FIDEI. COH. P. M. TR. P. XV. COS. VI. *Mulier stans d. spicas, s. vexillum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

FIDEI. COHORTIVM. AVG. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Numi alterius inscriptionem nondum in moneta vetere conspiciere licuit. Eum haud ita pridem museo Caesareo acquisivi.

Vt lit. C.

LIBERAL. AVG. VII. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. *Liberalitas stans, vel: Imperator in suggestu more solito.* AE. I. (Mus. Caes.)

a) Num. max. mod. reg. Gall.

b) Tom. II. tab. 87.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VII. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Com. Vitzai.)

Vt lit. E.

PIO. IMP. OMNIA. FELICIA. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Neptunus* seminudus stans s. pede prorae navis imposito, d. hastam, s. delphinum*, adhat imperator togatus velatus d. pateram ad uram sacrificans.* AE. max. mod. (Mus. Albani, Maffei Antiq. Gall. p. 121. Mus. Florent. tab. CXI.)

Singularis est formula partis averfae, quam crederem pertinere ad vota XX. hoc anno obita, nisi turbaret Neptunus adstans. Forte igitur hic typus maritimum aliquod iter respicit, quale saepius a Commodo seu veris, seu fictis causis intentum tradit Lampridius.

Vt lit. E.

P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Imperator in lentis gradrigis s. scipionem cum aquila coronatur a Victoria retro stante.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

Praeclarus hic numus Commodi processum consularem Kal. Ian. anni praesentis offert. Similem averfaetypum habet numus cum duplici metallo in museo Pisano.

Vt lit. A.

VOTIS. XX. COS. VI. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOT. XX. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

De his votis vide alibi singulari dissertatione.

V. C. 944. P. X. 191.

TR. P. XVI. COS. VI. DES. VII. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII. *Cassio Aproniano, Bradua cof.*

Hoc, aut sequente anno magnificum templum Pacis horribili incendio conflagravit, cujus peristyles fuisse describit Herodianus.

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. M. COMMOD. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. II.*

D. M. COMMODOVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

Vt lit. A. B. C.

APOL. PAL. P. M. TR. P. XVI. COS. VI. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram super columella.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

APOL. PALATINO. P. M. TR. P. XVI. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. una cum adstante Victoria lyram tenet.* AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Templum Apollini in Palatio jam aedificavit Octavianus teste Suetonio, ^{a)}

^{a)} in Aug. c. 29.

et quidem secundum Dionem anno V. C. 718, ^{a)} idque de se ipse testatur in marmore Ancyrano: ^{b)} **TEMLVMQVE. APOLLINIS. IN. PALATIO - - FECL.** Palatini hujus Apollinis subinde honores crevere victo ad Actium, et juxta Apollinis Actii templum Antonio, Nasone quoque tanti gratiam beneficii ejus dei praesentiae acceptam ferente: ^{c)}

*Visite laurigero sacrata Palatia Phoebos.
Ille Paraetonias merfit in alta rates.*

Dixit *Paraetonias* pro Aegyptias, a *Paraetonia* Marmaricae oppido, quae regio Aegypto addita Cleopatrae paruit. Atque haec causa est, cur eodem cultu, nimirum indutus stola, compareat Apollo Palatinus, quo Actius in copiosis numis Augusti, quorum memini in hujus moneta ad annum V. C. 733, et gentis Antistiae, quae denarios dedit inscriptos: **APOLLINI. ACTIO.** In marmore Muratorii proditur **SACERDOS. DIANA. VICTR. ET. APOLLINIS. PALATINI.** ^{d)} Zosimus quoque meminit aedis Palatinae Apollinis, ^{e)} eamque imperante Juliano apostata incendio haustam periclitantibus ipsis carminibus Cumanis perhibet Ammianus Marcellinus. ^{f)}

Antica varia.

HERC. COMM. vel: COMMODIANO.
P. M. TR. P. XVI. COS. VI. *Hercules feminudus stans ante aram d. pateram, f. cornucopiae, juxta arbor, ex qua leonis*

exuviae pendent. AV. (Vaill.) AE. max. mod. (Mus. Albani.) AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eo denique infaniae delapsus est Commodus, ut non modo deum sese profiteretur publice, quae quidem dementia nonnullos etiam superiorum Augustorum occupavit, sed abjecta etiam laurea, saeto hactenus imperatorum gestamine, caput suum dei cultu ornatum in moneta publica proponendum curaret. Fuit istud hactenus vanitati Graecae permisissum, quae reges suos variis diis adsimilavit, atque etiam Augustos, cujus culculenta exempla in numis Neronis corruptis peregrini vidimus; verum ab turpi haec adulatione immunis in hunc diem fuit moneta Romanorum, atque etiam hujus partes avervae nonnuquam imperatorem dei habitu vestiant, istud tamen factum reverentius, et nonnullo adhuc pudore; nam appellatione dei constanter abstinuit epigraphe, nihilque in cultu capitis immutatum, quod majestatem imperii dedeceret. Haec demum clausura perfregit Commodi impudentia, atque inde ab hoc anno usque ad vitae exitum numorum ejus et epigraphe, et typi praesentem deum loquuntur, nimirum quemadmodum et omnia illa, quae turpiter, quae impure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonice fecerat, actis urbis incidi jussit, ut ait Lampridius. ^{g)} Cum adrogare sibi posset, quae vellet, Hercules esse maluit, quoniam per belluarum caedem hujus sese virtutem proxime aequasse credi voluit. Hunc olim hominis, at

a) L. XLIX. § 15.
e) L. II. sub init.

b) Tab. IV. v. 1.
f) L. XXII.

c) Art. amat. L. III. v. 389.
g) Cap. 15.

d) Pag. 119. 1.

modo dei stuporem non modo longum numerorum, sed veterum etiam testimoniorum agmen comprobat, quorum illustriora hic conferta proponere ob oculos iuvat, ad quae in consequentium numerorum explicatione provocabo.

• *Herculem Romanum*, quo nomine cusi numi ad annum sequentem occurrent, primum dictum fuisse propterea, quod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset, refert Lampridius, ^{a)} et Dio. ^{b)} Si veteribus fides, eo sane nomine, si corporis vires spectes, indignus non videbatur, nam et elephantum conto transfixit, et uno die centum urfos jaculis confecit, fessusque uno haustu poculum a puella propinatum absolvit, ne potu quidem, et muliercularum amoribus Herculem inficiatus. Perhibentur haec, quo minus dubitari possit, a Dione autopta, ^{c)} tum Lampridio. ^{d)} Centum ab eo leones uno die occisos narrat Herodianus, ^{e)} et Ammianus. ^{f)} Propter haec cum alter Alcides haberetur, et ipse dici vellet, continuo properatus statuarum populus, quae Commodum ejus dei habitu proponerent, et mox illi, ut praesenti deo, immolatum. ^{g)} Ipse vero a deo sibi verus est Hercules visus, ut, cum prodiret, leonis exuvias, et clavam ante se gestari praeciperet. ^{h)} Vt vero et Herculem perdomitis monstris, quae fabulosa vulgo credita sunt, imitaretur, homines vivos pannis et linteis infutos in gigantum modum formavit, et jaculis confecit. ⁱ⁾ Et cum rumor increbresceret, statuisse imperatorem sagittis

nonnullos conficere, velut Hercules quondam Stymphalidas, factum, ut plerique ne introire quidem in amphitheatrum auderent, ^{k)} Et facta haec in oculis populi, patribus per metum acclamantibus: *primus es, felicissimus es, vincis, vinces, unus ab omni memoria, Amazonie, vincis.* Ad tantum infamiae prolapsus Marci filius, eo redactus gravissimus patrum confessus. Quod poterat, satyris eam turpitudinem ultum ivit populus. En hujus generis dialyrticon non illepidum ex Lampridio: ^{l)}

Commodus Herculeum nomen habere cupit,

Antoninorum non putat esse bonum.

Expers humani juris et imperii,

Sperans quin etiam clarius esse deum,

Quam si sit princeps nominis egregii,

Non erit iste deus, nec tamen ullus homo.

Fuit tamen repertus, qui hunc ejus stuporem non nihil mitigaret. *Quid igitur mirum, inquit Athenaeus, ^{m)} si Commodus imperator apud nos in curru appositam habuit clavam Herculeam substrata ipsi leonis pelle, et Herculem vocari se voluit, cum Alexander Aristotelis praeceptis imbutus se ipsum illis diis adsimilaverit, atque adeo etiam Dianae.*

Vt lit. D.

VOTIS, FELICIBVS. *Quinque naves etc.*
AE. max. mod., (Mus. Albani.)

Vide de numis similibus paullo infra.

a) Cap. 8.

b) L. LXXII. § 15.

c) L. c. § 18. 19.

d) Cap. 12. 13.

e) in

Commodo. f) L. XXXI. c. 10.

g) Lamprid. cap. 9. Dio l. c. § 15.

h) Dio l. c.

§ 17. Herodian. L. I. c. 14.

i) Lamprid. cap. 9. Dio l. c. § 20.

k) Dio l. c.

l) in

Diadum.

m) L. XII. p. 537.

Eodem anno:

Redit prænomen Lucii, expirat BRIT.

Ex numis, quos modo recensebo, ii, qui mentione consulatus abstinent, etiam anno sequente feriri potuerunt.

- A. L. AEL. AVREL. COMM. AVG. P. FEL. *Caput laureatum in AR. AE. I. H.*
- B. L. AELIVS. AVRELIVS. COMMODOVS. AVG. PIVS. FELIX. *in AE. max. mod.*
- C. IMP. COMMODOVS. AVG. PIVS. FELIX. *Caput laureatum in AE. max. mod. (Haym, Pisani.)*

Vt lit. A.

I. O. M. SPONSOR. SEC. AVG. *Iuppiter stans s. hastam, d. contingit imperatorem adstantem togatum d. globum, s. sceptrum tenentem. AR. In aeneis I. formae praeterea additur: COS. VI. P. P. S. C. et Iuppiter s. fulmen tenet. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A.

IOVI. DEFENS. SALVTIS. AVG. *Iuppiter stans inter septem sive triones, sive planetas d. fulmen intentat, s. hastam. AR. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A.

MATRI. DEVM. CONSERV. AVG. COS. VI. P. P. S. C. *Cybele leone vecta d. tympanum, s. hastam. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

Eidem tamen huic deo et Herculi opus fuisse Iove Sponsore securitatis, et defensore salutis, et Matre deum conservatrice, praesentes numi profitentur. Existimat Lilius Gyraldus, ^{a)} Δις Πίστιος

memoratum Dionysio Halicarnassensi,^{b)} cujus aedes in colle Martiali stetit, fuisse Iovem fidei sponsores, et forte eum ipsum, quem Romani Deum Fidium dixere. Epigraphe non multum absimilis habetur in numo Postumi: I. O. M. SPONSORI. SAECVLI. AVG.; unde conjici posset, etiam in praesepse numo ro SEC. notare SECulum, non SECuritatem, nisi inde ab Augusto constaret, in numis semper SAECVLVM scribi, non SECVLVM. Ceterum male munere suo functus est Iuppiter, quando pridie Kalend. Ian. anni sequentis nefarie vadimonium deseruit. At matrem deum jure conservatricem agnovit. Nam aliquot ante annis, quo die consueti Iudi Megalesia in ejus honorem acti sunt, Maternus quispiam latronum dux Caesari per ludorum licentiam infidias comparavit. Prodito per socios consilio, et auctore meritis supplicii adfecto ipse, ac populus omnis deae, velut quae principem praesente periculo eripuisset, soteria peregit. ^{c)} De Serapide quoque conservatore mox infra.

Vt lit. A.

MAGNIFICENTIAE. AVG. COS. VI. P. P. *intra coronam. AE. II.*

Deest hic numus in Mediobarbo, existat apud Vaillantium, sed ubi, fors typhothetae errore, legitur COS. III. Vnicum istud est Magnificentiae numis inscriptae exemplum, quam epigraphen in homine vanissimo quaevis causa quomodocunque inepta dictare potuit.

Vt lit. B. Capita duo jugata, Com-

a) Synt. p. 86.

b) L. IX, p. 617.

c) Herodian. L. I. c. 10.

modi radiatum, alterum muliebre. cuius pectori adfixa pelta.

PIETAS. AVG. P. M. TR. P. - -
Mulier sedens d. adstanti infanti quid porrigit. AE. max. mod. (Reg. Gall.)

Numismata maximi moduli hujus, et frequentis anni non raro caput Commodi cum muliebri jugatum offerunt. Istud galeatum plerumque est, creditumque antiquariis, illo effigiari Martiam concubinam, quam perditae deperibat, praecipue in Amazonis habitu, quo eam fingi plerumque voluit, ^{a)} et quam tanto quidem opere hoc cultu dilexit, ut primum anni mensem ab ea *Amazonium* appellaret, ^{b)} Amazoniae imagine literas obsignaret, ^{c)} ipse Amazonio habitu in arenam descenderet, Amazonii sibi nomen inderet ipse, ^{d)} illudque, etsi aliis titulis interdum abstineret, omitteret nunquam. ^{e)} Esse caput istud galeatum Commodianae hujus Martiae, quod visum eruditis, verisimile satis, etsi aliarum explicationum esset patiens; tamen in praesente numo certam exhiberi Amazonem, arguit pelta ejus adfixa pectori, quam fuisse proprium Amazonum clypeum constat. Capita utriusque jugata praeter ea, quae praesens numus sistit, videre adhuc est in numis maximi moduli regis Galliarum tab. XIII., in Buonarrotii Observat. hist. pag. 117., in Vaillantii Numis praest. T. III. edit, Rom. p. 146, in Museo Florent. tab. XLVII., in Museo Albani tab. XXXVIII.

Vt lit. A.

PROVIDENTIAE. AVG. *Mulier elephan-*

ti exuviis tecta flans, pro cuius pedibus leo, s. fistrum ostentat; huic adversus Hercules nudus pede prorae navis imposito, s. clavam super navi tenet, uterque dexteram una cum spica conjungit. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Haec *Providentia Aug.* ex eruditorum sententia classem Africanam notat advehendo frumento destinata, de qua mox infra. Elephanti exuviae, fistrum, leo attributa sunt propria Aegypto, et Africae propriae, quae fuere urbis horrea. Ipse vero Commodus, ut erat testibus anni sequentis *Hercules Romae conditor*, in hoc numo fingitur. Hercules cultu missis ad petendam annonam navibus, quarum unam pede calcat, novae coloniae suae providens. Huc pertinent ea, quae olim causa largitionum frumentariarum, quas imperatores saepe varias in urbes contulere, ad numum Tarsensem inscriptum *CEITOC*, et alium Laodiceae Syriae latius disputavi.

Vt lit. A.

SERAPIDI. CONSERV. AVG. *Serapis flans d. extenta, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Fuisse Commodum superstitioni Aegyptiorum obnixae addictum, testem habemus Lampridium, qui coluisse eum sacra Isis; et rasisse caput, et gestasse Anubin refert. Ergo in partem honoris venit et Serapis inter principes in Aegypto deos cultus, et hic quoque *conservatoris Augusti* nomen promeritus.

a) Lamprid. cap. 11. l. e.

b) Dio L. LXXII. § 15. Doctr. Vol. III. p. 73. et 321.

c) Capitolin. in Albino.

d) Lamprid.

Vt lit. B. Capita jugata Commodi laureatum, et muliebre galeatum.
TEMPORVM. FELICITAS. Quatuor puelli suis signis quatuor anni aetates indicantes. AE. max. mod. (Reg. Gall. et Mus. Pisani.) AE. I. (Mus. Christianae.)

Haec averfa propter argumenti ingenium, et elegantiam memorabilis, explicata supra in numis fratris Annii Veri.

Vt lit. C.

VOTIS. FELICIBVS. *Quinque naves velis remisque actae; juxta super rupe pharus, adstant figurae duae seminudae in mare prospectantes, infra quas taurus ex rupe praecipit actus.* AE. max. mod. (Haym T. II. p. 297. Mus. Pisani, Mus. Medici.)

Averfae typum egregie explicat Haymius, nimirum eo exhiberi classem Africanam, de qua sic Lampridius: ^{a)} *Classem Africanam instituit, quae subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.* Adstant in litore sacerdotes bini, qui velificantem classem votis felicibus prosequuntur, neque iis incruentis; etenim caesa jam victima taurus humi adjacet grata maris deo hostia teste quoque Marone: ^{b)}

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Taurum quoque mari immolavit Cleomenes Spartaee rex, ^{c)} et communem fuisse Neptuni victimam, dixit Plutarchus. ^{d)}

Atque hunc ritum praeclare ad numi hujus imaginem describit Valerius Flaccus: ^{e)}

*Tum laeti statuunt aras; tibi, rector aquarum,
 Summus honor, tibi caeruleis in litore vittis.
 Et Zephyris Glaucoque bovem, Thetidaeque juvencam.
 Dejicit Ancaeus.*

Sed et vetus hic apud Romanos ritus testante Cotta apud Ciceronem: ^{f)} *Nasri quidem duces mare ingredientiē immolare hostiam fluctibus consueverunt.* Et quidem auctore Virgilio: ^{g)}

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Neque tamen solis victimis commoti maris furias placavit antiquitas. In antiquissimo marmore Scipionis Barbatii legitur: ^{h)}

DEDET. TEMPESTATEBV. AIDE. MERETO.

Et Ovidius: ⁱ⁾

*Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
 Cum paene est Corfii obruta classis aquis.*

Hanc classē saltem jam anno V. C. 940 fuisse constitutam, diximus ad ejus anni numum inscriptum: **PROVID. AVG.**

a) Cap. 17. b) Aen. III, 119. c) Herodot. L. VI. c. 76. d) πώς ἂν τις ἀισθόιστο etc. e) Argon. L. I. v. 188. f) de natura deor. L. III. c. 20. g) Aen. III, 120. h) Piranesi Monum. degli Scip. p. 15. (Vol. VII.) i) Fast. VI. 193.

V, C. 945. P. X. 192.
 TR. P. XVII. COS. VII. P. M. P. P.
 PIVS. FEL. IMP. VIII.
 Commodo Aug. VII. P. Helvio Pertinace
 II. cof.

Commodus pridie Kalendas Ian. nocte concubia vi illata exstinguitur anno aetatis XXXI. mense IV.

Fuit per crudelitatem, et morum infamiam pessimis principibus adnumerandus, qui non exiguo numero rem Romanam tenere, et per artes gladiatorias, in quibus excelluerat, dignis rumore in vulgus sparso, non a Marco illum, sed gladiatore per adulterium Faustinae fuisse conceptum. ^{a)} In ejus enarrandis sceleribus et stupore ingenii, quo nihil non attentavit, nihil non sibi permillum arbitrabatur, nolo esse prolixior, quod eorum potiore partem in ipsorum numerum explicatione jam commemoravi. Quod tamen eo imperante integra stetit respublica, ipsis provincialibus Mauris, Dacis, Pannoniis, Britannis, Germanis ejus imperium recusantibus, istud praestantium ducum Pertinacis, Severi, Pescennii Nigri, Albini virtuti, et fidei debebatur. Ipse interea in ignavo Romae otio confedit, nisi quod arma ibi non in animalia modo, fera perinde ac mansueta, sed homines etiam, modo divites essent, aut sibi suspecti, convertit, indicto etiam mensibus bello, quibus pro vetere, et recepta hactenus appellatione secundum Dionis coevi, et Romae praesentis testimonium haec indidit nomina: *Amazonius, Invictus, Felix, Pius, Lucius,*

Aelius, Aurelius, Commodus, Augustus, Hercules, Romanus, Exuperatorius. Atque infame istud monstrum, aliquoties insidiis frustra petito, denique conspiratione Martiae amicae, et Amazoniae suae periit, quae cum in puelli Commodi perchari manu adverteret tabellam, quam is illi dormienti, ut cum illa luderet, subtraxit, atque in ea se quoque ad caedem designatam legeret, eodem adhuc vespere, qui fuit anni hujus postremus, primum venenum Commodi obtulit, cumque is illud rejectare inciperet, ejus fauces per arcesitum gladiatorem elidi iussit. Igitur Commodus, qui Domitiani moribus vixit, similem etiam exitum reperit, utriusque insidiis suo ipsorum capiti fatalibus a puello nil tale cogitante proditis. ^{d)} Ejus audita nece corpus ut unco traheretur, et in Tiberim abjiceretur, una voce postulavit senatus, populusque, atque est operae pretium legere apud Lampridii patrum adclamationes, quibus funestissimi hominis memoriam execrabantur, et cum vivum non haberent, mortuum ad poenam deposcebant. At Pertinax iam tum dictus imperator eum sepeliri primum, deinde in Hadriani monumentum inferri iussit. De ejus consecratione agetur infra. Ejus vitam scripsere Lampridius, Dio, Herodianus, praeter aliorum compendia.

Vxor *Crispina*, de qua infra.

- | | |
|----|---|
| A. | L. AEL. AVREL. COMM. AVG.
P. FEL. <i>Caput vario cultu in omni metallo et forma.</i> |
| B. | L. AELIVS. AVRELIVS. COM. |

a) Capitol. in Aurel. c. 19.

b) Dio L. LXXVIII. § 15.

MODVS. AVG. PIVS. FELIX.
Caput vario cultu, in AE. max.
mod.

Vt lit. A. Caput leonis excuvis te-
ctum.

HERC. ROM. COND. COS. VII. P. P.
Hercules f. clavam bobus junctis aratrum
ducit. AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Caput simili cultu.

HERC. ROM. CONDITORI. P. M. TR.
P. XVII. COS. VII. P. P. Idem typus.
AE. max. mod. (Reg. Gall., Pifani, de
Camps.)

Aversae explicatio petenda ex numo
COL. L. AN. etc. anni V. C. 943.

Vt lit. A.

HERCVLI. ROMANO. AVG. Hercules
stans f. clavam, d. adstitutum tropaeum con-
tingit. AR. AE. I. II. In aliis: Arcus et
pharetra. AR. AE. I. vel:

HERCVL. ROMAN. AVGV. Clava intra
lauream. AR. AE. I. II.

Explicationem pete ex eodem fonte,
tum ex iis, quae anno superiore ad nu-
mum HERC. COMMODIANO differui.
Vrbis pravum exemplum imitata Grae-
cia eum quoque in numis suis appellat
ΡΩΜΑΙΩΝ, ΗΡΑΚΛΗΣ, ut in numis
Cyzici, *) aliarumque, tum et Alexan-
drinis.

Vt lit. A. Caput laureatum.

LIB. AVG. VIII. P. M. TR. P. XVII.
COS. VII. P. P. Liberalitas stans. AR.
AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. Caput laureatum.

P. M. TR. P. XVII. IMP. VIII. COS. VII.
P. P. Typis variis in omni metallo et forma.

Est haec solita anni hujus moneta, et
in hujus area praeter aliorum annorum
morem plerumque visitur astrum.

Vt lit. A. Caput laureatum.

Eadem epigraphæ. Sarapis stans, et iux-
ta Isis cum sistro, et Commodus togatus,
quem Victoria retro stans coronat, adsa-
ram stantes jungunt dexteras. AE. I. II.
(Mus. Caes.)

Confirmant hi numi pertinacem Com-
modi in superstitionem Aegyptiam ad-
fectum, ac praecipue in sacra Sarapidis,
et Isis, de quo egi ad numum SERA-
PIDIS etc. anni V. C. 944.

Eodem anno:

TR. P. XVIII. manentibus reliquis.

Vt lit. B. Caput leonis pelle coo-
pertum.

HERCVLI. ROMANO. AVG. P. M. TR.
P. XVIII. COS. VII. P. P. Hercules Far-
nesius. AE. max. mod. (Reg. Gall. Vaill.)
In alio: Hercules nudus, et aversus stans
f. clavam, juxta leo. AE. max. mod.
(de Camps.) In alio: Hercules nudus
stans d. clavam; f. leonem pede prehensum.
AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Eadem aversa.

HERC. ROM. CONDITORI. P. M. TR.
P. XVIII. COS. VII. Hercules araps. AE.
max. mod. (Mus. Albani.)

Alius similis addito in aversa. P. P.
S. C. AE. I. (Mus. Christianae Tab.
XXIII. 2. Catal. d' Ennery pag.

*) Pellérin, Mel. II.

474.) *Eadem averſae epigraphe exſtat in AV. AR. AE. apud Me-
diobarbum.*

Antica incerta.

PIETAS. AVG. P. M. TR. P. XVIII.
COS. VII. P. P. *Mulier ſedens adſtante
puello.* AE. max. mod. (Vaill.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XVIII. IMP. VIII. COS.
VII. P. P. *Mulier ſedens dexteram verſus
adſtantiem puellum extendit, ſ. haſtam, in
area aſtrum.* AR.

Eſt ſanus, ac integer in muſeo Caefa-
reo. Similis a Geſſnero citatur ex mu-
ſeo Pfau Tab. 12 p. 10.

Antica incerta.

P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P.
*Imperator velatus ad aram ſacrificat ad-
ſtante Hercule.* AE. max. mod. (Baldini,
ad Vaill, T. III. p. 154.)

Typi ex prioribus jam cogniti. Omnes
autem hos numos cum trib. poteſtate
XVIII., quotquot reperire potui, ſtu-
dioſius deſcripſi propter ea, quae olim
in tractatu de hac poteſtate copioſius
ſum diſputaturus.

Numus vagus.

COMMODOVS. ANTONINVS.
AVG. *Caput laureatum.*

MAVRETANIA. S. C. *Vir pileatus d.
capſtra equam retinet, ſ. baculum.* AE. I.
(Vaill. num. praef. T. I. p. 95. in Ico-
niſmo. Muſ. Chriſtinae tab. 21.)

Numum cum eadem averſa jam vi-
dimus in moneta Hadriani. Typus hic
ad Commodum quoque pertinet, quo

imperante Mauri rebelles ad obſequium
ſunt revocati. a)

Divus Commodus.

Hanc tamen belluam vitiis omnibus
coopertam Severus poſtea in deorum
numerum retulit, Flamine addito, quem
ipſe vivus ſibi paraverat Herculeano
Commodiano. Lampridius, qui iſtud re-
fert, b) id factum putat odio ſenatus,
et conſentit Spartianus, qui narrat, c)
Severum, cum vindictam de ſenatu ſu-
mere vellet, Commodum inter divos re-
ferendum cenſuiſſe, primumque inter
milites victo Albino *divum Commodum*
pronunciaſſe, idque ad ſenatum ſcripſiſ-
ſe addita oratione victoriae. Alia ejus
conſecrati cauſa eſſe potuit, quoniam
is Marci filius, et Commodi frater ha-
beri in vulgus voluit. Quare cum con-
ſecravit fratrem, iſtud feciſſe per pieta-
tem eſt viſus, et facilius, quod voluit
videri, perſuaſit populo, quem, quo-
velis, per religionis ſuperſtitionem du-
cas. Obſervandum tamen, non com-
pertum hactenus Commodi conſecrati
numum imperante Severo ſignatum.
Quos habemus, ex eorum ſunt genere,
qui ſerius in memoriam conſecratorum
Auguſtorum ſignati ſunt. Eccos:

DIVO. COMMODO. *Caput ra-
diatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, vel: Ara
ignita.* AR. (Muſ. Caef.)

Haec Commodi conſecratio probatur
etiam marmoribus Gruteri, quorum
unum ait: DIVO. COMMODO. FRA-
TRI. IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVE-

a) Lamprid. cap. 13.

b) in Comm. c. 17.

c) in Severo cap. 11.

RI. PII. PERTINACIS. AVG. a) aliaque simili argumenti. b) Item in Constitutionibus Alexandri: *Divi Marcus, et Commodus.* c) Tamen hanc hominis impuri consecrationem a multis fuisse improbatam, aut certe neglectam, ex ipsis veterum monumentis perspicimus. In Kalendario Dionysii Philocali, in quo omnes divorum Augustorum natales celebrantur, Commodi memoria reticetur. Omittitur etiam in indice vetere Caesarum consecratorum, quem a Peirescio repertum post Aegidium Bucherium adcuratius edidit cl. Marinius, d) his adeo auctoribus magis incorruptum suum iudicium, quam senatus auctoritatem secutus, quod eo etiam confirmatur magis, quod eidem infauftam quoque Ti. Claudii, et Caracallae consecrationem reticere.

Numi commatis peregrini.

Urbium liberarum.

Harum numi copiosi. Incertae patriae videri possint numi aenei IV. formae, in quorum una facie est caput, et epigraphe Commodi, in altera: ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ, et typus: *Caput muliebre velatum turritum.* De his jam aliqua praecepi in numis commatis peregrini M. Aurelii, cum de numis argenteis similiter inscriptis agerem. Verisimilem eorum patriam esse Carthas Mesopotamiae, alibi dixi. e)

In numo Tarsensi max. mod. Commodus non lauream, sed diadema praefert. (Mus. Albani tab. 44.)

Coloniarum.

Harum quoque moneta abundat. *Antiocheni.*

Sub Commodo rarissimi, ut dictum in ejus urbis moneta.

Alexandrini.

Magno hi sunt numero. Annos impetii M. Aurelii sub filio fuisse continuatos, diximus in his Vol. IV. pag. 77.

De raritate numorum aureorum Commodi.

Cum aliorum imperatorum numi aurei justo numero supersint, mirum profecto, raros adeo esse Commodi in hoc metallo numos, ut facilius centum alterius Augusti, quam unum hujus reperias, cum tamen metallum istud hoc imperante magis abundare debuerat, qui tempus, quo summae rei praefuit, *saeculum aureum* vocari praecepit, ut ad annum V. C. 938 docuimus. Erant, qui ejus causam in exportatum majore copia aurum volent referre, quo desidiae ipse amans pacem a barbaris redimeret, quod ab eo factitatum auctor est Herodianus. Constat etiam, hoc imperante aurum, quod multo utilius malleo destinandum fuerat, multo quam antea frequentius in luxus inepti alimenta fuisse derivatum. Argumento esto statua aurea librarum mille cum tauro, et vacca, quam Commodo fuisse positam, refert Dio, qui cuncta haec stuporis argumenta coram ipse vidit. f) At cum in ejus defuncti memoriam ira implacabili saeviret senatus, censente inter alios

a) Pag. 261. 5. b) Pag. 187. 3. et 191. 5. c) Cod. L. IV. tit. 57. bis. d) Frat. arv. p. 387. e) Vol. IV. p. 508. f) L. LXXII. § 15.

Cingio Severo, *ejus abolendas statuas, quae undique sunt, nomenque ex omnibus privatis, publicisque monumentis eradendum,* ^{a)} saevitum est etiam in monetam ejus auream, perinde ac olim senatus conflari aeneos Caligulae numos iussit, ^{b)} atque omnem fratris Getae monetam Caracalla? Non parum haec, quae memoravi, valere ad praesentem causam possent, sed tamen ejus in auro inopiae ratio altius petenda. Etenim video, monetam auream, quae primis imperantis Aurelii annis obvia est, per annos sequentes ita sensim deficere, ut aureum ejus numum vix reperire sit postremis annis, quibus imperium tenuit. Quid quod uxoris Faustinae consecratae numum, etsi id genus in argento et aere obvium est, ne unum quidem aureum in opulentissimis, et optimaе notae catalogis, et ne quidem in uberrimo Mediodiarbo reperire licet, tametsi consecratae matris Faustinae senioris aurei abundant. Aurelius uxori suae fere quinquennio superstes fuit. Si ergo tum adhuc ex lege ordinaria signati fuissent aurei, an credibile, negatum fuisse aurum uxori, in quam mortuam honores alios omnes, quos maximos animo potuit concipere, concessit? Ergo quoniam causa pensatae barbaris auri, seu luxus, seu odii senatus, quae in Commodio valere possent, Aurelio applicari nequeunt, aliae certe utrique communes forent advocandae, sed quibus rimandis abstinere, quoniam, quidquid attulero, intra conjecturas semper stabit. Ceterum quantumvis rari sunt, ut dixi, Commodi in

auro numi, sic ut illustriora etiam musea, cum eorum senarium jactare possunt, satis videri nobilitata queant, tamen solum regis Galliarum thesaurum recondere octo et triginta variis typis, et duos praeterea maximi moduli, testatur cl. Beauvais. ^{c)} Vnum hujus moduli vulgavit etiam Vaillantius.

Nomina ac tituli.

Quae Commodus nomina ac titulos per intervalla collegerit, ab ipso nos Commodio edoceri patiamur. Nam refert Dio epigraphen literarum, quas extremo vitae tempore ad senatum dedit, his titulis turgentem: ^{d)}

Imperator Caesar Lucius Aelius Aurelius Commodus, Augustus Pius Felix Sarmaticus, Germanicus Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum, Invictus, Hercules Romanus, Pontifex maximus, tribuniciae potestatis XVIII. Imperator VIII. Consul VII. Pater patriae, consulibus, praetoribus, tribunis plebis, senatuique Commodiano Felici salutem.

In singulos titulos nonnihil advertamus:

IMPERATOR. De hoc duplicis sensus titulo infra.

LVCIVS, alias et MARCVS. Notanda hoc loco inconstantia, qua Commodus *Lucii*, vel *Marci Aelii Aurelii Antonini* nominibus est usus, dum ea pro lubidine jam adoptavit, jam respuit. Ea lex secundum numos haec fuit concordibus etiam marmoribus, in qua statuenda olim parum veraces fuere Norisius, ^{e)}

a) Lamprid. c. 20.
LXXII. § 15.

b) Dio L. LX. § 22.
e) in Epist. conf.

c) Hist. abreg. T. I. p. 259.

d) L.

et Buonarrotoꝝ, ^{a)} quos jam refutavit Bimardus. ^{b)}

Principio usum nominibus *L. Aurelii Commodi*, primi ejus numi docent. In his, saltem mihi cognitis, *Aelii* nomen non additur, sed eo etiam tum jam fuisse praeditum, docet ejus aetatis marmor Gruterianum, in quo legitur: ^{c)} *L. AELIO. AVRELIO. AVG. F. COMMODO. COS.* Retinuit haec nomina etiam Augustus, et leguntur adhuc in numis anni V. C. 933. Sed hoc labente repudiavit praenomen *Lucii*, retento etiam non nisi raro in numis Aurelii nomine, hisque paterna nomina *M. Antonini* suffecit, et perrexit his uti anno adhuc V. C. 944. Labente hoc tempore homo varius recepit vetera nomina *L. Aelii Aurelii* omisso etiam *Antonini*, iisque usque ad exitum vitae est usus egregie cum numis conspirante titulo literarum, quem proxime ex Dione citavi. Ejus variationis causa fuerit eadem, quae tot aliorum Commodi stolide factorum.

LYCIVS. A quo praenomen hoc traxerit, non meminere veteres. Paternum certe non fuit. Videtur illi a patre inditum in fratris adoptivi *L. Veri* gratiam, a quo verisimile est et *Commodi* nomen, ab Aurelia gente cetera alienum, fuisse petiitum. Constat, Aurelium anno V. C. 914, quo fratrem imperii conlegam adscivit, huic pro vetere *L. Commodi* nomine indidisse nomen *L. Veri*. Placuerit igitur ademptum *L. Commodi* nomen resuscitare, illud in filium aliquot post menses natum transferendo. Exhibet Muratorius marmor, quod utrumque

praenomen conjungit, scripto: *L. AEL. AVR. M. COMMODO.* ^{d)} sed de ejus fide dubitat ipse editor, et subdubitat quoque Marinus. ^{e)} Vide de hoc argumento nonnulla alia in numis Getae, cujus quoque praenomina variarunt.

AELIVS. Hoc illi nomen inde ab Hadriano per repetitae adoptionis legem accessit.

PIVS. De causa collati hujus elogii egi ad annum V. C. 936, quo illud primum in numis legitur. Pium jam anno 934 fuisse dictum, statuit Mediobarbus. Non impugno maturis istud exordium; nam poterat vidisse numos ignotos mihi. At cur idem, qui ejus tituli natales ad annum V. C. 934 figit, jam ad annos hunc precedentes Commodi numismata citat *PII* nomen praeferebat? Statutum a me exordium comprobant numi Alexandrini, in quibus titulus *ETCEBHC* non legitur ante annum *KΔ*, qui coepit in Thot V. C. 936.

FELIX. Narrat Lampridius, ^{f)} datum hunc titulum Commodo, postquam Perennis, qui inhiasse imperio credebatur, cum familia est extinctus. Hoc Lampridii testimonium mendacii arguit Tillemontius, quoniam Commodus jam in numis anni V. C. 934 *Felix* dicitur, Perennis autem saltem quinquennio serius caesus sit. ^{g)} At quibus in numis? Mediobarbi, quos ipse testes advocat. Verum magnopere a Mediobarbo diversum docent numi non ignave, sed maturo, ut oportuit, examine descripti, atque hi Commodum non nisi labente anno V. C. 938 *Felicem* denique

a) Osservaz. p. 103.
261, 7.

d) Pag. 242. 5.

b) in Epist. ad Massei. ap. Murat. Tom. I. pag. 122.

e) Frat. arv. p. 355.

f) Cap. 8.

c) Pag.
g) in Commodio p. m. 767.

salutant. Stet igitur integra hoc loco Lampridii auctoritas. Quoniam ergo Commodus *Felix* dici incipit in trib. potestate X., et consulatu IV., quae sunt notae anni V. C. 938, datumque hunc titulum adserit Lampridius occasione Perennis caesi, palam est, hunc saltem fluente hoc anno violenta morte fuisse extinctum, quoniam Commodus in numis hujus anni *Felix* jam audit. Quare rursus fallitur Tillemontius, qui tristem Perennis casum in annum sequentem 939 differt. Pagius dictum esse *Felicem* ipso imperii post patris mortem suscepti initio ex numis adserit, *) sed et hic ex numis, quos vulgavit Mediobarbus.

GERMANICVS. Hic honos Commodus ex elogiis bellicis omnium maturime delatus, et quidem cum Caesar adhuc esset, et ex meritis patris, ut vidimus ad annum V. C. 928. Huius secundum inscriptionem literarum, quam ex Dione supra dedimus, additur MAXIMVS, et conspirant in hoc epitheto copiosa marmora, at in numis illud nunquam comparet.

SARMATICVS Germanici titulum paullo post secutus, ut probavimus ad annum V. C. 928. Vterque fere inscribi numis desit anno V. C. 931, at marmoribus inhaesit constanter.

BRITANNICVS. Teste Lampridio b) appellatus est *Britannicus* ab adulatoribus, cum Britanni etiam imperatorem contra eum eligere voluerint. Quae fuerit ejus conferendi causa, dixi ad annum V. C. 937, in cujus numis certae fidei is primum, quod mihi constet, observatur. Comparet is adhuc in numis anni V. C.

944, sed hoc labente uera cum nominibus *Marci* et *Antonini* ex moneta extorris est factus ferentibus tamen eum marmoribus.

● INVICTVS, quod sibi nomen per arrogantiam indidit, neque illud invidere, nam et Februarium mensem in nominis hujus communionem venire est passus, ut in ejus vita ad annum V. C. 945 diximus. Tamen in numis non legitur.

HERCVLES ROMANVS. Abundede hoc titulo egi ad annos V. C. 944. 945.

PATER. PATRIAE. Commodum ad annum V. C. 930 simul Augustum vidimus, simul *Patrem Patriae*, et quidem imberbem, annum nempe aetatis XVII. agentem, sempiterno patris Aurelii opprobrio, qui titulum, quem sibi non nisi extremis imperii sui annis applicuit, cum filio puero, dulce hoc elogium per cognitam jam tum animi ferociam minime promerito communicavit.

AMAZONII et EXSVPERATORIS eum quoque habuisse nomina, refert Dio, c) scilicet illud petatum ab Amazone Martia, hoc, quod omnes homines longe superaret, additque, iis adeo delectatum Commodum, ut, etsi alia alias seponeret, his nunquam abstineret. Testatur Lampridius, d) eadem ipsa quoque legi in inscriptione colossi, quem ablato capite Solis (non, ut ait, Neronis) sibi adcommodavit, verum aliter haec nomina enunciat, illud vocans *effeminatum*, nempe ab Amazone, hoc *gladiatorium*, quia superare alios omnes gladiatorum est.

OLYMPIVS dicitur in binis numis

a) Crit. Baron. ad ann. Chr. 187.

b) Cap. 8.

c) L. LXXII. § 15.

d) Cap. 17.

Ephesi apud Harduinum, ut olim Hadrianus.

Tribunicia potestas.

Diximus ad annum V. C. 930, Commodum tribuniciam potestatem eo ipso anno suscepisse, at tam perversam ejus iteratae esse rationem, ut hactenus modus repertus non sit, quo illa in ordinem redigeretur. At nos eam difficultatem ex proposito expendemus in singularem de hac tractatu.

Pontifex maximus.

Dixi ad annum V. C. 937, hoc demum anno in moneta Commodi pontificatus maximi fieri mentionem. Video tamen, eum jam dici pontificem max. in marmore fratrum arvalium, quod est in Marinianis tabula XXXII., consulibus Commodio IV. et C. Aufidio Victorino II., qui annum praecedentem 936 signabant. At observo etiam, in eodem marmore bis Commodi titulos enarrari, et priore quidem loco sine addito P. M. titulo, qui tamen altero loco additur. Ex quo conjicio, labente hoc anno V. C. 936 hunc Commodio honorem accessisse sequente deinde anno monetae illatum, nisi forte arguere quis velit, quadratarium exigui temporis prolepsin sibi permisisse.

Imperator.

Imperator praenomen.

Secundum duplex Lampridii testimo-

nium, quod in Prolegomenis ad numos Commodi laudavi, Commodus cum patre dictus est imperator die XXVII. Novembris V. C. 929. Tillemontius haec Lampridii verba capit de titulo imperatoris ex victoriis. ^{a)} Verum si istud, certe Aurelius pater inde ab hoc die in numis diceretur IMP. IX., cum tamen is in numis anni sequentis jam inclinantis adhuc vetus suum IMP. VIII. retineat. Qua de causa, et cum praeterea copiosos habeamus anni V. C. 930 numos, in quibus Commodus utitur praenomine *imperatoris* et laurea in capite absque tamen adhuc Augusti titulo, certum videtur, a Lampridio intelligi, Commodum tum patri in imperio fuisse sociatum, et jam imperatorem dici coepisse dilato adhuc aliquamdiu Augusti vocabulo. Cum numis conspirant marmora sincera. Sic in eo, quod ab Oderico, viro eruditissimo, accepit Donatus, ^{b)} et est anni V. C. 930, legitur: IMP. CAES. L. AVRELIO. COMMODO. COS. suppresso adhuc Augusti titulo. Eadem ratione Antoninus Pius in primis suis numis praefixit titulum IMP., etsi Augustus nondum esset. Quod Commodus in primis suis anni 930 numis illo abstinuit, ejus verisimilis causa erit, quod hic quidem honos ei dicto die anni praecedentis fuerit decretus, at aliquanto serius per publicas caerimonias stabilitus, et in usum receptus, cujus exempla jam alias plura vidimus. Certe iidem Commodi numi principio anni 930 signati tribuniciam quoque potestatem reticent, quo tamen tempore

^{a)} in Aurel. nota XX.
(Vol. VII.)

^{b)} ad Theol. Murat. p. 271.

ea illum decoratum jam fuisse constat. Ceterum observo, tamdiu Commodum imperatoris titulum instar praenomine adhibuisse, dum imperator ex victoriis diceretur, quod fere observavit etiam pater Marcus. Deinceps rarissime hunc honorem praefixit Commodus.

Imperator ex victoriis.

Cum primum Augusti titulum cum filio communicavit Marcus, eundem etiam laudis bellicae a victoriis relatae participem fecit. Quare eodem tempore,

quo Aurelius dictus est IMP. IX., erat Commodus IMP. II., quo tempore ille IMP. X., hic imperator III., ut numi, sed probatae fidei, et non perfunctorie descripti manifeste docent. Tillemontius, quoniam Mediobarbo, ejusque monstis fidem habuit, laqueis se undique implicatum vidit, a) quos vitasset, si minus habuisset obsequii. Adde Pagium, qui suo item Mediobarbo nixus omnia corrumpit. b) Quibus annis, et quibus ex victoriis iteraverit hunc titulum, in annalibus digestum reperies.

PRETIVM.

Commatia Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aurei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
<i>De numis Commodi aureis vide separatim articulum supra pag. 133.</i>								
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae.	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatia peregrini:

Argentei urbium Graecarum	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei varii moduli	-	-	-	-	-	-	-	C.
Coloniatarum	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	C.

CRISPINA.

Brutia Crispina Brutii Praesentis filia agente M. Aurelio matrimonio cum Commodus juncta est celebratis nuptiis exemplo privatorum, et dato ejus causa po-

pulo congiario. *) Factum istud anno V. C. 930, docent numi Commodi, et Dio. d) Deprehensam in adulterio Commodus primum palatio exturbat, deinde

a) in Aurelio nota XX. b) Crit. Baron. ad ann. Chr. 175 et alibi passim. c) Capitolia. in M. Aurel. c. 28. d) L. LXXI. c. 33.

Capreas relegat, *) ac denique interficit eodem ferè tempore, quo Lucillam, nimirum circa annum V. C. 936, ut colligitur ex Dione. b) Fuisse matrimonium fecundum, certa monumenta non comprobant; nam dubitare liceat de numi fide, quem in Commodo ad annum V. C. 934, et inscriptum: LIBE-RI. AVG. recitat Mediobarbus.

- A. CRISPINA. AVGVSTA. vel AVG. in omni metallo et forma.
 B. CRISPINA. AVG. IMP. COMMODI. AVG. in AE. max. mod. et AE. I. (Mus. Farnes. et Mus. Caes.)
 C. CRISPINA. AVG. COMMODI. AVG. in AE. I. (Vaillant.)

Vt lit. A.

DIS. GENITALIBVS. Ara ignita. AR. (Mus. Caes.)

Genitalis, aut in neutro *Genitale* est, quod generandi facultatem habet, aut communicat. Hanc igitur aram Crispina *Dis Genitalibus* dedicavit, quos praesse generationi, et juvare fecunditatem existimabat, qui utrum supplicem exaudiverint, non constat. Deos genitales memorat etiam Ausonius: c)

*Juppiter interea cum dis genitalibus una
 Concilium cogit superum de rebus Achivis.*

et θεων γενεθλων obiter meminit Li-

banius. d) Plutarcho memoratur deus γενεθλιος, *genitalis*, qui parentum imprecationem persequitur. e) Idem alibi θεος γενεθλιος conjungit cum θεοις πατρωις, f) quos ad annum V. C. 957 offerunt numi Caracallae et Getae. Mellisarium apud Aristaenetum, cum liberis daret operam, προσηυχετο *παισι τοις γενεθλιοις θεοις, rogavit omnes genitales deos. g)

CRISPINA: AVG. IMP. COMMODVS. AVG. GERM. SARM.
 Vtriusque caput.

VOTA. PVBLICA. etc. •

• De hoc numo maximae formae, alisque, in quibus Crispina cum Commodo sociatur, actum in numis Commodi ad annum V. C. 930.

• Reliqui Crispinae numi nihil offerunt ex Augustarum numis non abunde cognitum, ut *Cererem*, *Concordiam*, *Dianam Luciferam*, *Iunonem Lucinam*, *Venerem*, etc.

Numi commatis peregrini.

Crispinae numi *urbium liberarum* Graecarum, tum *coloniatarum* justo numero habentur. Ejus nomen *Brutia* tractum a patre Brutio, quod numi Latini reticere, prodiderunt non pauci Graeci inscripti: ΒΡΟΥΤΙΑ, vel ΒΡΟΥΤΤΙΑ. ΚΡΙΨΙΝΑ, quorum plures edidit Haymius. h)

a) Lamprid. c. 5. Dio L. LXXII. § 4. b) l. c. c) in Periocha IV. IIad. d) Tom. I. declamat. XLI. p. 879. e) in ἐρωτικῳ pag. 766. f) περὶ δεισιδαίμ. g) L. I. epist. 19. h) Tom. II. p. 304.

P. HELVIUS PERTINAX.

P R E T I V M.

Commatis Romani:

Aurei	- - - - -	RRR.
Argentei	- - - - -	C.
Argentei max. formae	- - - - -	RRR.
Aurei I. et II. formae	- - - - -	C.
Aenei III. formae	- - - - -	O.

Commatis peregrini.

• Urbium Graecarum, et coloniarum	- - - - -	R.
Alexandrini	- - - - -	RRR.

P. HELVIUS PERTINAX.

Ei patria Liguria, natale solum auctore Capitolino villa Martis in Apennino, auctore Dione Alba Pompeia. ^{a)} Pater Helvius Successus tenuis fortuna ac libertinus lignariam in Liguria negotiationem exercuit, atque eidem et filium applicuit. ^{b)} Hoc patre, et in fortuna tam tenui natus est anno V. C. 879 Kal. Augusti. ^{c)} Cur *Pertinax* dictus fuerit, causas quidem adferunt Capitolinus, ^{d)} et Victor, ^{e)} sed quas inter nugas reposueris. Relicta cum illiberali officio patria literarum studiis primum vacavit, mox militiae nomen dedit, atque re in Parthia, Britannia, Norico bene gesta a Marco adlectus inter senatores, deinde praetura, denique consulatu donatus est, ^{f)} de cuius tempore, quoniam suffectus is fuit, eumque absens gessit, ^{g)} non constat liquido. Recta sub Commodio Britannia, ac subin-

de Africa, ab hoc Romam evocatus, et praefectus urbi constitutus est, ^{h)} atque etsi muneri suo sancte integreque praesset, probatus tamen pessimo imperatori fuit, a quo conlega in postremo suo consulatu VII., atque una postremo vitae anno V. C. 945 est adscitus ipse consul II. ⁱ⁾ Hoc pridie Kal. Ian. sub noctem caeso cum conjurati Laetus praefectus praetorio, et Electus cubicularius hominem gravem ac sobrium circumspicerent, quem summae rei admoverent, eadem adhuc nocte Pertinacem praefectum urbis, eorum, quae accidere, inscium (nam falso conscium fuisse caedis suspicatur Capitolinus, ^{k)} et palam adferit Iulianus, ^{l)} adeunt, diuque reluctantem, atque aegre demum persuasum primum in castra, deinde in senatum deducunt, a quo propter Commodi odium, et meritorum causa Au-

a) L. LXXIII, § 3. b) Capitolin. c. 1. et 3. c) Ibid. c. 15. Kalendar. Vindob.
d) in Pertin. sub init. e) in Epitome. f) Capitolin. c. 2. g) ibid. c. 3. h) Capitolin. c. 4. i) V. Faßos, et Gruterum pag. LVI. 4. k) Cap. 4. l) in Caesarib.

gustus inter faustas, et sinceras adclama-
mationes salutatur. Mox rei gerendae
intentus veterem coepit revocare disci-
plinam, corrigere mores urbis, ejicere
delatores, aetario exhausto consulere,
atque ipse primus esse frugalitatis au-
ctor, et exemplum. At vero hoc ipsum
erat, quod praetorianos, quos intem-
perantiae Commodianae desiderium ten-
nuit, offendit, quorum pars repente fa-
cto agmine in palatium irruit, princi-
pemque nil tale opinantem vulneribus
ad mortem conficit V. Kalend. April.
V. C. 946. At populus patresque cae-
sum tantae virtutis virum, eique tem-
pori necessarium indignissime tulit, pa-
tuitque hic adfectus paullo post, cum
referendum in deorum numerum censu-
ere, ac serius, cum Severus ejus vir-
tutum recordatione *Pertinacem* se dici pas-
sus est, habitis publice ejus memoriae
honoribus. Vide Dionem, Herodianum,
Capitolinum.

Vxor *Titiana*, de qua, et liberis in-
fra.

V. C. 946. P. X. 193.

CAES. AVG. TR. P. COS. II. P. M.
Q. Sosio Falcone, C. Iul. Erucio Claro cof.

- A. IMP. CAES. P. HELV. PERTIN.
AVG. Caput laureatum in AV.
AR. in AE. II. etiam radiatum.
- B. IMP. CAES. P. HELV. PER-
TINAX. AVG. Caput laureatum
in AE. max. mod. et AE. I. II.

Vt lit. A. vel. B.

DIS. CVSTODIBVS. Mulier stans d. gu-

bernaculum, f. cornucopiae. AR. (Mus.
Caes.) AE. I. (Vaill.)

Fortunae simulacrum averfa sistit, at-
que ut varie a Romanis Fortunae, va-
riisque eae appellationibus cultae sunt,
quas fufe persequitur Plutarchus, a) ita
hae omnes nomine *dearum custodum* haec
hoc numo intelliguntur, quarum se prae-
sidio Pertinax in aditu imperii commen-
dat.

Antica incerta.

DIS. GENITORIBVS. *Cybele turrita et
velata d. pateram super aram extendit, f.
templum tenet, pro pedibus puellus mani-
bus elatis, et insistens globo.* AE. I. (Bal-
dini apud Vaill. Tom. II.)

Iam et *diis genitoribus*, se commendat
Pertinax, ex quibus unicam hic Cybe-
len, eamque vetustissimam, *Matremque
deum* vulgo appellatam proponit. Ad-
flans puellus ex eorum haud dubie nu-
mero erit, quorum illa genitrix dici pro-
meruit.

Vt lit. A.

IANO. CONSERVAT. *Ianus bifrons stans
d. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Ianum modo Pertinax *conservatorem*
suum appellat, poteratque ab hoc non
inficiendus videri, quoniam eo ipso
tempore, quo annum Ianus aperit, im-
perium auspicatus est, quae etiam haud
dubia lecti hujus typi causa videtur.

Vt lit. B.

LIB. AVG. TR. P. COS. II. S. C. *Im-
perator sedens in suggestu congiarium divi-
dit.* AE. I. (Vaill. Mus. Christinae.)

a) de Fort. Rom.

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. TR. P. COS. II. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II. (Mus. Christianae.)

Donativa, et congiaria, quae Commodus promiserat, solvisse Pertinacem, refert Capitolinus, ^{a)} at magis infra definite, congiarium dedisse populo denarios centenos, praetorianis promississe duodena millia numum, sed dedisse sena. ^{b)}

Vt lit. A.

LIBERATIS. CIVIVS. *Mulier stans d. tesseram, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Inscriptio nova, sed sensus pronus, civibus abolita Commodi tyrannide libertati suae restituta. At difficilius est, epigraphen cum typo, qui vulgo liberalitatis est, componere. Videtur haec averfa indicari tantum Pertinacis liberalitas, de qua in numo praecedente, sed quae tanto gratior populo exstitit, quoniam non amplius pressis tyrannide, sed *liberatis* denique civibus celsit.

Vt lit. A.

MENTI. LAUDANDAE. *Mulier stans d. coronam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

En singularem thesauri Caesarei numum, atque diu aliis museis ignotum, altero nuper exemplari ex museo d'Ennery producto. Mentem Romae habuisse templum, votum dedicatumque Hannibale Romanos urgente, refert Livius ^{c)} ejusque meminere etiam Plutarchus, sed dedicati ab Aemilio Scauro, qui belli

belli Cimbrici tempore vixit, ^{d)} tum et Cicero, ^{e)} S. Augustinus. ^{f)} Vota ei quotannis publice facta tradit Ovidius, ^{g)} et quidem in Capitolio VI. idus Iun. conspirantibus Kalendariis Venusino, et Maffeorum. *Laudandae* elogium Menti additum in nullo monumento vetere reperias, quanquam dijudices facile sensum a Pertinace intellectum, qui cum omnia ad rationis leges exigeret, ostendit hoc suo inlilito, diversum se a Commodo sentire, cujus omnis vita perpetuum fuit *amentiae* argumentum, et quo imperante Menti revera evenisse visum, quod de ficto Cupidinis triumpho canit Ovidius: ^{h)}

*Mens bona ducetur manibus post terga
retortis,*

*Et pudor, et castris quidquid Amoris
obeft.*

Cui adde illud Propertii: ⁱ⁾

*Mens bona, si qua dea es, tua me in
sacraria dono.*

Rette, Properti! siquidem verum est, quod pluribus locis adfirmat Cicero philosophus, esse mentem principem animae partem, nihilque mente divinius praestabiliusque homini sive naturam, sive quem deum dedisse. *Laudandae* epitheton Cereri dedit Tibullus: ^{k)}

*Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae sacra docere deae.*

^{a)} Cap. 7. ^{b)} Cap. 15. ^{c)} L. XXII. 10. 11, et XXIII. 31. ^{d)} de Fort. Rom. p. m. 318. ^{e)} de Nat. deor. L. II. 23. et L. III. 36. ^{f)} de Civ. dei L. IV. c. 21. ^{g)} Fast. Lib. VI. 241. ^{h)} Amor. L. I. eleg. II. v. 31. ⁱ⁾ L. III. eleg. 24. v. 19. ^{k)} L. III. eleg. V. v. 7.

Vt lit. A. et B.

OPI. DIVIN. TR. P. COS. II. *Mulier sedens d. spicas.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vidimus in Antonino ad annum V. C. 893 numum, in quo epigraphe: OPI. AVG., et typus: *Mulier sedens d. hastam, s. capiti admota.* Opis sensus duplex. Potest primum intelligi *Ops* nota Saturni conjux, cujus Romae fuisse templum in regione VIII. testatur Victor: *Aedis Opis et Saturni in vico Iugario*, cujus saepe meminit Cicero quoque, cum direptum ab Antonio ex ea aede septies millies IIS. conqueritur, quod ibi a Iul. Caesare in usus cogitati belli Parthici sepositum fuit. a) Ejus meminit quoque marmor Gruteri: b) LOCVS. ADSIGNATVS. AEDI. OPIS. ET. SATVRNI. Potest deinde Opis nomine intelligi omnium rerum copia, quae beatam, securam, et commodam vitam efficit, qua certe non fruitur, qui *inops* est. Atque in hoc quoque sensu *Opem* Romae habuisse templum testatur Cicero, c) ejusque ipsius videtur fuisse ara, quam in regione item VIII. positam sic describit Victor: *Opis et Cereris cum signo Fortumni*, quoniam copulatur cum Cerere, cujus proventus veras hominis opes constituunt. Quanquam, si Macrobius audimus, d) *Ops* in posteriore sensu accepta non nisi prioris est effectus; nam ait: *Saturnum et Opem tam frugum. quam fructuum repertores esse creditos, - - et terram dictam Opem, cujus ope humanae vitae alimenta quaerun-*

tur, vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur. Alibi *Ops* Macrobio *Consvia* dicitur, nempe a *conferendo.* e) Plauto *Ops opulenta* Iovis mater est. f) His jam observatis facile explicantur typi in numis tam Antonini, quam Pertinacis inscriptis OPI. In prioribus mulier sedens manum capiti applicat, nota Securitatis imagine, quam opes pariunt; in alteris mulier spicas tenet, mirum *Opis* proventus vere *divinos*, quorum peculiarem curam habuisse Pertinacem, continuo videre licebit. Cum hoc numo apte jungimus inscriptionem, quam vulgavit Gruterus: g)

OPI. DIVINAE. ET. FORTVNAE.
PRIMIGENIAE. SACR.
IMP. CAESAR. HELVII
PERTINACIS. AVGVSTI
V. D. D.

Addenda et altera ex Calendario marmoreo Amiternino, in quo sic legitur ad IV. idus Aug. FERIAE QVOD EO DIE ARAE CERERI MATRI ET OPI AVGVSTAE EX VOTO SVSCEPTO CONSTITVTAE SVNT CRETICO ET LONG. COS. quae est nota anni V. C. 760. Atque ad eundem diem Kalendarium Capranicorum: FERIAE ARAE OPIS ET CERERIS IN VICO IVGARIO CONSTITVTAE SVNT.

Vt lit. A.

PON. M. TR. P. COS. II. S. C. *Mulier sedens d. spicas.* AE. II. (Mus. Caes.)
Vt lit. A.

a) Ad Attic. L. XIV. ep. 14. L. XVI. ep. 14. et in Philippicis passim. b) Pag. XXVI. 3.
c) de Nat. deor. L. II. 23. d) Saturn. L. I. c. 10. e) Ibidem L. III. c. 9. f) Cistell. Act. II. sc. I. v. 39. g) Pag. XXVI. 4.

PROVID. DEOR. COS. II. *Mulier stans dexteram versus globum radiatum in aere pendulum porrigit.* AV. AR. (Mus. Caes.) AE. I. (Reginae Suec.)

Vt lit. A.

PROVIDENTIAE. DEORVM. COS. II. *Mulier stans utramque manum versus globum in aere pendulum, sed non radiatum, porrigit.* AE. II. (Mus. Caes.)

• Providentiae frequens jam inde ab Augusto in moneta mentio. Typi primum fuere ara, fulmen, aquila. Serius globus ad eam designandam plerumque adhibitus, qui orbis terrarum, aut etiam mundi totius imago est. Plinius: ^{a)} *Formam ejus (mundi) in speciem orbis absoluti globatam esse, nomen in primis et consensus in eo mortalium orbem appellantium, sed et argumenta rerum docent, et Ovidius: b)* *Terra pilae similis.* Hic adeo globus orbem terrarum principibus deorum providentia permixtum indicat, atque hunc illi hac significatione saepe manu gestant, imposita saepe Victoriola, et temporibus Christianis cruce, et ne is simplex globus intelligeretur, nonnunquam zonis ambitur, quae zonis coelestibus respondent, ut in denariis Mulsidii Longi. Hunc globum genius muliebris aut humi positum radio, vel bacillo designat, qui typus est obvius, aut, quod fere in Pertinacis numis tantum observatur, desuper immixtum porrectis manibus videtur acceptare, et saepe quidem radiis ornatum, ut coeleste munus intelligeretur.

Antica incerta.

SAECVLO. FRVGIFERO. *Caduceus inter spicas.* AR. (Vaill.)

Annonae consultissime providisse Pertinacem, testatur Capitolinus, c) et rei frumentariae causa profectum ad mare, refert Dio. ^{d)}

Vt lit. A. et B.

VOT. DECENN. TR. P. COS. II. *Imperator velatus stans d. pateram super tripode sacra facit.* AV. AR. AE. I. (Vaill. Mus. Caes. Theup.)

Intelliguntur vota ineunte decennio ad ejus felix curriculum suscepta.

Divus Pertinax.

• Pertinax a successore Iuliano alium honorem praeter magnificas funeris exequias non est adsecutus. At postquam is quoque a militibus desertus est, per senatum et populum in deos relatus fuit. A Severo Pertinacis filius patris flamen factus est, et Marciani sodales, qui divi M. Aurelii sacra curabant, Helviani sunt dicti. Additi Circenses, et imperii natalis, sed qui a Severo sublatis postea sunt, sic tamen, ut manerent genethliaci, sive genitalicii. ^{e)} Caerimonias in his consecrationis solemnibus a Severo adhibitas copiose describit Dio autopta. ^{f)}

DIVVS. PERT. PIVS. PATER.

Caput nudum.

AETERNITAS. *Signum Pertinacis in quadrigis elephantorum.* AE. m. m. (Vaill.)

Epigraphen anticae explicabit. Victor. ^{g)} Nimirum, Pertinaci consecrato,

a) H. N. L. II. § 2. b) L. VII. VI. 269. c) Cap. 7. d) L. LXXIII. § 8. e) Capitol. c. 15. Spartian. in Severo c. 7. f) L. LXXIV. § 4. g) in Epitome.

ait, ad vocis usque defectum adclama-
tum fuisse: *Pertinace imperante securi vi-*
xiimus, neminem timuimus. PATRI PIO,
patri senatus, patri omnium bonorum. De
averfa haec Dio: *) *Præcepit Severus,*
ut statua ejus aurea curru elephantorum
vèheretur in Circum.

Eadem adverfa.

CONSECRATIO. *Aquila globo insiftens.*
AV. (Reg. Gall. teste Beauvais.) AR.
AE. I. (Mus. Caef.)

Alius, sed typo rogi. AV. (Pelle-
rin Suppl. III. p. 119.) AE. I.
(Mus. Caef.)

Narrat Pellerinius in epistola ad Khe-
lium data, sese aureum hunc Pertina-
cis numum ab episcopo Babylonis ex-
torquere non potuisse, nisi numeratis
Ludovicis aureis omnino XV.

Eadem adverfa.

FIDES, EXERCITIVM, *Duae dexteræ*
junctæ, quibus insiftit aquila legionaria.
AR. (Gessner ex mus. Pfau.)

Numi commatis peregrini.

Numi *urbium liberarum* rarissimi sunt.
Prusæ Bithyniæ insignem aeneum I.
formæ ostentat museum Caesareum,
aeneum II. formæ Tomorum Moesiae
edidere Vaillantius, et museum Chri-
stinae. Reliqui a variis editi, quia mi-
nus integri, incertae sunt patriae. Alius
I. formæ Aeni Thraciæ cufus profer-
tur in Catalogo d' Ennery, sed de cu-
jus fide nonnihil dubito, ut dixi in ejus ur-
bis numis. Ejusdem urbis alium, sed mi-

nus certum, quia epigraphen mancã of-
fert, dedit Vaillantius ex museo de Camps.

Coloniae numum a se unquam con-
spectum negat Vaillantius in suo de co-
loniis opere.

Alexandrini quoque rarissimi, quos
vide apud Vaillantium, et in museo
Caesareo.

Non praetereunda hoc loco gemma
operis peregrini, quam vulgavit Bel-
leyus, et praeclare more suo explica-
vit. b) Exhibet illa caput Pertinacis lau-
reatum adscripto ΔΙΚ., et huic adver-
sa duo capita jugata, quorum unum
muliebre, scripto juxta TIT., alterum
puerile; in horum medio urna ludorum,
in qua literae XP., superne ΚΑΠΕΤΩ-
ΛΕΙΝΑ, inferne ΕΛΟΤΙΑ. In hac Per-
tinax dicitur ΔΙΚαιος, *Iustus*, quod e-
logium illi publice datum ignoramus.
TIT. sunt literae ἀρχαισσαι uxoris Titia-
nae, et caput puerile est filii Pertinacis,
de quo agetur in matre. Docemur prae-
terea, in Helvii Pertinacis honorem con-
stituta fuisse certamina *Helvia*. Scalptam
gemma apud Sardes Lydiae, probant
literae XP., quibus ludi *Chrysanthina* in-
dicantur in hac urbe celebrari soliti, ut
alibi dictum.

Pater patriae:

De hoc nomine Capitolinus: c) *Pri-*
mus omnium ea die, qua Augustus est ap-
pellatus, etiam patris patriae nomen rece-
pit. Cum Pertinax in nullo numo hoc
titulo utatur, verisimile est, eum a se-

a) L. LXXIV. 4.
(Vol. VII.)

b) B. L. Tom. XXVI. p. 486.

c) Cap. 5.

natu quidem esse decretum, sed a Pertinace bonorum principum exemplo dilatum, neque adeo, quod docet Capitolinus, receptum. Mox in Titiana vi-

debimus, non omnia, quae senatus decrevit, continuo etiam probata fuisse principi. Pater patriae dicitur in matrem Tarracoenſi apud Gruterum. *)

PRETIUM.

Commatis Romani :

Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I. formae	RRR.
Aenei II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini :

De his actum paullo supra.

FLAVIA TITIANA.

Filia Flavii Sulpiciani, quem Pertinax imperio adnotus in locum suum praefectum urbi fecerat. ^{b)} Eodem die, quo maritus Augustus dictus est, Augustam eam dixit senatus, sed non admittit decretum Pertinax, quoniam nolebat honorem hunc vilescere delatum feminae palam a libidine notatae. ^{c)} Vixit superstes marito, ^{d)} at qua morte obiverit, incertum.

Liberi. Ex Pertinace filium habuit, filiamque. Illum patri cognominem cum senatus Caesarem diceret, non modo id non ratum habuit pater, responso, futurum Caesarem, *cum meruerit*, sed ne-

que in palatio educavit, iussitque, ut antea, privati instar ludum literarium obire. ^{e)} Occisum subinde a Caracalla refert Herodianus, et Spartianus, quod eum ob caesum Getam per ludibrium *Geticum Maximum* dixerat. ^{f)}

Numi commatis Romani.

Hujus classis Titianae numi non existant, cum tamen intra brevius imperium existant numi Scantillae uxoris Did. Iuliani successoris, quin et horum filiae Clarae Romae percussi. Defectus hujus causam a Pertinace ipso pete, qui, ut

a) Pag. CCIX. 1. b) Capitolin. in Pertin. c. 13, Dio L. LXXIII. 7. cap. 5. et 13. Dio I. c. Iornanda, Euseb. in Chron. d) Capitolin. I. c. Pertin. c. 6. 13. Dio L. LXXIII. § 7. e) in Caracalla, et Geta.

c) Capitol. I. c. e) Capitolin. in

senatusconsulto de conferendo uxori Augustae titulo intercessit, ita neque honores monetarios indulgit.

Numi commatis peregrini.

Ex *urbibus liberis*, si Thessalonicam demas, cujus numum ex museo Pfau citat Gessnerus, una Mytilene Lesbii insulae urbs clara, quod hactenus constet, Titianam numis inseruit. Eccos:

TITIANH. CEBACTH. *Hujus caput.*

ΜΤΤΙΑΗΝΑΙΩΝ. *Pertinax eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Haym. T. I. p. 264. edit. Vindob. Mus. Caes.)

In his Mytilenes numis, atque etiam, quos mox producam, Alexandrinis mirum videri potest, Titianam dici *Augustam*, cum tamen, ut diximus, huic honori a senatu feminae decreto palam adversatus sit Pertinax. Quare provinciales aut eam Augustam fecere *πολλήπικως*, cum non dubitarent, quae Au-

gusti uxor esset, propediem Augustae honore ornatum iri, aut numos suos signavere mox audito senatusconsulto, et antequam illud a Pertinace irritatum constaret. Atque hac, aut simili ratione corrigenda sunt prava provinciarum iudicia, cum aliud a moneta Romana, et unanimes historicorum consensu pronuntiant, cujus plura per hoc opus exempla vidimus, ut cum v. g. Britannicum Claudii filium, qui Caesaream dignitatem nunquam excelsit, in numis suo unarum arbitrio *Augustum* fecere, ut in hujus moneta diximus.

Coloniarum numi desiderantur.

Alexandrinus binos edidere Vaillantius; (Num. Graec.) et Morellius, (in Specim.) hos quoque cum titulo CEBACTH. Alium Mareae Aegypti urbis vulgavit Maffei, in cujus averfa: ΜΑΡΕΩΤΩΝ. L. A. *Navis expansa velo.*^{a)} Sed eum dilerte spurium testatur iudex gravis Barthelemyus.^{b)}

PRETIUM.

Commatis Romani

Commatis peregrini Mytilenes, et Alexandrini

O.

RRR.

DIDIUS IVLIANVS.

Ei pater Petronius Didius Severus, mater Clara Aemilia fuit, et avus paternus Insuber Mediolanensis.^{c)} Secundum Dionis computum, quem in alio-

rum dissidio, quod hac tempestate ipse Romae vixit, sequi malimus, natus est exeunte Januario V. C. 886. Rebus gerendis per aetatem admotus Marco

a) Antiq. Galii p. 118. — b) Mem. B. L. Tom. XXVI. p. 551.

c) Spartian.

imperante repressis, qui ad Albim habitabant, Caucis consulatum meruit, subinde Pertinaci in regenda Africa successit. ^{a)} Romam revocatus praefecturam vigilum egit, quo tempore imperabat Pertinax. ^{b)} Hoc a praetorianis caelo, cum hi castris suis clausi clara ex moenibus voce venale imperium ei, qui plus promitteret, offerrent, viris quotquot fuere, clarissimis eam ignominiam averfantibus, instigatus suorum suasu Iulianus adcurrit, et extra vallum liceri non grubescit contra Flavium Sulpicianum Pertinacis focerum, qui intra vallum pretium pro imperio obtulit. Verum cum plus pacifceretur Iulianus, scalis demissis receptus in castra, agnitusque imperator, et praetorianorum stipatus manu in senatum deductus est. At populus non minus caede indigna Pertinacis, quam recente empti imperii turpitudine irritatus apertis primum conviciis novum Augustum, deinde et lapidum jactu coepit impetere, neque temperare sibi, quo minus Pescennium Nigrum Syriae tum impositum rectorem ad imperium deposceret. Qua populi aversione cognita Augustum se quidem proclamari a suis passus est Pescennius, at cum ignavius coeptis insisteret, Severus Pannoniae tum praefectus perspecta suorum voluntate Augusti honores invadit, rebusque omnibus comparatis iter in Italiam impigre ingreditur. Re intellecta Iulianus Severum hostem patriae a senatu judicari jubet, sed minus ad resistendum promptos reperit milites, partim aegros, quod, quam paratus erat in imperii emptione summam,

persolvere distulit, partim quod insueti otio, ac ignaviae congressi cum duro Severi milite non auderent. Severo interea urbi imminente ad mitiora compulsus consilia impetravit quidem a senatu, ut particeps saltem imperii diceretur, at mox conversis omnium in Severum animis misso a patribus milite ab omnibus desertus in palatio obruncatur die I. vel II. Iunii V. C. 946 ex sententia Tillemontii. ^{c)} Corpus ejus a Severo uxori Scantillae ad sepulturam est redditum, et in proavi monumento via Lavicana conditum. Vixit secundum Dionem annos LX. menses IV. dies totidem, ex quibus imperavit dies LXVI. Fuisse eum juris peritissimum, inter omnes constat. Spartianus parsimoniam, mites mores, aliasque virtutes in eo depraedicat, at Dio ejus vitae testis ipse, tum et Herodianus coopertum vitiis adserunt. Certe quod non erubuit, nullo antehac ejus dedecoris exemplo, emptione publica arripere imperium, tantumque offerre pecuniae, quantum neque praestare per se, neque per exhaustum aerarium potuit, satis per se scelestum, dignumque, quem nactus est, exitu visum est.

Vxor *Manlia Scantilla*, de qua infra.

V. C. 946 P. X. 193.

TR. P. COS. P. M.

- A. IMP. CAES. M. DID. IVLIAN.
AVG. *Caput laureatum in AV.
AR., radiatum in AE. II.*
- B. IMP. CAES. M. DID. SEVER.

a) Spartian.

b) Victor in Caes.

c) Tom. III, Part. I. p. 36.

IVLIAN. AVG. *Caput laureatum*
in AE. I.

CONCORD. MILIT. *Mulier stans cum*
binis signis militaribus. AV. AR. AE. I.
II. (Mus. Caes.)

P. M. TR. P. COS. *Mulier stans d. gu-*
bernaculum, f. cornucopiae. AV. AR. AE.
I. II. (Mus. Caes.)

RECTOR. ORBIS. *Imperator velatus*
stans, (in aeneis sedens) d. globum. AV.
AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Hos solos Iuliani probae fidei numos
novi. Alium, sed qui media sui parte
ad Scantillam pertinet, in hujus mone-
ta recitabo. Ex omni ejus moneta foli
numi postremi per inscriptionem REC-
TOR. ORBIS memorabiles, quae nunc
primum occurrit, a paucis subinde re-
vocata. Ipsa per se captu facilis expli-
catione non eget.

Numi commatis peregrini.

Id genus numi adhuc non observati,
nisi quod nuper unus Sestinius eorum tres
vulgavit, unum coloniae Apameae Bi-
thyniae, ^{a)} Aphrodisiads Cariae, et
Alexandrinum. ^{b)} Sed horum omnium
suspectam fidem puto. Vide, quae dixi
in numis Alexandrinis Achillei tyranni. ^{c)}

Nomina, ac tituli.

Severus, Commodus.

Severi nomen suscepit ab avo, et pro-
avo, ut ait Spartianus. ^{d)} Sed cur is,

quod prae manibus habet, ex remoto
petit, cum eodem teste et pater Seve-
rus dictus sit? Addit eodem loco: cum
consul designatus *Didium Iulianum impe-*
ratorem in curia proclamaret, suggessisse
Iulianum: *adde et Severum*, quod omnis
instar habitum fuit. Nomen istud omni-
bus aeneis I. formae inscriptum legitur.

• *Commodi* nomen Iuliano indidere prae-
toriani ex affectu in principem sibi mo-
ribus simillimum. ^{e)} Ejus mentione ab-
stinent numi a viris circumspicis vulga-
ti. In horum numero si Mediobarbum
putabis, Iulianum ex humis quoque
Commodum habebis.

Pius.

ΕΥΚΕΣΤΩ dicitur in numo Alexandrino,
quem vulgavit Sestinius, sed de quo vi-
de meum iudicium in hac numerorum clas-
se. De numo Aphrodisiads cum eodem
titulo paullo supra egimus.

Consul.

Iulianus in numis omnibus probae fi-
dei COS. simpliciter inscribitur; nam
Mediobarbi numum inscriptum COS. II.
negligendum existimo. Tamen ex Spar-
tiani testimoniis, quae in Iuliano, et
Severo refert, Iulianus ter, aut saltem
bis processit consul. Tillemontius, qui
dubium istud, sed incassum expedire con-
natur, iuculare hoc loco ut et alias
saepe, scriptorum oscitantiam cogitur,
quorum residua opera historiam Augu-
stam componunt. ^{f)}

a) Lettere Tom. III. p. 13.

b) Lettere Tom. IV.

c) Vol. IV. p. 96.

d) Cap. 7.

e) Dio L. LXXXIII. § 12. Heiodian.

f) Nota I. ad Severum.

MANLIA SCANTILLA.

Pater patriae.

Patris patriae quoque nomen recepit, ait definite de Iuliano Spartianus.^{a)} Sin illud, cur numi hunc titulum constan-

ter negligunt? Iam alias vidimus, Capitolino, Spartiano, Lampridio in tempore capti hujus elogii cum numis non convenire,

PRETIUM.

Numi commatis Romani:

• Aurei	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	=	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	O.
<i>Commatis peregrini:</i>	-	-	-	-	-	O. aut suspecti.

MANLIA SCANTILLA.

Vxorem, et ex hac filiam habuisse Iulianum, Herodianus quoque prodidit, at illi fuisse nomen *Manliae Scantillae*, huic *Didiae Clarae*, uni Spartiano debemus. Vtramque invitam ad palatium transivisse praesagientem nempe imminens exitium, perhibet Spartianus.^{b)} At Herodianus ab utraque persuasum Iulianum prodit, ut projectum imperium arriperet. Vtraque Augusta fuit appellata auctore Spartiano,^{c)} et consentiunt ambarum numi. Sepultum ab iis Iulianum, in hujus rebus gestis diximus.

Filia *Didia Clara*, de qua infra.

MANLIA SCANTILLA. AVG.

Hujus caput:

IVNO. REGINA. *Dea velata stans à. pa-*

teram, s. hastam, pro pedibus pavo. AV. (Vaill.) AR. AE. I. et II. (Vaill. Mus. Caes. Theupoli.)

Aliae averfae in hujus Augustae moneta non reperiuntur dempto numo sequente, sed hybrida.

• *Eadem averfa.* *

P. M. TR. P. COS. S. C. *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AE. I. (Geffner.)

Nemo non videt, in mariti jura temere involasse uxorem Scantillam. At rependit vices maritus parum uxorius, dum sibi, quod conjugis erat, vindicavit. Nam exstat ejus numus, in cujus averfa legitur: IVNO. REGINA, ut testatur cl. Beauvais.^{d)}

a) Cap. 4.

b) Cap. 3.

c) l. e.

d) Hist. abreg. T. I. p. 274.

DIDIA CLARA.

151

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	RRR.
Aenei I. formae	RRR.
Aenei II. formae	RRRR.
Aenei III. formae	RR.

Commatis peregrini

O.

DIDIA CLARA.

Didii Iuliani Aug. et Scantillae filia, de qua quidquid memoriae prodidere veteres, supra una cum matre complexus sum. Eam pater denupsit Cornelio Repentino, quem in locum Sulpiciani praefectum urbi fecit. ^{a)} Caeso patre mox illi Augustae nomen fuit ademptum. ^{b)}

DIDIA. CLARA. AVG. *Hujus caput.*

HILAR. TEMPOR. *Mulier stans d. palmae ramum, f. cornucopiae.* AV. (Vaill.) AR: AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Theupoli.)

Est haec perpetua averfa in numis dempto sequente:

Eadem adversa.

PIETAS. AVG. *Mulier stans ad aram sacrificat.* AR.

Numum Gessnerus citat ex museo Pfau, cujus adeo auctoritas rarissimi hujus cimelii aliis ignoti fidem tueatur.

Numi commatis peregrini.

Vnicum hujus generis descriptum reperi:

ΔΗΔ. ΚΛΑΡΑ. CEB. *Hujus caput.* KOINON. ΚΤΙΡΙΩΝ. *Templum Veneris Paphiae.* AE. I. (Mus. Christinae.)

Eximie cimelium istud depraedicat Havercampus in adjecto commentario, neque indignum videatur his praeconiis, si modo genuinum. At vero an satis explorata ejus antiquitas? Iam enim primum terret scriptum ΔΗΔ. pro ΔΙΔ. vel ΔΕΙΔ. manifesto adversus orthographiam peccato. Deinde nisi mox audito Iuliani principatu in Cypriorum officina properatus est hic numus, non video, signari illum in ea insula potuisse. Sane paullo post a Iuliano descivit Pescennius vicinae Syriae tum praefectus, atque ab hoc tempore an verisimile dedicatam Clarae a Cypriis monetam Iuliani aemulo prope consistente, et vicinorum adfectus attente explorante?

^{a)} Spartian. c. 3.

^{b)} Ibidem cap. 8.

custodiri Romae iussit, sic tamen, ut illos eo honore, quo suos, haberet. Caeso patre cum matre deportati sunt, mox rebellante Albino interempti omnes una cum matre. Quod fuerit uxori nomen, reticet Spartianus eorum, quae modo narraui, auctor. ^{a)} Fuere, qui ex numis dictam fuisse *Pescenniam Plautianam* adferent. Nimirum primus Baudelotius numum Graecum vulgavit inscriptum: ΠΕΚΚΕΝΝΙΑ. ΠΛΑΥΤΙΑΝΑ. ΚΕΒΑΚΤΗ. ^{b)} Reliqua, cujus sit typi, quo in museo seruetur, dissimulavit. Narrat Baldinus, ^{c)} comparuisse ejus alium, sed Latinum, in cujus una parte: PESCENNIA. PLAVTIANA. AVGVSTA, in alia: CONCORDIA. P. R. sed etiam compertum fuisse, manum modernam literis vitium obtulisse. In eadem deinde sententia fuit etiam cl. Beauvais. In numo aeneo II. formae musei Caesarei, sed hoc evidenter spurio, legitur hinc PESCENNIA. PLAVTIANA. AVGVSTA, illinc CLOD. ALBINVS. CAES. AVG. IMP. S. C. intra coronam. Ex hujus ergo falsarii praeecepto haec mulier fuit Albini conjux. Secundum alios Pescenniam Plautillam fuisse uxorem Albini, in hoc videbimus.

*Animadversio
ad numos Pescennii Latinos.*

Pescennii numi omnes, etiam qui ad modum monetae Romanae facti sunt, commatis certe sunt peregrini, atque haud dubie signati Antiochiae principe ejus tractus urbe, in qua temporarii

imperii sedem fixit. Nam quo tempore imperium in Oriente usurpavit, Romam tenuit Did. Iulianus, mox Severus, a quibus, etsi senatum populumque sibi devotos haberet, aut agnitus non est in principatu collega, aut, quod serius evenit, hostis etiam judicatus. Quae causa est, cur non existent aenei Pescennii numi ex S. C. signati, et si quos forte nactus fueris, continuo inauditos condemnabis. At quoniam imperatoribus in aurum argentumque jus fuit, et, quaecumque in orbis parte imperium arripuere, mox ex utroque metallo in signum suae potestatis monetam signaverunt, cujus luculentum exemplum in Vespasiano vidimus, eodem et Pescennius exemplo numos aureos argenteosque cum sua imagine vulgavit. Aureum hactenus unicum repertum, infra in numo inscripto CONCORDIA prodemus. Reliqui omnes sunt argentei, et cum hi quoque valde rari, ac propterea summo in pretio sint, omnes, quotquot a fidis auctoribus editos reperi, describere, et in usum conferre placuit. Observandum, eos omnes fabricae esse vilioris, inscriptione, ac literis saepe prave distortis, ac luxatis, quo continuo peregrinitatem, et soloecum suum produnt, quod animadvertere operae pretium visum, ne mox propter fabricae deformitatem spurios numos natales immerito objiciamus.

V. C. 946. 947. P. X. 193. 194.

A. IMP. CAES. C. PESC. NIGER.

^{a)} in Pescennio, et Severo.
T. III. p. 284.

(Vol. VII.)

^{b)} Vül. des voy. T. II. p. 357.

^{c)} ad Vaill. num. praef.

IVST. AVG. COS. II. *Caput laureatum.*

AETERNITAS. AVG. *Luna inter septem planetas.* AR. (Vaill.)

Antica incerta.

APOLLINI. SANCTO. *Apollo nudus stans d. ramum tenet, et simul columnae innixus.* AR. (Morelli Specim. tab. IX.)

Hic numus patriam Antiochiam aperte proficitur; nam exstant aenei II. formae verisimiliter Iuliani, qui Apostata dicitur, aetate percussi, in quorum una facie legitur; APOLLONI. SANCTO, in altera: GENIO. ANTIOXENI. Nimirum inter praecipua numina Antiochenis Apollo fuit, de quo pluribus in horum moneta egimus.

Antica incerta.

BONAE. SPEI. *Spes gradiens.* AR. (Vaill.)

Similem edidi in Catalogo musei Caesarei, sed inscriptum: BONA. SPES, at eum hic restituere religioni duco, quoniam iterato in iudicium coactus non levia *νοθειας* indicia praebuit. Ceterum BONA. SPES saepe in numis Severi hoc eodem tempore signatis legitur, ut universim certum est, Severum et Nigrum iisdem per saepe typis in moneta sua usos, neque id fortuito, sed de industria; nam habentur in iis inscriptiones, quas in aliorum imperatorum numis nunquam reperias. Vter alterum aemulatus sit, ac Spem Spei, Eventum Eventui etc. opposuerit, decidere difficile. Cicero *bonam Spem* desperationi omnium rerum opponit, ^{a)} et fuisse Romae po-

litam aram *Fortunae Bonae Spei*, (*Τυχης Ευελπιδος*) memorat Plutarchus. ^{b)} Gruterus vulgavit lapidem dicatum BONAE. SPEI. AVG. ^{c)} Caput anticae in hoc numo rarissimum vocat Vaillantius, et tamen quod, aut quale sit, quis epigraphes modus, pro instituto suo reticet.

B. IMP. CAES. C. PESCEN. NIGER. IVST. AVG. *Caput laureatum, in aliis, ut lit. A.*

BONI EVENTVS. *Mulier stans d. patram cum frugibus, f. spicas.* (Mus. Caes.)

Numi similes sunt etiam in moneta Severi. De Bono Eventu abunde olim egimus in denariis gentis Scriboniae.

Antica incerta.

CERERI. FRVGIFERAE. *Mulier stans d. spicas, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem averfa est etiam in numis Severi circa idem tempus signatis.

C. IMP. CAES. PESC. NIGER. IVSTVS. AVG. *Caput laureatum.*

CONCORDIA. P. P. *Mulier stans d. elata, f. duplex cornucopiae.* AV. (Reg. Gall.)

Vnicus hic est numus aureus Pescennii, quem genuinum agnoscit eruditus de Boze, qui eum in museum regis Galliarum intulit, et in pretiosum istud cimelium erudite commentatus est, ^{d)} quo loco et aureos omnes hactenus cognitos, sed moderni omnes commatis commemorat. In catalogo musei d' Ennery aureus item proditur inscriptum MO-

a) in Catilin. II. c. 11.
B. L. Tom. XXIV. p. 105.

b) de Fort. Rom. p. m. 323.

c) Pag. 1075. 1.

d) Mem.

NETA. AVG., sed et hic ibidem dubiae fidei ignominia notatur. a) De literis P. P. juxta positus agatur infra ad titulum *Patris patriae*.

D. - IMP. CAES. C. PESC. NIGER. AVG. *Caput laureatum.*

FELICIT. TEMPOR. *Duplex cornucopiae intermedia spica.* AR. (Mus. Caes.)
Eadem averfa est etiam in numis Severi hujus anni.

E. IMP. CAES. PESC. NIGER. IVS. COS. II. *Caput laureatum.*

FELICITAS. TEMPORVM. *Canistrum, ex quo spicae promicant.* AR. (Vaill.)

F. IMP. CAES. C. PESCEN. NIGER. IVST. AV. *Caput laureatum.*

FORTVNAE. RE. *in aliis: REDVCI. Mulier sedens d. ramum, f. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) *In aliis: Mulier stans d. gubernaculum, f. cornucopiae.* AR. (Patin Num. impp.)

G. IMP. CAES. C. PESC. NIGER. IVST. AVG. *Caput laureatum. In aliis, ut lit. A.*

INVICTO. IMP. TROPAE. *Tropaeum, ad cuius imum duo clypei, et totidem tela.* AR. (Mus. Caes. Vaill. Liebe Goth. num.)
Morellius in simili legit: TROPAEA. b)

In alio, qui citatur in Catalogo d'Ennery, abest vocabulum TROPAE, nisi forte injuriis temporum aufugit.

Averfae epigraphe usque modo ignota, et tamen in synchronis Severi numis occurrit quoque; ex quo liquido

apparet, quod supra adverti, utrumque ut arma armis, sic et numos numis opposuisse. Quae fuerit ea victoria, ob quam Niger statuere *tropaeum*, et *invictum* se jactare posse crediderit, ignoramus. Certem agni monimenti non fuerit, quippe a scriptoribus nulla ejus facta mentio, atque omnis ea laus ad Severum verius pertinuit.

Antica incerta.

IOVI. PRAE. ORBIS. *Iuppiter sedens d. fulmen, f. hastam.* AR. (Vaill.)

Nova iterum averfae inscriptio, sed quam Severus quoque moetae suae inseruit. *Iuppiter praeses orbis* veteribus semper creditus, atque nunc etiam utriusque aemulo agnitus, cum alter alteri subesse detrectaret.

Antica incerta.

IVSTITIA. AVGVSTI. *Mulier stans d. bilancem, f. cornucopiae.* AR. (Vaill. Pembrock P. III. tab. 25.)

Averfa ex cognomine *Iusti* suapte fluxit, quod Pescennius sibi proprium esse voluit, et quo gloriatus constanter est. Sane justitiam ab eo magni fuisse habitam, testis est Spartianus, qui eum nihil alieni appetiisse, atque ad hos mores etiam militem suum adegisse refert. c)

Vt lit. F.

MARTI. AVGVSTO. *Mars gradiens d. hastam, f. tropaeum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

MARTI. INV. - - - *Idem typus.* AR. (Mus. com. a Vitvai.)

a) Pag. 212.

b) Specim. tab. IX.

c) in Pescen. c. 3.

Antica incerta.

MARTI. VICTORI. *Mars gradiens d. parazonium, f. tropaeum.* AR. (Vaill.)
 Similis averfa Severi etiam hujus anni numos invalit.

Vt lit. C.

MINERVA. VICTRIS. (*sic*) *Dea stans majorem clypeum, f. hastam.* AR. (Mus. Caef.)

Antica incerta.

MINERVAE. VICTRICI. *Dea stans d. Victoriolam, f. hastam cum clypeo.* AR. (Vaill.)

Vt lit. E.

MONETA. AVG. *Mulier stans d. bilancem, f. cornucopiae.* AR. (Mus. Caef.)

Antica incerta.

PIETATI. AVG. *Mulier stans ad aram sacrificat.* AR. (Vaill.)

Vt lit. A. et F.

ROMAE. AETERNAE. *Roma sedens d. Victoriolam, f. hastam, pro pedibus clypeus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. G.

SALVTI. AVG. *Mulier stans d. bilancem, f. cornucopiae.* AR. (Mus. Caef.)

Hic typus jungendus fuerat cum inscriptione; MONETA. AVG., sed erravit monetarius, sive per incuriam, sive quod homo Graecus vocabuli Latini SALVTI significationem non cepit.

Vt lit. G.

SALVTI. AVGVSTI. *Mulier stans serpente ex patera pascit, pro pedibus ara.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. D.

SPEL. FIRMAE. *Spes gradiens.* AR. (Gessner ex museo Pfau.)

Insolens rursus epigraphe, sed quae,

quod sciam, in Severi moneta nondum apparuit.

Antica incerta.

VICTORIA. *Victoria clypeo ex tropaeo appenso inscribens* AVG. AR. (Vaill.)

Vt lit. F.

VICTORIA. AVG. *in aliis: VICTORIAE. AVG. Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. E.

VICTOR. IVST. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caef.)

Duplicem haec inscriptio sensum facit, primum: VICTORIA IVSTI AVGVSTI, nimirum ex cognomine Iusti; nam et habemus numos Severi eodem modo inscriptos: VICTOR. SEVER. AVG. Alterum: VICTORIA IVSTA AVG., nam et exstant ipsius Severi numi cum eadem epigraphe, in quibus sane legi nequit IVSTI, cum Iusti cognomen Severus professus nunquam sit, sed IVSTA.

Numi commatis peregrini.

Vt rarissimi sunt numi Pescennii ejus ipsius auctoritate signati, et inscripti Latine, ita numi urbium cum ejus capite hos adhuc pretio superant. Ejus generis confictos turpis lucri causa passim circumferri videas, a quorum fraude ut cavemus, omnes eos, qui hactenus ab antiquariis, quorum aliqua constat auctoritas, editi sunt, hoc loco recensere lubet additis observationibus de eorum sive probitate, sive fallacia.

Qui usque nunc probae fidei comperti sunt, in antica, cum Graeci sunt, inscriptum habent ΔΙΚΑΙΟC, non ΙΟΥCΤΟC, ac jure istud. Nam eodem exemplo adscititia omnia imperatorum

nomina in numis Graecis Graeco reddita reperies. Sic *Optimus* in *Αριστος*, *Pius* in *Ευσενης*, *Felix* in *Ευρυχης* etc. mi-graverunt. Plerique Pescenii numi, quorum non paucos in museis, et catalogis-vides, inscribuntur ΙΟΤΤΟC. At notavit etiam jam pridem Vaillantius, eos sese omnes arte factos observasse.^{a)} In iis, quos mihi ejus generis adhuc videre licuit, hic Vaillantii, in hac causa idonei judicis, canon non fefellit. Nolim tamen plane adfirmare, non posse occurrere genuinos Pescenii numos cum scriptura ΙΟΤΤΟC, nam et saepe reperitur scriptum ΑΤΤΟΤΤΟC pro CEBACTOC, quin etiam ad formam Graecam adacta nomina plane Latina ACCAPION, ΒΩΤΑ, ΜΟΝΗΤΑ, ΑΜΒΡΟCΙΕ ΠΕΤΡΕ etc., eaque in numos recepta. Verum in similibus causis non quaeritur, quid praeter morem fieri poterit, sed quid revera factum sit. De seriore Vaillantii indulgentia vide, quae mox infra ad numum coloniae Caesareae Samaritidos monebo.

Ea syllabum numorum Pescennii, primum qui probi, dein qui suspecti saltem, ne temere eruditorum judicia damnare videar, habendi sunt,

Numi genuini:

ΑΤΤΟΚ. ΚΑΙCΑΡ. Γ. ΠΕCΚΕ.
ΝΙΡΡΩ. Δ. *Caput laureatum.*
ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Aquila expansis alis
clavae insistentes.* AR. max. mod. (Reg.
Gall.)

Insignis hic numus repertus Aleppi

incidit in manus Wilhelmi Falkner Angli, a quo eum Vaillantius, ut ipse testatur, b) pretio XXX. Ludovicorum aureorum abstulit. Is non modo nihil offert, quod vel viros delicatissimi fastidii posset offendere, sed etiam post clarissimorum virorum judicia, qui ceterum melius istud approbavere omnes, nullam amplius censuram metuit. In illud praeclare commentatus est cl. de Boze, c) verum in eo a viro erudito dissentio, quod eum Tyri signatum opinatur. Mallem Antiochiae, ut copiose disputavi in moneta hujus urbis cap. II. Solitarium Δ partis anticae *Δικαιον*, *Iustum*, notat. Alium fere similem editum reperio apud Arigonium in numis editis anno 1759.

ΑΤΤ. Κ. Γ. ΠΕCΚ. ΝΙΡΡΟC.

ΔΙΚ. *Caput laureatum.*

ΚΑΙCΑΡΕΙΑC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC. *Aesculapius.* In alio: *Serpens.* AE. III. (Vaill. Num. Graeci.)

Germanicia Caesarea Commagenes urbs. Ei regioni jam ante imperium praefuit Niger. Nam omnis regio ad Euphratem, in qua Commagene sita fuit, ei, quod praefectus Syriae erat, paruit. d) De suspectis Pescennii hujus urbis numis mox infra.

IMP. CAES. C. PESC. NIG. IVS.

AVG. *Caput laureatum.*

COL. AEL. CAP. COMMOD. *Astarte
sancti in templo tetrastyle.* AE. II. (Vaill. in nova edit. Coloniar. et in Numis Graec. p. 78.)

Numus est Aeliae Capitolinae, olim

a) Num. Graec. p. 78.

b) Num. praef. T. II. p. 207. edit. Rom.

c) B. L. Mem. T.

XXIV. p. 105. d) Herodian. in Pertin.

Hierusalem. Et vero Palaestinam Pescennio prae Severo favisse, his verbis testatur Spartianus: ^{a)} *Neapolitanis etiam Palaesinensibus jus civitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant, loquitur autem de Severo. Et idem infra: ^{b)} Palaestinis poenam remisit, quam ob causam Nigri meruerant.*

Numi suspecti:

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. Κ. ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΣ.
ΝΙΓΕΡΟΣ. ΣΕΒ. *In alio: ΝΙΓΕΡΩΣ. Caput laureatum.*

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Ceres stans d. spicas, f. facem, pro pedibus serpens.* A.E. max. mod. (Mus. Farnes. T. V. tab. 18. Havercamp ad Orosium p. 501.)

Nisi Pedrusii, et Havercampi auctoritas horum numorum fidem tueretur, operae pretium visum non esset, eorum vel meminisse. Adeo omnia extremam παραχαράκτῃ ignorantiam testantur. Σ pro C huic aevō plane adversatur, et scriptum ΝΙΓΕΡΟΣ, aut, quod magis absurdum, ΝΙΓΕΡΩΣ pro ΝΙΓΡΟΣ quis adprobet? Antiochiam Syriae numum suum largitur Pedrusius, verum an haec unquam neocoram se in copiosa sua moneta profitetur? an illa unquam maximi moduli, antequam colonia esset deducta, signavit? an unquam simili aversae typo usa, quae certos suos, ac constantes typos habuit? Haec omnia collecta numos hos, etsi cujuscunque alterius Augulli caput offerrent, suspectos redderent, in Pescennio suspicio tanto validius ingravescit. Praeferrem Antiochiam Cariae, sed neque haec neo-

coratum numis inscripsit. At enim Farnesiani numi fidem jam abunde ele-
vavit Spanhemius autopta. ^{c)}

ΑΥΤ. * Κ. Γ. ΠΕΣΚ. ΝΙΓΡΟΣ.
ΙΟΥΚΤΟΚ. ΣΕΒ. *Caput laureatum.*

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΚ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΚ. *Diana venatrix. (Patin.) Aesculapius stans. (Liebe p. 317.) In aliis alii typi.*

Ingens est copia spuriorum Pescennii numorum, qui Caesaream Germanicam patriam ementiuntur. His, ut supra monui, jam nomen ΙΟΥΚΤΟΚ fatale. Vt nam omnes, qui hos numos promulgant, eandem Liebei vel in examinando diligentiam, vel in profitendo candorem adferrent, qui Pescennii numum, quem ipse proposuit, sibi ipsi videri suspectum, adfirmare non dubitavit. ^{d)} Equidem ex tot hujus urbis numis cum capite Pescennii, quotquot viderim, nullum reperi genuinum.

ΑΥΤ. * Κ. Γ. ΠΕΣΚ. ΝΙΓΡΟΣ.
ΙΟΥΚΤΟΚ. *Caput laureatum.*

ΑΔΡΙΑ. - - - ΚΑΙΣΑΡΑΙΩΝ. ΜΗΤΡΟ.
Mulier capite tutulato sedens d. pateram, juxta quam stat Fortuna. A.E. II. (Patin. Numi impp.)

Alius similis, nisi quod inter utramque figuram scriptum praeterea
ΚΕΝΝΑΤΑΝ. A.E. max. mod.
(Patin Thef. p. 180.)

Quidquid sit de fide horum numorum, quam certe minus firmam vocabulum ΙΟΥΚΤΟΚ facit, istud certum contra Patinum, eos Caesareae Germaniciae esse non posse, quae neque *Hadrianam*

a) in Severo cap. 9.

b) Cap. 14.

c) Tom. II, p. 242.

d) l. c.

sefe, neque *metropolin* in numis scripsit. Secundum hoc ipsum exemplar sive probae; sive malignae notae tres habeo compertos numos moderna manu effictos, eosque adeo inter se similes, ut dubium non sit, ab eadem illos omnes matrice fuisse profectos. A Patiniano sola averfae inscriptione, eaque depravata differunt, quae sic habet: ANΔPINOΠ. KAICAPAIΩN. MHTPO. Horum unus aeneus exstat in museo Pembrock,^{a)} alter in museo ill. com. Vitzai, tertius notus quidem jam est ex praeconio Khellii, qui eum in suo ad Vaillantium Supplemento pag. 104 ex museo de France edidit, at graviter peccavit, cum quod inscriptionem averfae sic refert - - - ANΔPINΩN. KAICAPEΩN. MHTPO., cum tamen eam sic se habere, ut supra dixi, adfirmare possim, qui numum data opera saepe, ac diu sum contemplatus, tum quod is illum simpliciter argenteum maximae formae vocat, cum tamen sit duplicis metalli, cujus interior orbis ex argento puro est, ambiente hunc circulo aeneo. Qui vel mediocrem rei numismaticae veterum usum habet, videbit facile cum ex luxata epigraphæ, tum duplicis metalli lusu, Graecis, quod sciam, ignoto, ut fabricam praeteream a vetere ratione prorsus alienam, numum hunc una cum sociis in spuriorum numero habendum. Ex quo apparet, non semper esse animi arrogantis indicium, cum nonnunquam peritissimorum etiam virorum oraculo diffidimus; nam saepe non quidem scientiam, sed adcurationem, et circumspersionem in iis desideramus. Vocabulum KENNA-

TAN alteri numo additum, et quod legitur in numis sacerdotum Olbae Ciliciae, numum eundem magis adhuc suspectum facit.

ATTO. * ΠΕC. ΝΙΓΡΟC. ΙΟΥ-
CΤΟC. *Caput laureatum.*

CIΔΩΝΙΩΝ. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum. AE. II.*

Cimelium istud Romae anno proxime elapso ex gaza sua vulgavit vir eruditus Iosephus Cafalius canonicus Vaticanus. Vt non sollicitem vocabulum ΙΟΥCΤΟC, multa sunt alia, quae numum suspectum faciunt. Inde ab Hadriano numus Graecus saltem certae fidei Sidone signatus non exstat. Inde a Caligula in ejus urbis numis non amplius legitur ΣΙΔΩΝΙΩΝ, sed ΣΙΔΩΝΟC. Abest annus epochae, quem Sidonii Graecis suis numis fere constanter inscripsere. Ac demum neque typus, hactenus in moneta Sidonia incompertus, numo, de quo agimus, patrocinatur. Atque haec, etsi singula non magnopere adversarentur, tamen simul sumpta magno sunt ad probandum hunc numum impedimento. Forte secus judicarem, si eum ipse vidissem.

ΑΤΤ. * Κ. Γ. ΠΕCΚ. ΝΙΓΡΟC.
ΙΟΥCΤΟC. CΕΒ. *Caput laureatum.*

ΕΠΙ. CΤΡ. ΚΑ. CΤΡΑΤΟΝΕΙΚΟΤ.
CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Amazon stans d. Victoriolam, s. bipennem et peltam, pro pedibus navis. AE. II.*

Numum hunc ex museo Hunteriano vulgavit cl. Pinkertonus, aeri que inci-

a) Part. III, tab. 54.

sum exhibuit. *) Iterum vox ΙΟΥΚΤΟC molesta. Numum esse antiquum non dubito, sed vereor, ne Pescennius in locum Severi per artem recentem successerit. Sane, praetorem Cl. Stratonicum offerunt numi Severi et Domnae apud Smyrnam signati, tum et typum Amazonis similem. Vide Vaillantii numos Graecos.

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠΕΚΚ. ΝΙΓΡΟC.
ΙΟΥΚ. C.

COL. P. F. AVG. CAESAR. *Caput Sarapidis.*

Numum adiquando Vaillantius ex gazza Parmensi descripsit, sed quod bilirgus est, suspectum est ratus. *) Serius testatus est, eum a peritis genuinum credi. *) Tanto ergo proclivius numum hunc in adulterinorum numerum reponemus, cum Vaillantius non suis, sed alienis oculis iudicium ferat, et suspectus jam visus fuerit Pedrusio musei Parmensis custodi. Aversam numi partem esse probam, non negavero, sed antica displicet, nam colonia Caesarea Samaritidos, quorsum hic numus pertinet, nunquam inscriptione Graeca, sed Latina semper, multo minus utraque in eodem numo est usa. Quare dubium non est, recentem manum in capite, et literis partis anticae refingendis sese exercuisse.

Alexandrinus hujus Augusti binos in lucem dedit cl. abbas Sestinius, de quibus quae mea sit sententia, jam alias loco suo indicavi. *)

Nomina, ac tituli.

Ad nomina quae observem, pauca habeo. Cur IVSTI nomine gloriari voluerit, dixi supra ad numum IVSTIA. AVGVSTI. Pescennium PIVM facit numus Alexandrinus a Sestinio editus, sed vel ideo magis suspectus, ut dixi loco mox indicato.

Consul.

In numis Pescennii non paucis notatur consulatus II., sed unius tantum meminerunt historici, quos supra in ejus vita laudavi, alterum dissimulavere. Non repugnat ejus aetatis moribus, Pescennium proximis Kalendis Ianuariis post aditum imperium arrogato sibi jure consulem II. in Oriente processisse, quod a veteribus non est adnotatum.

Pater patriae.

Hunc titulum numus unicus jactat, isque aureus, quem vide supra in CONCORDIA. Amplius mirere, usurpatum a Nigro honorem, qui decerni semper a fenatu est solitus, quod tamen ab hoc tentatum propter metum primo Iuliani, deinde Severi, nullo pacto credibile. Vereor, ne haec ipsa peristasis famigerati hujus numi fidem, praecipue quod unicus in auro est, nonnihil minuat.

Tribunicia potestas.

Vsque nunc unicus hic est Augustus,

a) Essay on medals Vol. I. p. 301.
T. II, p. 207. edit. Rom.

b) in Numis coloniar. p. 224.
d) Vol. IV. p. 81.

e) Num. praef.

qui hujus potestatis mentione in moneta abstinuit, cujus ego aliam causam non reperio, quam quod ea a senatu solebat conferri, hic vero primum per Iuliani, deinde Severi metum conferre eam non potuit. Post quod exemplum neque Antiocheni auri sunt ejus numo, quem su-

pra descripti, inscribere ΔΗΜΑΡΧΙΚΗ. ΕΞΟΥΣΙΑC, *tribunicia potestate*, quod tamen inde a Trajano, et deinceps omnibus tetradrachmis inscribere, suffecta, quod nunquam alias factum, epigraphæ: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ.

•
PRETIUM.

Commatis Romani:

Aureus, de quo supra in CONCORDIA	- - - - -	Vnicus.
Argentei	- - - - -	RRR.
Aenei cujuscunque formae	- - - - -	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, et coloniarum	- - - - -	RRRR.
---------------------------------	-----------	-------

CLODIUS ALBINUS.

D. Clodius Septimius Albinus Hadrumetinus ex Africa familia nobili, a) quam derivatam ferunt a Postumiis, et Albinis Romanorum, b) natusque patre Cejonio Postumo, matre Aurelia Messalina. c) A M. Aurelio, cui propter fidem, et laudem bellicam carus fuit, ad dignitates, et consulatum suffectum promotus est. d) Commodus usque adeo gratosus fuit, ut eum datis literis, quas conservavit Capitolinus, ad capiendum Caesaris titulum invitaret, quem tamen is honorem, cum Commodi exitum praevideret animo, caute detrectavit e) Interfecto Pertinace cum Nigrum legiones Syriae, Severum Pannoniae ad impe-

rium contra Iulianum nudinatorem vocarent, Albinus a suis (Britanniae tum praerat) imperator est agnitus. At Severus bellum in Iulianum, et urbis capiendae consilium animo versans, ne quis sibi ab Albino metus esset, Caesarem eum per literas salutavit, quo benevolentiae testimonio et si fucato, et per metum extorto ita sibi hominem credulum devinxit, ut hactenus in obsequio et fide adversus Severum persisteret. f)

• V. C. 946. P. X. 193.
CAESAR. COS. DES. II.

Severus caeso Iuliano et Roma capta

a) Capitolin. c. 1. b) Ibid. c. 4. c) Ibid. d) Ibid. c. 10. e) Ibid. c. 2.
f) Dio L. LXXIII. § 15.
(Vol. VII.)

bellum in Pescennium meditans Albinum, suum jam aperte Caesarem ^{a)} per amicitiae speciem omnibus officiis ornat, consullem iterum designat, numos ejus imagine feriri jubet, eidem statuas erigit, quin et imperii successorem designat. ^{b)}

- A. D. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES.
 Caput nudum in AR. AE. I. II.
- B. D. CLODIVS. SEPTIMIUS. ALBINVS. CAES. *Caput nudum, in AE. max. mod.*
- C. D. CLODIVS. ALBINVS. CAES. *Caput nudum in AV. et AR.*
- D. D. CL. SEPT. ALBIN. CAES.
 Caput nudum in AV. et AR.

Vt lit. C.

PROVID. AVG. COS. *Mulier stans d. bacillum, s. hastam, pro pedibus globus. AV. AR. (Mus. Caes.)*

Numireliqui: CONCORDIA — FORTVNAE. REDVCI — ROMAE. AETERNAE etc. cum suis typis.

V. C. 947. P. X. 194. CAESAR. COS. II.

Albinus consul II. procedit conlega Severo Augusto. Severus Pescennium debellat.

Partes anticae ut ad annum praecedentem.

Vt lit. A.

COS. II. *Aesculapius stans. AR. AE. I. (Mus. Caes. Vaill.)*

Vt lit. A.

SAECVLO. FECVNDO. S. C. AE. I. II. (Vaill.) *In aliis: SAECVLO. FRVGI-FERO. COS. II. vel: SAEC. FRVGIF. COS. II. Vir seminudus capite radiato stans d. caduceum cum spicis, s. tridentem. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

Eadem averfa est etiam in Severi numis synchronis, quos vide.

Numi reliqui obvii sunt argumenti.

V. C. 948. P. X. 195. CAESAR. COS. II.

Nihil de Albino ad hunc annum proditur. Severus in Oriente Parthos, Adjabenos, Arabas persequitur.

Ad hunc etiam annum pertinent numi Albini adhuc Caesaris consulatum II. praeferentes.

V. C. 949. 950. P. X. 196. 197. AVGVSTVS. COS. II.

Pacato Oriente ne Caesaris quidem amplius honores Severus Albino tribuit. ^{c)} Postea detectis infidiis, quas sibi Severus struxerat, palam desciscit, et Augusti titulum capit. Ex Britannia in Galliam transgressus Lugduni sedem figit. Romae a senatu, etsi clam per Severi odium sibi favente, et militibus hostis judicatur. Primum victor de Severi ducibus, mox apud Tinurtium ingente strage adfcitur XI. Kal. Mart. V. C. 950. Ejus seminecis caput Severus a trunco revulsum Romam praemittit, et equum insultans super cadaver impellit. ^{d)}

a) Capitolin. in Albino c. 10. b) Herodian. in Severo p. 513. Capitolin. c. 3. 10. c) Dio L. LXXV. § 4. d) Herodian. Spartian. in Severo c. 11.

Ferri poterat jactura viri inter vitia, et virtutes variis, et si a senatu tantum amatus est, quantum nemo principum, ut ait Capitolinus, a) in causa fuit generis nobilitas, et quod Albinum mitiorem Severo speravit, qui in patres promiscua caede saevit.

Vxor incerti nominis, ex qua liberos tulit, sed eam cum his Severus post victoriam interfici, et cadavera in Rhodanum abjici iussit. b) Infantulum *Pescennium Prineum* memorat Capitolinus. c) Vxorem dictam fuisse *Pescenniam Plautillam* putat Trifanus, sed conjectura tam levi, quam nullius fidei est numus, quem hoc nomine inscriptum protulit. Vxorem Pescenii, nomine adfina *Pescenniam Plautianam*, sed et hanc antiquitati ignotam, in Pescennio vidimus, quem locum cumprimis adi.

Numi :

Animadvertendum, hactenus praeter aureos, et argenteos promiscue aeneos quoque ex S. C. percussos comparuisse; at diximus etiam supra ad annum 946, Severi iussu monetam cum Albinum imagine Romae fuisse signatam testante istud definite Herodiano. d) At posteaquam Augustum se Albinus dixit, isque a Severo hostis iudicatus est, jure comma Romanum exspirare coepit. Quare nulli habentur Albinum numi ex aere addito S. C., et titulo Augusti, omnesque, qui exstant, argentei sunt, in quibus, ut constat, metalli monetam imperatori-

bus jus fuit. Ergo hi omnes in Gallia, aut Britannia malleum passi sunt, neque sane per fabricam barbaros natales inficiantur. An hos inter existant etiam numi aurei, mihi ignotum; nam horum, nullum adhuc vidi ipse, aut alicubi memoratum legi.

- * A. IMP. CAES. D. CLO. SEP. ALB. AVG. *Caput laureatum in AR.*
- * B. IMP. CAE. D. CLO. SEP. ALB. AVG. *Caput laureatum in AR.*
- * C. IMP. D. CLOD. SEPT. ALBIN. AVG. *Caput nudum in AR.*
- * D. IMP. CAES. D. CL. ALBIN. AVG. *Caput laureatum in AR.*

Vt lit. B.

CLEMENTIA. AVG. COS. II. *Mulier stans d. pateram, f. hastam. AR. (Mus. Caes.)*

Opponit Albinus clementiam suam asperitati Severi, qua is in patres sibi suspectos, eosque, qui Nigrum secuti sunt, gravissime animadvertit.

Vt lit. A.

GEN. LVG. COS. II. *Genius nudus capite turrato stans d. hastam, f. cornucopiae, pro pedibus aquila. AR. (Mus. Caes.)*

Albinum, cum ex Britannia transmissit, confedis Lugduni, in cujus deinde vicinia victus, interfectusque est, diserte tradit Herodianus. e) In hac igitur urbe numus praefens, GENIUM LVGDUNI exhibens signatus est, qua in urbe plerosque alios Albinum jam Augusti

a) in Albino c. 12.
e) in Severo.

b) Spartian. in Sev. c. 11.

c) in Albino c. 7.

d) in Severo

numos fuisse cufos verifimile est. Officina Lugdunensis jam memoratur in numis Antonii III viri, multo autem frequentius in numis inferioris aevi. Aquila pedibus adfuita forte indicat, Lugdunum in summa Iovis tutela fuisse, ut, revera Albinus primas suas victorias Iovi acceptas tulit teste numo argenteo apud Vaillantium cum epigraphe: IOVI VICTORI.

Vt lit. D.

MAR. VLT. COS. II. *Mars stans d. hastam, f. galeam.* AR. (Mus. Com. a Vit-zai.)

IMP. CAES. CL. SEPT. ALBIN. AVG. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *intra lauream.* AR. (Vaill. Num. praest. T. II. edit. Rom. p. 208. in iconismo.)

Cum Albinus, ex quo Augusti honorem reluctantem Severo arripuit, hostis fuerit iudicatus, numus hic in urbe ferri non potuit, neque amplius a senatu, licet illi impense dedito praestari honor, quem numisma profitetur. Ergo si verae illud est fidei, dissimulantibus historicis omnibus manifeste docet, Albinum in Gallia sibi conflasse senatum, a quo *Patris Patriae* appellationem, et servatorum civium decus, lauream nempe abstulerit. Eadem ratione olim et Pompejus M. in Graecia, Scipio in Africa suum habuere senatum, etsi Caesar urbem senatus sedem in sua potestate haberet, idemque serius fecisset Postumum, in huius moneta videbimus. De numo alio cum simili averfa agetur infra in numis Albinus insolentioribus.

Reliqui Albinus Augusti numi inscriptiones, et typos obvios continent.

Numus vagus.

Antica incerta.

FORTITVDO. AVG. INVICTA. *Hercules stans tectus leonis exuviis d. clavae innixus, f. poma Hesperidum.* AR. (Vaill.)

Numum hunc describere placuit propter epigraphen insuetam. Eum vagum una Vaillantii incuria constituit, qui anticam describere neglexit, incerto adeo, siue Albinus Caesaris, an Augusti.

Numi Albinus insolentiores.

D. CL. SEPT. ALBIN. CAES. *Caput nudum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes. Mediobarb.)

D. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES. *Caput nudum.*

P. M. TR. P. COS. II. *Roma sedens.* AR. (Mus. Farnes.)

D. CLODIVS. ALBINVS. CAES.

P. M. TR. P. II. COS. II. *Figura stans d. ramum, f. hastam cum clypeo.* AR. (Mediobarb.)

Alius similis, sed A. II. et addito S. C. (Mediobarb.)

Insolentes hos numos dixi, quoniam antica Albinum simpliciter Caesarem profitetur, et averfa non modo titulos Augustis tribui solitos, sed etiam hos ejus generis, quales in numis Albinus Augusti, quos supra descripsi, non reperias, ut *Patris Patriae*, Pontificis Maximi, et tribuniciae potestatis. Cum constet, numos Albinus adhuc Caesaris esse signatos Romae, verifimile videri

posset permutatas matrices, et cum capite Albini conjunctas averfas ad Severum pertinentes, verum in omni Severi moneta mihi cognita similes averfae non reperiuntur, mirumque foret, eas in Severi numis deperditas omnes, et conservatas tantum in numis Albini, ad quem eae non pertinent. Quid igitur? an spurios dicere expediet? Is, quem ex museo Caesareo descripsi, fraudis suspicione immunis videtur, atque similem citat etiam Mediobarbus. Vnum addit museum Farnesianum. Res digna, in quam inquirant ii, quibus locupletia musea praesto sunt. Certe qui illos, ut describuntur, explicet, et cum historia conciliet, aut nullus erit, aut magnus Apollo. Nam etsi demus, eos signatos in Gallia, et Albinum in hos titulos propria auctoritate involasse, tamen is, qui se pontificem maximum, et patrem patriae dixit, certe etiam in antica Augustum sese appellasset.

IMP. CAES. D. CLO. ALBIN.
AVG. *Caput laureatum.*

VICT. - - COS. I. *Victoria armis insidens d. palmae ramum, f. clypeum super genu.* AR. (Mus. Caes.)

Hic numus est integerrimus demptis aliquot literis re VICT. consequentibus. Male cohaeret utraque numi pars. Etenim antica est Augusti, averfa propter consulatum primum Caesaris. Credi posset, binas matrices monetarii incuria male fuisse compositas, verum hanc averfam in nullo Albini adhuc Caesaris numo reperi. Scriptum COS. I. legitur etiam in nonnullis Severi numis.

Numi commatis peregrini.

Urbium liberarum numos Side Pamphyliae, et Smyrnae signatos conservavit Vaillantius; sed cum capite Albini Caesaris, non Augusti; nam cum is primum hunc titulum recepit, ab omnibus provinciis, dempta Britannia, Gallia, et Germania hostis volente aemulo Severo judicatus est.

Coloniarum numi adhuc reperti non sunt, at non propterea, quoniam, ut censet Vaillantius, praefedit iis provinciis, in quibus coloniae numos cudere non erant solitae, nam habemus numos Sides et Smyrnae, et si Albino nunquam parvire. Signare igitur ejus imagine numos potuerunt licet Severo obnoxiae, non tanquam principi suo, sed tanquam illi, quem fuisse Severi Caesarem discrete ex Herodiano testatur Capitolinus, a) nimirum qua ratione Aelius fuit Caesar Hadriani, Aurelius Verus Antonini Pii etc., quorum omnium, et nomine quicquidem Caesaris, habemus numos in coloniis quoque signatos.

Antiocheni, et Alexandrini item desiderantur.

Nomina, ac tituli.

Septimius.

Nomen *Septimii* in Albini moneta reliquis additum constanter legitur. Cum nomen istud proprium fuerit Severo, colligit Tillemontius, b) Albinum a Severo non modo dictum fuisse Caesarem, sed etiam adoptatum. Ingeniose istud.

a) in Albino c. 1.

b) in Severo pag. 30.

At enim id ipsum nomen legitur adhuc in numis Albini Augusti, neque verisimile, Albinum eo tempore, quo hostem se Severi professus est, usum fuisse nomine, quod per adoptionem accessisset. Certius igitur istud nomen fuerit unius ex majoribus, quod sibi more ejus aetatis adsciverit.

Pontifex maximus, Pater patriae.

Quae ad titulos hos pertinent, quos Albino numi aliquot valde dubii tribuunt, vide, quae paullo supra animadvertimus.

PRETIUM.

Commatibus Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei max. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.

Commatibus peregrini:

Vrbium liberarum.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Alexandrini, et Antiocheni	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

L. SEPTIMIUS SEVERVS.

Natus in Africa apud Leptin agri Tripolitani patre Geta, matre Fulvia Pia die XI. Aprilis V. C. 899. ^{a)} Latinas Graecasque literas puer assidue coluit, iisque fuit eruditissimus. Romam profectus coepit adire rempublicam, fuitque jam anno aetatis XXXII. praetor designatus magnopere ejus consilia adjuvante Septimio Severo ad sine suis consulari. ^{b)} Inter ejus majores haud dubie etiam numerandus Septimius Severus, ad quem Statius elegans carmen scripsit, et quem is ibi ex eadem Lepti

oriundum refert, ^{c)} conspirantibus adeo nominibus, et patria. Praepositus deinde legioni IV. Scythicae circa Mafsiliam, postea Lugdunensem Galliam magna severitatis et abstinentiae commendatione rexit. Pannonias quoque, et Siciam proconsule administravit. V. C. 938 consul suffectus fuit inter eos quinque et viginti, quos hoc anno ad consulatum promovit Commodus. ^{d)} Postea praefectus exercitui Pannonico et Illyrico, caeso Commodus, et Pertinace ad imperium evecto, in hujus fide constans

a) Dio L. LXXVI. § 17.

b) Spartian.

c) Silvan. L. IV. carm. V.

d) Spartian. c. 4.

perstitit. Hoc interfecto, et Iuliano successore per provincias exoso repugnans a suis imperator acclamatur apud Carnuntum. ^{a)} Instituto igitur celeriter Romam itinere, (nam praevertendum erat Pescennio, quem interea Oriens Augustum dixit) neglectis Iuliani, ac senatus minis, a quibus iudicatus hostis est, caesi Pertinacis se ubique vindicem ferens, cum in conspectum urbis venit, adeo praefens patres perterrituit, ut mox abdicato Iuliano, et dilapsis per metum praetorianis ad necem adacto Kalendis Iun., aut die proximo V. C. 946 omnes eum in urbe ordines imperatorem agnoscerent. Pagius idus Apriles natalem imperii Severi constituit. ^{b)}

V. C. 946. P. X. 193.

TR. POT. COS. DES. II. IMP. I.

Q. Sosio Falcone, C. Iulio Erucio cof.

Auctores caedis Pertinacis morte multat, accitos ex urbe praetorianos occisi Pertinacis, et venditi Iuliano imperii reos armis spoliat, et in exilium eicit. Magnifico comitatu, inter faustas acclamationes urbem ingreditur. Clodium Albinum Britanniae praefectum Caesarem appellat. Provisis rebus omnibus intra trigesimum diem, quam Romam venerat, in Orientem ad persequendum bello Nigrum proficiscitur. ^{c)}

A. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT.
AVG. *Caput laureatum in AV.*

AR. radiatum in AE. II.

B. IMP. CAES. L. SEPT. SEV.

PERT. AVG. IMP. I. *Caput laureatum in AE. I.*

C. L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. I. *Caput laureatum in AR.*

D. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT.
AVG. COS. I. *Caput laureatum in AV. et AR.*

• Animadvertendum ad numos, qui primis Severi annis flati sunt, complures ex his esse fabricae rudioris, et epigraphen saepe luxatam offerre, sic ut pro PERT. non raro PERCT. PRTE., aut aliter legatur. Quocirca dubitari nequit, eos alicubi extra urbem esse percussos. Eiusdem modi sunt etiam synchroni numi Caracallae, et item Domnae, sed quos constat etiam, primis Severi annis malleo fuisse subjectos, ut dicetur.

• Vt lit. A. * *

AEQVITAS. II. *Mulier stans d. bilancem, f. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes. et com. de Vitzai.)

Singularem hunc numum olim edidi. ^{d)} Offert is Aequitatem perinde, ac liberalitatem per numeros digestam, quod neque Mediobarbo, neque Vaillantio fuit observatum. Verum quis sit duplicatae hujus Aequitatis sensus, non adsequor. Etiam alter cum eadem averfa, sed Domnae, exstat in museo Caesareo, uterque integerrimus, sed fabricae rudioris, qualis dixeram esse numos primis Severi annis signatos.

• Vt lit. A. vel B. *

FIDEI. LEG. TR. P. COS *Mulier stans*

^{a)} Spart. c. 5. ^{b)} Critic. T. I, p. 184. 189.

^{d)} Sylloge I, p. 103.

^{e)} Dio L. LXXIV. § 1, Herodian. Spartian.

d. *Victoriolam, f. vexillum.* AR. AE. I. II. (Mus. Caef.)

Fidem legionum deprædicat his in numis Severus, quæ sibi primum adversus Iulianum, deinde Nigrum præfuit fuere. Neque hanc generatim memorare satis habuit, sed speciatim ipsa earum nomina numis inscripsit, quas mox infra ordine recensimus additis sub finem nonnullis observationibus.

Vt lit. D.

IOVI. PRAE. ORBIS. *Imperator sedens d. Victoriolam, f. hastam, pro pedibus aquila.* AR. (Mus. Caef.)

Eandem aversæ epigraphen vide etiam in Pescennio.

Vt lit. A.

LEG. I. ADIVT. TR. P. COS. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. I. ITAL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Catal. d' Ennery.)

Vt lit. A.

LEG. I. MIN. TR. P. COS. *Idem typus.* AV. AR. (Vaill.)

Vt lit. A.

LEG. II. ADIVT. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. III. ITAL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. III. FL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. V. MAC. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. VII. CL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. VIII. AVG. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. XI. CL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LEG. XIII. GEM. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caef.)

Vt lit. A. et B.

LEG. XIII. GEM. M. V. TR. P. COS. *Idem typus.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caef.)
In alio: LEG. XIII. GEMINA. M. V. AR. (Khell Subplem.)

Vt lit. A.

LEG. XXII. (*addito in aliquibus PRI.*) TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Vaill. Mus. Caef. Catal. d' Ennery.)

Vt lit. A.

LEG. XXX. VLP. V. *Idem typus.* AR. (Vaill.)

Legiones multo frequentius in marmoribus, quam numis solent memorari, atque cum eas, quas laudati numi produnt, tum reliquas omnes additis cognominibus ordine digestas reperies in indice locuplete Gruteri pag. XXIX. seq. Eas etiam descripsit Dio, prout se ætate sua habuere, adjectis appellationum causis, et stationibus, quas tum tenuere. a) Verisimile est, numis eas a Severo fuisse insertas, ut hoc observantiae argumento tanto sibi firmiter earum fidem obstringeret, quam difficili illo tempore,

a) L. LV. § 23.

quo in Pescennium aemulum arma movit, necessariam cumprimis habuit. Videmus ex hoc catalogo legiones eas, quae ipsi adhaesere, et quas in bellum eduxit, earum vero appellationes, quae truncatae in his numis exhibentur, sic explendae: ADIVTrix, MINervia, FLavia, MACedonica, CLaudia, GEMina Martia Victrix, PRIMigenia, VLPia Victrix. Sed omnes hos numos revocabo in tractatu singulari de numis legionum, quem dabo in VIII. volumine hujus operis.

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. COS. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIBERAL. AVG. TR. P. COS. S. C. *Liberalitas stans.* AE. I. In alio: *Imperator in suggestu distribuens congiarium.* AE. I. (Mus. Caes.)

De Severi liberalitate, cum imperium adivit, loquens Spartianus narrat, eum quingena sestertia, quod nemo unquam principum, dedisse militibus, qui eum in Pannonia Augustum dixerunt, *) congiarium vero distribuisse populo, antequam in Pescennium exiret, tradit Herodianus, quod idem in his numis, qui sunt hujus anni, notatur.

Vt lit. A.

NOBIL. AVG. TR. P. COS. *Mulier stans d. Victoriolam, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

In rarissimo hoc numo nobilitatem generis, quam nullam habuit, jactat,

quod connecte cum iis, quae infra ad annum V. C. 948 de ficta ejus adoptione dicentur.

Vt lit. B.

SAECVLO. FRVGIFERO. TR. P. COS. *Vir capite radiato seminudus stans d. caduceum cum spicis, f. tridentem.* AR. (Mus. Caes.) addito S. C. AE. I. (Læbe Goth. num. p. 285.)

Eandem averfam Severus etiam Albino Caesari suo indulgit. Enimvero rei frumentariae tantum providit, quantum nemo adhuc imperatorum. Cum primum Romam venit, in Africam legiones misit, ne per Libyam et Aegyptum Niger Africam occuparet, et Romanos annonae penuria urgeret. b) Eamque is curam per reliquos annos omnes sic intendit, ut moriens septem annorum canonem relinqueret, ita ut quotidiana LXXV. millia modiorum expendi possent, olei vero tantum, ut per quinquennium non solum urbis usibus, sed et totius Italiae sufficeret. c) Typus hujus numi est compositus; nam radii indicant solem, cujus beneficio maturescunt fruges, caduceus et spicae Mercurium com meatuum praesidem, tridens Neptunum, per cujus undas traducebatur classis frumentaria.

Vt lit. A.

VICT. AVG. TR. P. COS. *Victoria gradiens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Patet ex his numis, Severum jam hoc anno victoria potitum, an de Pescennio, an alicubi de barbaris per legatos, incertum.

a) Cap. 5. b) Spart. c. 3. c) Spart. c. 23.
(Vol. VII.)

Vt lit. D.

VICTOR. SEVER. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

VICTOR. IVST. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Utriusque hujus numi supra in Nigri moneta memini ad numum inscriptum: VICTOR. IVST. AVG., nimirum ut in hujus numis frequenter advertimus, Severus, cum adversus eum bellaret, non minus numos sumis, quam arma armis opposuit. Sed horum plerosque in moneta anni sequentis intuebimur.

Reliqui hujus anni numi obvios habent typos.

V. C. 947. P. X. 194.

TR. P. II. COS. II. IMP. I.

Severo Aug. II. D. Clod. Albino Caes. II. cos.

Pescennius hostis judicatur. Byzantii, quod ab hoc fletit, celebrem obsidionem Severus orditur. Aemilianus Pescennii dux ad Cyzicum acri praelio superatur, et occiditur, rursus altero Pescennius ipse prope Nicaeam victus, atque iterum ad sinum Isthmum, in fuga capitur. Caesi caput Severus Byzantium mittit oppidanis ostentui futurum. ^{a)}

A. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

Vt lit. B.

FIDEL. LEG. COS. II. *Mulier stans d. Victoriolam, s. vexillum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. (Mus. Caes.)

Hic numus, quoniam praeter consuetudinem II. aliam notam non offert, proximum etiam septennium non abnuit. Epigraphe averfae quam verax in Traiano, a quo ea capta est, tam in Severo mendax, cujus atroces ac crudeliter mores saltem primis imperii annis cogniti.

Vt lit. A.

BONA. SPES. — BONAE. SPEI.

BONI. EVENTVS.

CERERI. FRVG.

FELICIT. TEMPOR.

FORTVN. REDVC.

INVICTO. IMP. TROPAE.

IOVI. PRAE. ORBIS.

MART. VICTOR.

MINER. VICT. vel: MINER. VICTOR. id est: *Minervae Victoriae*, quae Graecis dicta est, *Αθηνη Νικη*, de qua egimus in moneta Athenarum.

MONET. AVG.

PIETAT. AVG.

VICTOR. AVG.

Typi in omnibus his iidem, qui in numis Pescenni similiter inscriptis. Sunt omnes AR.

Horum numerorum explicationem vide in moneta Pescennii, quo loco de hac utriusque imperatoris numerorum concor-

^{a)} Dio, Herodian, Spartian. in Pesc. et Sever.

dia, quae sane non casui, sed consilio tribuenda, pluribus egi.

Eodem anno:

TR. P. II. COS. II. IMP. II.

Incipit P. P.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.

IMP. II. *Caput laureatum.*

DIS. AVSPICIB. TR. P. II. COS. II. P. P. S. C. *Hercules nudus stans d. clavam, f. exuvias leonis, ex adverso Bacchus d. cantharum, f. thyrsum, pro pedibus tigris.* AE. II. (Mus. Caes.) *Idem argumentum in numis annorum sequentium.* AE. I. II item max: mod. (Museum Albani.)

Frequens aversa in numis anni hujus, et deinceps. Eximie hi comprobant, quod narrat Dio,^{a)} Severum Baccho et Herculi templum maximum exaedificasse, ac docent praeterea, hos ab illo deos auspices fuisse appellatos. Idem in numis Caracallae vocantur DI. PATRII., quos vide in hujus moneta ad annum V. C. 957.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

TR. P. II. COS. II. IMP. III.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.

IMP. III. *Caput laureatum.*

AFRICA. S. C. *Mulier elephantis exuviis*

tecta spicas in tunica praefert, pro pedibus leo. AE. I. (Mus. Caes.)

Rationem typi suppeditabit Spartianus, cum refert,^{b)} Severum, cum primum Romam venit, milites in Africam misisse, ne, si forte eam Niger invaderet, Romae annona deficeret. Africam etiam, patriam nempe suam, multis eum ornasse beneficiis, dubium non est. De Carthagine certe constat, ut infra in numis V. C. 956 docebinus. Quapropter nequaquam mirum, eum ab Afris dei instar cultum fuisse, ut patrat Spartianus.^{c)}

Eadem adversa.

LIBERO. PATRI. *Bacchus nudus stans d. cantharum, f. hastam, pro pedibus pantheriscus.* AR. (Mus. Caes.)

De Severi in Bacchum adfectu paullo supra egi ad numum DIS. AVSPICIB.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Vir seminudus stans d. Victoriolam, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VICT. AVG. TR. P. II. COS. II. P. P. *Victoria gradiens.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

TR. P. II. COS. II. IMP. IV.

A. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. IIII. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

B. L. SEPTIMIUS SEVERUS. PERT.

a) L. LXXVI, § 16.

b) Cap. 8.

c) Cap. 13.

TINAX. AVG. IMP. III. *in AE. max. mod.*

Vt lit. A.

• APOLLINI. AVGVSTO. *Apollo stolatus stans d. pateram, f. tyram.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Eandem aversam jam vidimus in numis Antonini.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 948. P. X. 195.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. R. IMP. IV.

Scapula Tertullo, Tineio Clemente cos.

Osrhoeni et Adjabeni imperata facere detrectant. Quare Severus transmissio Euphrate Mesopotamiam invadit. *) Praeter Adjabenos Arabas quoque Mesopotamiae armis impetit, et Parthos. (verba sunt Spartiani) in ditionem redigit. Re bene gesta a senatu *Arabicus, Adjabenicus, Parthicus* dicitur. b)

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. III. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Typis variis in omni metallo, et forma.*

Eodem anno:

TR. P. III. COS. II. IMP. V. *et dicitur Parthicus, Arabicus, Adjabenicus.*

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. V. *Caput laureatum.*

ARAB. ADIAB. COS. II. P. P. *Victo-*

ria gradiens d. lauream, f. tropaeum. In aliis: *Duo captivi sedentes.* In aliis: *Tropaeum.* AR. (Mus. Caes.)

En titulos *Arabici* et *Adjabeni*, quos Severo delatos fuisse diximus, nunc etiam numis illatos. Tamen quod norim, in numis tantum praesentis tribunatus III. leguntur, sed illos marmora diutius, ac frequentius crepant, et in marmore Muratorii jam junguntur cum IMP. III. c) De his adhuc gentibus Spartianus: d) *Arabas in ditionem accepit, Adjabenos in tributarios coegit.*

Eadem adversa.

PART. ARAB. PART. ADIAB. COS. II. P. P. *Duo captivi sedentes, in aliis insuper tropaeum.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

(Eodem tempore accessisse quoque *Parthici* cognomentum, laudati supra auctores docuere. Verum istud singulare, quod titulus hic his in numis, ut et in epigrammate arcus Severi e) repetatur, et seorsim tam ad Arabas, quam Adjabenos adjiciatur, cujus causam non reperit Tillemontius. f) Verisimile est, hoc tempore bellum apertum Parthis cum Severo non fuisse, eos tamen copias auxiliares tam Arabibus, quam Adjabenis misisse, atque una cum his variis praeliis victos. Sane constat, tum adhuc Severum a sollicitandis gravius Parthis abstinuisse, ne se longiori bello implicaret, qui haud dubie jam tum evertendi Albinj consilia volvit. Et vero recusasse eum *Parthicum* nomen sibi oblatum, ne Parthos lacefferet, diserte

a) Dio L. LXXV. § 1. 2.
d) Cap. 18.

e) Grut. 265. 1.

b) Spartian. Herodian. Victor Schotti,
f) in Sever. p. 60.

c) Pag. 243. 7.

adferit Spartianus, ^{a)} quod tamen aliquot abhinc annis, sed ex altero bello, aperte adoptavit.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput laureatum.*

TR. P. III. IMP. V. COS. II. (sic) *Barbarus captivus humi sedens inter arma patriae.* In aliis: *Tropaeum.* AR. (Mus. Caes.)

Numi praesentes mirae sunt indolis. Vtrinque inscribitur consulatus, et quidem in antica, ut ordo postulat, COS. II., at in averfa COS. II., quod quid sit, divinare nequeo. Error monetariorum nequaquam suspicandus, nam plura eorum exemplaria, et cum diversis typis existant in museo Caesareo, ipsa vero fabrica non inelegans, ne quis ab rudi extra urbem artifice scalptos arbitretur. Non indignum istud aenigma, quod expedire ingenium feliciter conetur.

Eodem anno:

TR. P. III. COS. II. IMP. VI. VII.

L. SEP. SEV. PERT. AVG. IMP. VI. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VII. *Caput laureatum.*

ARAB. ADIABENIC. In aliis: ARAB. ADIAB. COS. II. P. P. *Victoria gradientis.* AR. (Mus. Caes.)

Vidimus similes numos mox supra, sed cum diverso imperatoris numero.

Eadem adversa.

DIVI. M. PH. F. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Imperator paludatus stans d. Victoriolam, s. hastam coronatur a figura galeata paludata s. clavam tenente.* In aliis alii typi. AE. I. II. (Mus. Caes.)

En praeposteram adoptionem, cujus omnes scriptores fere veteres meminere, numis quoque confirmatam. Nam adoptandum se hoc anno M. Aurelio dedit ante quindecim annis e vivis sublatum. De hoc Dio coaevus, ^{b)} *maximum autem nobis*, (senatoribus) *terrorem incussit, cum Marci se filium, et Commodi fratrem diceret.* Et Spartianus transire ipsum in Marci familiam voluisse adferit. ^{c)} Victor Commodum a Severo inter divos relatum, et fratrem appellatum memorat. Hoc igitur ineptae adoptionis iure genus suum inde a Ner-va perpetua serie deduxit, quod copiosissima marmora, quae magis sunt praenimis loquacia, testantur, quorum unum exempli causa descripsisse ex Grutero sufficiat: ^{d)}

IMP. CAESAR. DIVI. MARCI. ANTONINI. PII. GERM. SARMATICI. FILIVS. DIVI. COMMODI. FRATER. DIVI. ANTONINI. PII. NEPOS. DIVI. HADRIANI. PRONEP. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. ABN. DIVI. NERVAE. ADNEP. L. SEPTIMIUS SEVERVS. etc.

et continuo sequuntur tituli Caracallae repetita eorundem majorum mentione.

a) Cap. 9.

b) L. LXXV. § 7.

c) Cap. 10.

d) Pag. 150. 5.

Atque istud Severi institutum jam ipsis veteribus, ut oportuit, ridiculum visum; et refert Dio falsissimum Aspacis cujusdam hominis mordacissimi dictum, cujus multa tum false ac urbane prolata cognita fuere, qui cum Severum Marci familiae adscriptum audiret, sic eum compellavit: *gratulor tibi, Caesar, quod patrem reperisti*, scilicet tanquam patrem ante non habuisset tam obscuro et occulto genere natus. ^{a)} At enim consilium istud nequaquam in Severo stuporis, aut insaniae argumentum fuit, quae ab illo longe abfuere, sed qua incoctus fuit, calliditatis, et astutiae. Etenim tam illustrem prosapiam ementitus multo se magis gratiosum apud militem, rudemque populum effecit, atque hinc jus sibi natum, quo nomen *Antonini* transferre in filium Bassianum, eumque Antoniniani nominis obtentu, quod tum divinum videbatur, venerabilem omnibus posset constituere. At falsum adstruxit Severus. Esto, at nulum illi nefas, modo proposito serviret. At constabat de fraude, et mendacio. Confititur sane peritis rerum, sed imbellibus, et occupavit superstitio animos militis barbari, et vulgi, quos si tibi devinctos habeas, nobilium, peritorumque fastidia facile contempseris. Similem causam praetexuit Alexander M., cum se Ammonis filium dici voluit. *Vtinam*, ajebat, ^{b)} *Indi quoque deum esse me credant! Fama enim bella constant, et saepe etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.* Eodem is se modo excusat apud Lucianum. ^{c)} Vetulius ex-

emplum appetiti generis nobilioris dedit Nero, qui, cum esset gentis per adoptionem Claudiae, maluit esse surculus gentis Caesareae, de quo olim copiosius agemus Vol. VIII. in Observatis generalibus.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 949. P. X. 196.

TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P. IMP. VII.

C. Domitio Dextero II. L. Val. Messala Prisca. cos.

Byzantium post difficillimam triennii obsidionem ad deditionem cogitur. Severus urbem moenibus ac ornamentis privatam Perinthiis subjicit. ^{d)} Albi vita incassum per insidias attentata Mesopotamiam relinquit aperto aemulum bello aggressurus. Viminacii Bassianum filium *Caesarem* appellat indito *Antonini* nomine. Romae Albinum hostem S. C. judicat, in Galliam denique ad bellum exit. ^{e)}

L. SEPTIMIUS SEVERUS.
PERTINAX. AVG. IMP. VII.
Caput laureatum.

DIVI. M. PII. F. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Mars seminudus galeatus stans d. hastam, s. clypeum, pro pedibus thorax; in alijs alii typi.* AE. max mod. (Mus. Caes. Reg. Galliar. tab. 18. Vaill. Tom. III. p. 63. Mus. Albani.)

Epigraphen averfae mox explicavimus.

^{a)} L. LXXVI. 9. ^{b)} Curt. L. VIII. c. 8.
^{c)} Dio, Herodian, Spartian.

^{e)} Dialog. moest. 14.

^{d)} Dio. Herodian.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. VII. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis
typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

TR. P. IV. COS. II. IMP. VIII.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. VIII. *Caput laureatum.*

ADVENTVI. AVG. FELICISSIMO. *Im-
perator eques dextera elata ducente figura
militari, et f. vexillum tenente.* AV. AR.
AE. I. II. (Mus. Caes.)

Numi hi non modo comprobant, Se-
verum hoc anno in urbem reversum, sed
etiam eo tempore, quo advenit, jam
fuisse imperatorem VIII. Et conspirat
marmor editum a Marinio autopta, in
quo Severus dicitur TR. POT. III.
IMP. VIII. COS. II. (Frat. arv. p. 411.)

Eadem adversa.

PROFECTIO. AVG. *Imperator eques d.
hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Notatur in perraro hoc numo Severi
in Albinum exeuntis profectio.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis
typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 950. P. X. 197.

TR. P. V. COS. II. P. M. P. P. IMP.
VIII.

App. Claudio Laterano, Rufino cof.

Albinum die XIX. Februarii cruento

praelio prope Lugdunum superat. (Vi-
de Albinum.) Ejus caesi caput Romam
praemittit, atque ipse mox reversus fe-
natorum multos, quos favisse clam Al-
bino suspicatus est, interficit. ^{a)} Dato
populo congiario in Orientem ad bel-
lum Parthicum abit, magis gloriae cu-
piditate, quam necessitate motum. ^{b)}

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. VIII. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas
stans.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT.
AVG. COS. II. *Caput laureatum.*

LIBERAL. AVG. *Liberalitas stans.* AR.
(Mus. Caes.)

IMP. CAES. L. SEPT. SEV.
PERT. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERAL. AVG. TR. P. COS. II. S. C.
*Imperator sedens in suggestu, adstat Libera-
tas, et alia figura, tertia per gradus ad-
scendente.* AE. I. (Mus. Caes.)

Tres hi numi sunt integerrimi omnes.
Refert Herodianus, Severum victo Al-
bino reducem mox insigni congiario po-
pulum victoriae nomine recreasse. Fa-
ctum istud aliquantum differt Spartia-
nus, qui congiarium datum refert, quan-
do ad bellum Parthicum egressus est.
At tum jam dictus est imperator IX.,
ut constat ex numis inscriptis: PROFE-
CTIO. AVG., quos continuo dabimus.
Numi II. et III. alterius esse liberalita-
tis videri possint, quam praesentis, pri-
mum quia in iis non legitur numerus II.,
deinde quia in tertio simpliciter dicitur.
TR. P., quae nota sic posita, praeci-
pue in numis Severi, in quibus tribu-
natus numerus vix unquam omittitur,

a) Spartian. c. 13. Herodian.

b) Spart. c. 14. 15. Herodian.

tribunatum I. solet indicare. Verum ii ad liberalitatem I. referri non possunt, cum Severus tempore congiarii I. nondum fuerit COS. II. Sed neque ad liberalitatem III. anni V. C. 955, quoniam hujus tempore jam fuit COS. III. Quare etsi numerus trib. potestatis anno praesenti debitus omisus sit, subintelligendus tamen propter allatas causas est, quod lectorem eruditum advertere curate cupio, ne forte praepostere ex hoc numo arguere intendat, Severi tribunatum primum coeptum anno V. C. 946 sese in sequentem etiam annum porrexisset, de quo agetur uberius in tractatu de tribunicia potestate.

Eodem anno:

TR. P. V. COS. II. IMP. IX.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. VIII. *Caput laureatum.*
MVNIFICENTIA. AVG. *Elephas lorica-*
tus. AR. (Mus. Caes.)

Spectacula a Severo edita, antequam ad bellum Parthicum exiret, testem habemus Spartianum. a) De elephanto loricato vide, quae diximus in Antonino Pio ad annum V. C. 902.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Sol re-*
jecto pallio, et capite radiato stans d. elat-
ta, f. flagellum. In aliis alii typi. AR.
AE. I. (Mus. Caes.)

Orientis hic typus est magis ex inferioris aevi numis cognitus, ad quem perdomandum nunc se accinxit Severus.

* * *

Eadem adversa.

PROFECTIO. AVG. *Imperator eques d.*
hastam. AR. (Mus. Caes.)

Nimirum ad cogitatum bellum Parthicum.

Eodem anno:

TR. P. V. COS. II. IMP. X.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. X. *Caput laureatum.*
P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *variis*
typis. AR. (Mus. Caes.)

Reliquae averse: IOVI. CONSERVATORI, vel: LIBERO. PATRI. etc. typis obviis.

V. C. 951. P. X. 198.

TR. P. VI. COS. II. P. M. P. P. IMP. X.
Ti. Saturnino, C. Gallo cos.

Caracalla Augusti, Geta Caesaris titulis ornantur. (Vide utriusque numos) Severus Parthorum fines intrat, captisque Seleucia et Babylone Ctesiphontem regum sedem obsidione cingit, captamque militi diripiendam permittit. b)

L. SEPT. SEV. PERT. AVG.
IMP. X. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *Sol*
gradiens, ut in numo anni praecedentis.
AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

ANNONAE. AVGG. vel: FORTVNAE.
AVGG. vel: VICT. AVGG. *typis pro-*
priis.

En utrumque jam Augustum, Severum et Caracallam, conjunctum indicante istud epigraphe AVGG., quae nunc

a) Cap. 14.

b) Dio, Spartian.

fic incipit, et deinceps continuatur. At nondum hac aetate scriptum COSS. ad indicandos consules duos, infra ad annum V. C. 955 habebimus AVGVSTI. COS. sc. Severus et Caracalla. In numo Caracallae ad V. C. 958. IMP. ET. CAESAR. AVG. FILI. COS. Caracalla et Geta. In numis Philipporum aliquoties III. ET. II. COS. At tandem ad in numo Diocletiani ad V. C. 1040. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. CCSS. Et vero scriptum COSS. pro COS. in marmoribus saltem sinceris ante Treboniani tempora non repererunt eruditi veterum marmorum enarratores. ^{a)}

Eodem anno:

TR. P. VI. COS. II. IMP. XI.

In Arabas Mesopotamiae, quod Nigrum copiis juvere, arma vertit, eorumque urbem Atra oppugnat, sed solvere obsidionem re infecta cogitur. Iterum, sed forte biennio ferius, eandem retentat, sed irrito rursus conatu. ^{b)}

L. SEP. SEVERVS. PER. AVG.

P. M. IMP. XI. *Caput laureatum.*

PAR. AR. AD. TR. P. VI. COS. II, P. P. *Tropaeum inter duos captivos humidentes.* In aliis: *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Severum jam ex priore bello dictum fuisse ARABICVM, et ADJABENICVM, vidimus in numis anni V. 948, quin et in numis ejusdem anni dicitur *Parthicus Arabicus, Parthicus Adjabenicus*, sed

Parthici titulus in his tantum numis legitur, deinceps reticetur, quo confirmari videtur testimonium Spartiani adferentis, Parthicum nomen recusasse Severum, ne Parthos lacefferet, ut dictum ad annum V. C. 948. At nunc remoto omni a Parthis metu, quos viderat, *Parthici nomen* pridem collatum audacter refuscitat, modeste id primum; solo PAR. numis inscripto, pro quo paullo post *Parthicum Maximum* superbius se appellavit.

V. C. 952 P. X. 199.

TR. P. VII. COS. II. P. M. P. P.
IMP. XI.

P. Corn. Anulino II., M. Aufidio Frontone cos.

Spartianus: ^{c)} *Aestate igitur jam exente (anni praecedentis) Parthiam ingressus Ctesiphontem pulso rege pervenit, et cepit hyemali prope tempore - - et Parthicum nomen meruit.* Haec omnia contingere in Severi tribunatu VI. Et vero in binis marmoribus repertis apud Sidonem, iisque fide dignis dicitur Severus ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. TR. P. VI. IMP. XI. COS. II. ^{d)} Numi, qui trib. potestatem VI. inscribunt, saltem quos ego norim, hunc adhuc titulum omittunt. Interea plurimi sunt numi, qui omissa tribunatus mentione offerunt IMP. XI. PART. MAX. Cum SEVERVS jam in tribunatu VI. dictus fuerit imperator XL, non repugnat, horum numerorum partem hoc labente fuisse signatam, at-

a) Marini Frat. arv. p. 621.
(Vol. VII.)

b) Dio.

e) Cap. 16.

d) Muratori pag. 2009. 1. 2.
Z.

que adeo numi a marmoribus et Spartiano non dissentiunt. Istud certum, Severum in numis omnibus tribunatu VII. notatis dici *Parthicum Maximum*.

- A. L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Protome laureata cum hasta in AV. (Sequin p. 149.) Caput laureatum in AR.*
- B. SEVERVS. AVG. PART. MAX. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. II.*

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Mulier capite tutulato stans d. cornucopiae, f. gubernaculum, pro pedibus prora navis. AR. (Mus. Caes.).*

Vt lit. B.

PROFECT. AVGG. FEL. *Imperator in equo citato d. hastam. AR. (Mus. Caes.)*

Hac profectione Mediobarbus credit indicari expeditionem a Severo in Britanniam susceptam, ac propterea numum hunc anno V. C. 961, adfixit, quem et ipse olim secutus sum. Verum cum titulum PART. MAX. tantum hoc et sequente anno in numorum antica memorari videam, praestabit, denarium hunc praesenti anno illigare, et intelligere profectionem Severi e Syria in Parthiae fines susceptam.

Vt lit. A.

VICT. PARTHICAE. *Victoria gradiens d. lauream, f. tropaeum, humi captivus sedens. AR. (Mus. Caes.)*

Numi reliqui: FVNDATOR. PACIS. — IOVI. CONSERVATORI. vel: PRO. PVGNATORI. — RESTITVTOR. VR.

BIS, aliisque inscriptionibus admodum variis, et obviis. At horum magna pars anno etiam sequenti debetur.

V. C. 953 P. X. 200.

TR. P. VIII. COS. II. P. M. P. P. PART. MAX. IMP. XI.

Ti. Claudio Severo, C. Aufidio Victorino *cof.*

Rebus adhuc Orientis occupatur Severus.

Vt lit. B.

L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput laureatum.*

P. MAX. TR. P. VIII. COS. II. P. P. *variis typis. AR. (Mus. Caes.)*

SEVERVS. AVG. PART. MAX. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. VIII. COS. II. *variis typis. AR. (Mus. Caes.)*

V. C. 954 P. X. 201.

TR. P. IX. COS. II. DES. III. P. M. P. P. PART. MAX. IMP. XI.

L. Annio Fabiano, M. Nonio Marciano *cof.*

Adhuc in Syria agit Severus, et Caracallae togam virilem dat. (Vide Caracallam.)

- A. L. SEV. SEPT. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput laureatum, in AV, et AR.*
- B. SEVERVS. AVG. PART. MAX. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
- C. SEVERVS. AVG. PART. MAX. P. M. TR. P. VIII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

*Vt lit. B.*ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput Caracallae laureatum.* AV. (Mus. Caes.)*Vt lit. B. Caput Severi laureatum.*AETERNIT. IMPERI. *Capita adversa laureata Severi et Caracallae.* AV. (Mus. Caes.)*Vt lit. B. Caput Severi laureatum.*AETERNIT. IMPERI. *Capita adversa Caracallae laureatum, Getae nudum.* AV. (Mus. Caes.)*Vt lit. B. Caput Severi laureatum.*FELICITAS. SAECVLI. *Caput Domnae inter capita Caracallae et Getae.* AR. (Mus. Caes.)FELICITAS. PVBLICA. *Capita Severi, et Domnae se respicientia.*PERPETVA. CONCORDIA. *Capita Caracallae, et Getae se respicientia, illius laureatum, hujus nudum.* AV. (Vaillant Num. praest. p. 213. in icone.)

Illustres sunt hi numi, qui universam familiam tum regnantem ob oculos sistunt. Dubium non videtur, eos hoc anno fuisse signatos; nam eadem averse occurunt etiam in numis, in quorum adversa Severus non amplius *Parthicus Maximus*, sed *Pius* appellatur, quam novitatem hoc anno fuisse inductam mox videbimus. *Aeternitas imperii*, cujus stabiliendae causa teste Suetonio jam a Nerone constituti fuere ludi, a) filiorum successorum imagine adumbratur.

*Vt lit. C.*COS. II. P. P. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)*Vt lit. A.*VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.)

Ex lege votorum decennialium numus hic adfigendus foret tempori, quo Severus jam decimum imperii annum coepit. At cum is jam in tribunatu IX. abjecerit titulum PART. MAX., qui tamen in numo praesente adhuc legitur, neque in certis anni sequentis numis haec amplius capitis epigraphe, aut IMP. XI. compareat, et constet ex aliorum imperatorum numis, ac recentior quidem Commodus, eos saepe per annos decennium praecedentes inscripsisse numis vota decennialia suscepta, numi aetas differenda non videbatur.

*Eodem anno:**Exspirat in numorum antica PART. MAX. incipit PIVS.*SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*AETERNIT. IMPERI. *Capita laureata Severi et Caracallae.* In alio: *Capita Caracallae laureatum, Getae nudum.* AR. (Mus. Caes.)*Eadem adversa.*PART. MAX. P. M. TR. P. VIII. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)*Eadem adversa.*P. M. TR. P. VIII. COS. II. P. P. *Victoria gradiens etc.* AR. (Mus. Caes.)IMPP. INVICTI. PII AVGG. *Capita jugata laureata Severi et Caracallae.*

a) in Nerone c. 11.

VICTORIA. PARTHICA. MAXIMA.
Victoria gradiens. AV. (Mus. Caes.)

Numus perelegans, et propter infolentem hactenus anticae epigraphen spectabilis. Signatus est hoc, aut sequente anno; non prius propter mentionem tituli PII, non serius, quia deinceps rerum Parthicarum mentio in numis neglecta est.

V. C. 955. P. X. 202.

TR. P. X. COS. III. P. M. P. P. PIVS.
Severo Aug., M. Anrel. Antonino cof.

Consulatum III. cum Caracalla in Syria init. ^{a)} Arabiam, Palaestinam, Aegyptum adit, omnibusque ibi perulstratis Romam revertitur, vota decennialia solvit, fuscipitque altera, Caracallam cum Plautilla matrimonio jungit. ^{b)}

Magnopere dissentiunt eruditi, utrum Severus hoc anno, utrum sequente Romam redux ex Oriente advenerit, eaque omnia, quae dixi, peregerit. Vtriusque sententiae patroni numos suppetias vocant inscriptos; ADVENT.AVGG. et VOT. SVSC. DEC., sed incassum; nam trib. potestas X., quam inscriptam hi numi exhibent, secundum eorum ipsorum sententiam parti sequentis anni coincidit, et quod sequitur, tempus certum erui ex illis nequit. Enim vero Xiphilinus ex Dione nuptias Caracallae, et spectacula cum propter decennium principatus, tum propter reditum Augustorum eodem tempore celebrata refert quidem, sed. annum reticet. ^{c)} Til-

lemontius anno sequente Romam reversum statuit, quoniam hoc adhuc anno in Syria fuit, quod certum est ex inito in hac consulata, tum quod hoc praeterea anno Arabiam, Palaestinam, Aegyptum, Thebaidem rebus omnibus attente inspectis peragratus est; denique non itinere maritimo, sed terrestri per Cappadociam, Bithyniam, Illyricum Romam rediit, quae quidem omnia plus annuo spatio exigunt. ^{d)} At vero terrestre illud iter, quod vir eruditus ex dubio Dionis loco, atque altero Herodiani, manifestiore quidem, sed quem minus tuto in omnibus sequare, eruit, nondum satis certum, quin fuisse maritimum potius, luculente evincunt numi Caracallae inscripti: ADVENTVS. AVGG., quos recitabimus in Caracalla ad annum praesentem. Cumque praeterea de incredibili Severi in faciendis itineribus velocitate constet, facile fieri poterat, ut post Kalendas Ian. anni praesentis, quibus consulatum III. in Syria inivit, Palaestinam et Aegyptum inviseret, et exeunte autumno in urbe adesset, atque hoc adhuc anno nuptias filii, aliisque solennia ageret. Paucis ut rem absolvam, cum tribunatus X. Severi, et V. Caracallae; qui his Adventus, Nuptiarum, et Votorum numis inscripti sunt, nequaquam in sequentem se annum porrigant, ut docebimus in tractatu de trib. potestate, certum etiam inde fit, et Severum hoc adhuc anno, et in tribunatu X. ingressum fuisse Romam, et Caracallae nuptias celebrasse.

a) Spart. c. 17.
Severo.

b) Dio L. LXXVI. 1.

c) L. XXVI. 1.

d) Nota 24 in

- A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE.*
 B. SEVER. P. AVG. P. M. TR. P. X. COS. III. *Caput laureatum in AV. AR.*
 C. SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR. P. X. *Caput laureatum in AR.*

Vt lit. B.

ADVENT. AVGG. *Severus, Caracalla, Geta in equis, dexteris sursum elatis.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

ADVENT. AVGG. *Severus eques, d. elata, f. hastam, figura militari equum ducente.* AR. (Mus. Caes.)

CONCORDIAE. AETERNAE. *Capita jugata, Severi radiatum, Domnae impositum lunae.*

ANTON. P. AVG. PON. TR. P. V. COS. *Caput Caracallae laureatum.* AV. (Mus. Caes.) In alio: ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput idem.* AR. (Mus. Com. Vit. zai.)

Concordiam aeternam, quam eodem hoc tempore causa matrimonii Caracalla, et Plautilla voverunt, Severus et Domna proposita hac capitis inscriptione renovare videntur. Iam vero, ut epigraphe anticae, ita et capitum in ea cultus hactenus inusitatus. Radiatum principis vivi caput jam inde a Nerone obvium, at nunquam adhuc in numis aureis, et argenteis. Neque Augustae caput impositum lunae, quod tritum deinceps in Augustarum est numis, usque modo in numis Romanis conspectum. Et placuit, istud Augustorum par specie Solis et Lunae proponere,

quoniam haec astra aeterna credita, et aeternitas ipsis etiam Augustis aut adficta, aut vota. Sic in praecleara inscriptione Gruteri, ^{a)} quae cumprimis haec nostra illustrat, legitur: SOLI. AETERNO. LVNAE. PRO. AETERNITATE. IMPERII. ET. SALVTE. IMP. CA. SEPTIMI. SEVERI. etc. in alia: ^{b)} LVNAE. AETER. SACR. PRO. SALVTE. IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEV. etc. Ex his marmoribus videmus, et Soli Lunaeque tribui aeternitatem; et Augustis voveri. Dubium non est, hanc Romanos imaginem a veteribus Aegyptiis fuisse mutuatos. Teste Horo Apolline conjuncta Solis et Lunae astra in glyphica Aegyptiorum lingua constituerunt elementum, quod *αιων*, *saeculum*, *aevum*, *aeternitatem* indicat. Argumentum istud illustratur etiam numo Trajani, quem descripsi in ejus numis vagis consulatus V., in cujus aversa: AET. AVG. *Mulier stans d. caput Solis, f. Lunae*, nimirum Trajani aeternitate aeternis Solis et Lunae astris adumbrata. Quare quemadmodum haec sidera sunt aeterna, ita eorum cultu Severo et Domnae commodato utriusque CONCORDIAM AETERNAM futuram auguratur vates monetarius. Hactenus aeternitas in Augustis attributi, aut verius voti modum habuit; at successu temporis verum nomen evasit, eoque Augusti per adulationem compelli consuevere. Ita Symmachus scribens ad Valentinianum juniores, *multa*, ait, *Victoriae debet AETERNITAS vestra, et adhuc plura debet.* Et S. Athanasius apud Sozomenum ^{c)} exprobrat Arii sectatoribus,

a) Pag. 32. 10.

b) Pag. 42. 2.

c) L. IV. c. 17.

quod hi Constantium appellant imperatorem *aeternum*, (ἀιώνιον) filium vero Dei nolint dicere aeternum. Quanquam et Ammianus, gentilis ipse, eundem Constantium ob tributam sibi aeternitatem graviter perstringat. *)

Ceterum ut typus Augusti ceu Solis, et Augustae ceu Lunae novus est in numis Romanis, sic jam pridem ex numis externis cognitus. Neronem et Octavianam hoc ritu jam sibi numi coloniae incertae, et Hadrianum cum Sabina insigne tetradrachmum Tarfense, quod descripsi in Sabinae numis commatis peregrini. Aliam nonnunquam hoc typo allegoriam populis fuisse quaesitam, verisimile est. Sic v. c. Aegyptii regi suo Solem adsimilavere, reginae Lunam, nimirum quia haec duo astra prae reliquo eorum vulgo eminere putaverunt. b) Deinceps hic typus in numis Romanis frequentior; nam primum in postremis Caracallae saepe comparent aut Sol in citatis equorum, aut Luna boum bigis, ut dicitur ad annum V. C. 967. sub numeris 6. 7., deinde in argenteis majoris nonnihil moduli sub Caracalla, Macrino, Elagabalo signatis Augusti caput semper est instar Solis radiatum, et Augustae impositum Lunae, ut praeteream numos inclinantis imperii.

Vt lit. A.

AVGVSTI. COS. *Vterque imperator consul sedens in suggestu adstante hinc et inde figura.* AE. II. (Mus. Caes.)

Nempe Severus et Caracalla *Augusti consules*, qui hoc anno una processerunt.

Vt lit. B. et C.

FELICITAS. SAECVLI: *Caput Domnae adversum inter capita Caracallae laureatum, Getae nudum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LAETITIA. TEMPORVM. *Navis expanso velo, superno missus Circenses, inferne venatio ferarum.* AR. (Mus. Caes.)

Typus averfae insolens adludit ad id, quod refert Dio, *) inter alia spectacula, quae Severus ex Oriente redux in famigeratis illis ludis V. C. 955. populo exhibuit, fuisse etiam *receptaculum belluarum in amphitheatro, factum in formam navis, ut CD ferās et intra se caperet, et una vice simul emitteret. Navi subito dissoluta exilierunt urfi, leaenae, pantherae, leones etc.* Eadem averfa habetur quoque in moneta Caracallae.

Vt lit. A.

LIB. AVG. III. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

De hac liberalitate refert Dio, Severum decennio principatus sui cum universae plebi, tum militibus praetorianis tot aureos, quot annos imperaverat, dedisse, et ea largitione consumptum IIS. bis millies, quantum revera nemo praecedentium imperatorum cunctis simul dedit. d)

Vt lit. A.

VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Imperator togatus stans ad tripodem sacrificat.* AR. (Liebe Goth. num. 259.)

a) L. XV. sub init.
d) L. LXXXVI. §. 1.

b) Sext. Empir. adv. astrol. L. V. § 31.

c) L. LXXXVI. 2.

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEPTA. XX. *Idem typus.*
AR. AE. (Mus. Caes.).

Exhibent hi numi vota cum suscepta decennalia, tum suscepta vicennalia. Vide tractatum de votis decennialibus. Quam magna horum occasione spectacula, et venationes ediderit Severus, legere est apud Dionem. ^{a)}

V. C. 956. P. X. 203.

TR. P. XI. COS. III. P. M. P. P. PIVS.
P. *Septimio Geta, L. Fulvio Plautiano II.*
ros.

Severus Plautianum praefectum praetorio, Plautillae patrem, interfici iubet. De ejus opibus, fastu, potentia vide plura in Plautilla. Factum istud secundum Chronicon Alexandrinum die XXII. Ianuarii anni praesentis; at Tillemontius in eundem diem anni sequentis differt, quoniam ex ejus sententia Severus hoc primum anno vere exeunte ex Oriente Romam advenit. ^{b)}

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laurentium.*

INDVLGENTIA. AVGG. IN CARTH.
Dea d. fulmen, f. hastam leoni currenti insidens, juxta rupes, ex qua aqua promanat. AR. (Mus. Caes.)

In Caracalla quoque numus obvius. Quae fuerit haec indulgentia Carthagini ab Augustis impensa, a scriptoribus reticetur. Eum generatim in Africam,

quod in ea natus erat, fuisse beneficum, supra in numo anni V. C. 947 inscripto: AFRICA, docuimus, et Spartianus ejus in Tripolim patriam benevolentiae testimonia commemorat. ^{c)} Certum ejus in Carthaginem meritum fuit, quod narrat Vlpianus: ^{d)} *In Africa Carthago, Utica, Leptis magna a divo Severo, et Antonino juris Italici factae sunt.*

Typus averfae haud dubie deam sistit a Didone profuga apud Carthaginem dedicatam, quam Libyæ Uraniam, seu Coelestem, Phoenices Astroarchen (nisi forte Astartem) dixere, lunam esse affirmantes, ut testatur Herodianus. ^{e)} Ejus deae per universam Africam, ac praecipue Carthagine insano adfectu cultae frequens apud veteres mentio, quorum testimonia collegit Vossius. ^{f)} Sed et ejus religio Romam pervasit permissa illi hereditatis adeundae venia, ut dilerte Vlpianus: ^{g)} *Deos instituire heredes non possumus praeter Iovem Tarpeium, - - - et Coelestem Salinensem Carthaginis.* Eandem Coelestem cum Carthagine quoque conjungit illustre marmor vetus, quod est apud nos Vindobonae, vulgatumque a Scipione Maffeo: ^{h)}

CAELESTI. AVGVSTAE
ET. AESCVLAPIO. AV
GVSTO. ET. GENIO
CARTHAGINIS. ET
GENIO. DACIARVM
OLVS. TERENTIVS
PVDENS etc.

a) L. LXXVI. § 1.
de Censib. § 8.
qui hered. insit. poss.

b) Nota 25 in Sever.

c) Cap. 18.

e) in Elagab. f) Theolog. gent. L. II. c. 24.

d) Digg. lib. L. tit. XV.
g) de regulis tit. XXIII.

h) Mus. Veron. p. 239.

OLVS hoc loco praenomen est, scriptum pro AVLVS, cujus exempla alia dedi Vol. IV. p. 56.

Cujus naturae fuerit haec dea, quo cultu proposita, optime docebit Apuleius, ipse Afer. *Magna Iovis germana*, inquit, ^{a)} *et conjuga, sive tu Sami, - - sive celsae Carthaginis, quae te virginem vectura leonis coelo commeantem percudit, beatas sedes frequentas.* En tibi hanc Carthaginensium deam in vectura leonis, atque hoc etiam modo in numo praesente propositam, tum et ab Apuleio pro Iunone habitam, quanquam spectato leonis ministerio, aliquid habeat cum Matre deum commune, utrevera S. Augustinus hanc et Coelestem nostram uno eodemque loco conjunxit: ^{b)} *Coelesti virgini, et Berecynthiae matri deorum omnium.* Sed et Tertullianus, cum dixit: ^{c)} *Ad bestias impellimur? certe, quas Liberò, et Cybele, et Coelesti applicatis,* leones intellexit, quos Bacchi et Cybeles jugales novimus. Ad explicandam aquam e rupe promanantem duplicem lubet eruditus proponere conjecturam. Aut enim credi potest, Severum suo sumptu aquam Carthaginem derivasse, et istud aquae impetratae beneficium sic fuisse in numis inscriptione INDVLGENTIA. AVGG. IN. CARTH. celebratum, ut olim Patrenses Achaiae beneficium monetae impetratae praedicabant in numis, scripto: INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. ^{d)} Aut, quod praesare existimo, haec aquae fluentia ad typum principem deae Coelestis pertinent. Fuit haec, teste iterum Tertul-

liano, ^{d)} *pluviarum pollicitatrix*, quas facile indicant aquae ex rupe profluentes, quae coelestibus pluviis nutriuntur, quorsum et pertinet fulmen, quod dea manu jactat, nam eodem et Iuppiter Pluvius armatus comparet in numo Ephefi, quem vide. ^{e)} Cum ex laudatis Apuleii verbis constet, hanc Coelestem eandem fuisse cum Iunone, et constet praeterea, huic aeris arbitrium fuisse permissum, facile ejus deae cum pluviis nexum intelligimus. Placuit ad explicandum totum hoc argumentum praesentibus aliis arcessere Apuleium, Augustinum, Tertullianum, quod hi tres Afri natione fuere, iisque adeo domestica haec fabula omnium maxime perspecta esse debuit. Eandem hanc Coelestem, sed Lunam creditam, ab Elagabalo fuisse Romam translata, ibique deo Elagabalo matrimonio junctam, in hujus moneta docebimus,

Numos hos, etsi nullo caractere chronologico insignes, praesenti anno adfixi, quia in numis Caracallae ejusdem argumenti insuper additur trib. potestas, in aliis VI., in aliis VII., quae est hujus temporis.

* * *

Eadem adversa.

III. LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas flans.* AR. (Mus. Caes.)

Ex numis anni praecedentis certam tenemus Severi liberalitatem III. At difficilior est figere praesentem IIII. Tamen ex numo Caracallae cum hac eadem averfa non incommode anno praesenti illigatur propter vultus lineamenta,

a) Metamorph. L. VI.

b) de Civ. dei L. II. c. 4.

c) Apolog. c. 20.

d) Apolog.

e. 23.

e) Vol. II. p. 514.

quae huic anno, non alteri respondent. Causa hujus congiarii ignoratur.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. *Mulier sedens d. gubernaculum, f. cornucopiae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 957. P. X. 204.

TR. P. XII. COS. III. P. M. P. P. *PIVS.*

L. Fabio Septimino Cilone II. Flavio Libone cosf.

Ludi saeculares hoc anno celebrantur. Vide numos.

A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

COS. III. LVDOS. SAEC. FEC. *Bacchus stans d. cantharum, f. thyrsum, pro pedibus pantheriscus, ex adverso Hercules d. clavam, f. leonis exuvias.* AV. (Vaill.)

B. SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR. P. XII. *Caput laureatum.*

COS. III. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes.) In aliis: *Imperator togatus stans d. pateram, f. cornucopiae, juxta plures figurae aliae.* AE. II. (Vaill.) In aliis: *Sacrificia cum victimis, tibicinibus, popis, Tiberino humi jacente, ut in numis Domitiani.* AE. II. (Mediobarb.)

Antica incerta.

SAEVLARIA. SACRA. S. C. *Sacrificia, ut in praecedentibus.* AE. I. (Mus. Christinae, Vaill.) AE. II. (Catal. d' Ennery.)

Ludos saeculares a Severo factos, non modo numi praesentes, et Caracallae ejusdem anni, sed etiam Herodianus testatur. *Vidimus, ait: a) eo imperante spectacula omnis generis in omnibus theatris, tum et sacrificia, et pervigilia mysteriorum ritu. Atque hos ludos SAECVLARES (αιωνιως) dixerunt, cum traditum ipsis esset, tribus eos generationibus revolutis peragi solere. Enimvero praecones Romam atque Italiam circuibant invitantes, adessent, spectarent ludos, quos non vidissent adhuc, nec visuri essent. Annum etiam recte desinit Censorinus: b) Octavos ludos saeculares egerunt imperatores Septimius et M. Aurelius Antoninus Cilone et Libone cosf. anno DCCCLVII. Actos iisdem consulibus refert etiam Zosimus. c) De celebratis Romae his ludis jam egimus in numis gentis Sanguiniae, item Augusti ad annum V. C. 737, Domitiani ad V. C. 841, quos nunc Severus post CXLI. annorum intervallum iterum faciendos curavit. Laudatis locis horum ludorum ritus, et praesentium etiam numerorum explicacionem reperies; nam typo fere cum Domitiani numis conspirant, demptis iis, in quibus Hercules et Bacchus comparant, qui, quod Severi Dii Auspices fuisse, ut vidimus ad annum V. C. 947, velut praesides sacri hujus festi proponuntur.*

Vt lit. B.

ARCVS. AVGG. S. C. *Arcus triumphalis trium portarum statuis superne ornatus.* AE. II. (Mus. Com: Vitzai.)

a) in Severo L. III. c. 8. (Vol. VII.)

b) de die nat. c. XVII.

c) L. II.

Aversa in Severo rarissima. Explicationem pete ex numo simili Caracallae ejusdem anni. Argenteum cum similitudo cito citat Vaillantius, sed inscripto solo COS. III., addito P. P. apud Medobarbum.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. V. *Liberalitas* *flaps.* AR. (Mus. Caes.)

Etiam hujus liberalitatis tempus ignoraretur, nisi succurreret similis Caracallae numus, in quo ejus aetas et lineamentis capta, comparatis nimirum aliis certis hujus anni numis, praesentem sibi annum deposcit. Hujus congiarii causam justam dederint celebrati tum ludi saeculares.

Vt lit. A.

P. M. TR. XII. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. II.

V. C. 958. P. X. 205.

TR. P. XIII. COS. III. P. M. P. P. *PIVS.*

M. Aurel. Antonino Aug. II. P. Sept. Geta Caes. cof.

Res imperii Romae in pace procurat.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 959 P. X. 206.

TR. P. XIV. COS. III. P. M. P. P. *PIVS.*

Nummio Albino, Fulvio Aemiliano cof.

SEVERVS. PIVS, AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 960. P. X. 207.

TR. P. XV. COS. III. P. M. P. P. *PIVS.* *Apro, Maximo cof.*

Bellum cum Britannis hoc anno ingravescit.

A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. L. SEPTIMIUS. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. II.*

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. *Caput Palladis galeatum.* In alio: *Caput Medusae alatum, et serpentibus horrens.* AV. (Mus. Caes.) In aliis: *alii typi.* AR. AE. II.

Vt lit. A.

PROVIDENTIA. *Caput Medusae simile.* AV. AR. (Seguin p. 148. Vaillant.)

Seguinus et Vaillantius alterius hujus numi testes sensum in ea allegoricum vident, nimirum Minervam esse prudentiae, seu *Providentiae* deam, quae indicatur capite Medusae sibi sacro, nempe quod ipsa insertum aegidi gestavit. Numus praecedens evincit, etiam hoc loco Medusam ad Palladem esse referendam. Fuisse in Insula Delo aedem sacram *Providentiae*; quam *ἱερὸν Ἰπποβοίας Ἀθηνῶν*, templum *Providentiae Minervae* appellabant, testatur Macrobius. *) Ceterum

a) Sat. L, I, c. 17.

impensioſiorem Severi in Palladem adfectum confirmant ejus numi inſcripti: MINERVA. SANCT. Aversa numi alterius exſtat etiam in ſynchrono numo Caracallae. ^{a)})

*
L. SEPTIMIUS SEVERVS.
PERTINAX. AVG. Caput laureatum.

ADVENT. AVG. GALL. PONT. MAX. TR. P. XV. COS. III. *Imperator eques in comitatu militum, conſpiciuntur urbis moenia, in imo fluvius decumbens.* AE. max. mod. (Vaill.)

Si probae fidei eſt hic numus, Severus hoc adhuc anno propter inſcriptum tribunatum XV. iter in Britanniam per Galliam ingreſſus eſt, quod tamen chronologi in annum ſequentem differunt. At vero non pauca ſunt in hoc numo moleſta. Abſunt P. P. et nomen PIVS, quod nunquam hac aetate, et pro hoc legitur PERTINAX, quod nomen pluribus jam annis a moneta exulat. Et an non ſaltem ſcribendum fuiſſet: ADVENT. AVGG., et in typo ſingendi duo Auguſti equites, cum duos omnino Auguſtos perfectos conſtet? Sed nolo perurgere dubia de cimelio, quod ipſe non vidi, et promulgavit peritiſſimus Vaillantius, niſi forte judici Gallo vitia numi excuſavit mentio Galliae ſuae.

V. C. 961. P. X. 208.

TR. P. XVI. COS. III. P. M. P. P.
PIVS.

M. Aur. Antonino Aug. III. P. Sept.
Geta Caef. II. cof.

In Britanniam cum filiis et uxore proficiſcitur.

SEVERVS. PIVS. AVG. Caput laureatum.

LIBERALITAS. AVGG. VI. *Severus, Caracalla, Geta ſedentes in ſuggeſtu adſtante Liberalitate, et alia figura, tertia per gradus adſcendente.* AV. (Muſ. Caef.)

Eadem adverſa.

LIBERALITAS. AVG. (ſic) VI. *Liberalitas ſtans.* AR. (Muſ. Caef.) AE. II. (Baldinus ad Vaill.)

Congiarium iſtud fuiſſe hujus anni, diſtributumque, antequam imperatores ad bellum Britannicum proficiſcerentur, evincam ad ſimiles Caracallae, ac praecipue Getae numos hujus anni, quo loco et cauſam adferam, cur in unis legatur AVGG., in aliis AVG.

*
Eadem adverſa.

P. M. TR. P. XVI. COS. III. P. P. *Arcus pontis utrinque turri munitus, et in ponte et in turribus ſtant excubiae. Infra in aquis navicula expoſito velo.* AE. II. (Muſ. Caef.)

Hunc numum ſaepius promulgatum reperio, ſed cum varia trib. poteſtate, jam XII. jam XIII. jam XIV. vitiatas nempe notis. Caefareus, neque hic eo loco ſatis integer, numerum XVI. offerre videtur. Similem typum jam vidimus in numis Trajani inter numos vagos conſulatus V. pag. 427, in quo, ut dixi, alii pontum, alii arcum pontis vident. Quare et in definiendo praefentis numi typo variant ſententiae. Vide, quae ad laudatum Trajani numum obſervavi.

^{a)} Beger Theſ. Brand. T. II, p. 703.

Exstant plures numi alii cum eadem epigraphe, sed variantibus typis in AV. AR. AE. II.

V. C. 962. P. X. 209.

TR. P. XVII. COS. III. P. M. P. P.
PIVS.

Civica Pompeiano, Lolliano Avito cos.

Alterum filium Getam Augustum dicit. Vide hujus numos. Bellum Britannicum.

SEVERVS. PIVS. AVG. Caput laureatum.

P. M. TR. P. XVII. COS. III. P. P. variis et obviis typis, AV. AR. AE. II.

V. C. 963 P. X. 210.

TR. P. XVIII. COS. III. P. M. P. P.
PIVS.

Man: Acilio Faustino, Triario Rufino cos.

Hoc anno factum initium ducendo celebri illi muro in Britannia, quo barbari a Romanorum finibus arcerentur, existimat Tillemontius. Spartiani de hoc opere testimonium vide mox infra.

A. SEVERVS. PIVS. AVG. Caput laureatum in AR. AE. II.

B. L. SEPT. SEVERVS. PIVS. AVG. Caput laureatum in AE. I.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. XVIII. COS. III. P. P. typis variis fere ad victorias Britannicas adfudentibus. AR. AE. I. II.

Vt lit. B.

VICTORIAE. BRITANNICAE. S. C. Duæ Victoriae clypeum palmae adfigunt,

duobus captivis humi sedentibus. AE. I.

Eodem anno:

Incipit BRIT.

De hoc titulo haec Spartianus: ^{a)} Britanniam, quod maximum ejus imperii decus est, muro per transversam insulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit, unde etiam BRITANNICI nomen accepit. Concinit iisdem paene verbis Victor. ^{b)}

A. L. SEPT. SEVERVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum in AE. I.
B. SEVERVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum in AR.

Vt lit. A.

AEQVITATI. PVBLICAE. S. C. Tres Monetae stantes cum bilance et cornucopiae, juxta singulas pro pedibus massa metalli. AE. I.

Hic typus deinceps perfrequens erit praecipue in numis max. formae.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. XVIII. COS. III. P. P. variis typis, AR.

V. C. 964. P. X. 211.

TR. P. XIX. COS. III. P. M. P. P.
PIVS. BRIT.

Q. Epidio Rufo Lolliano Gentiano, Pomponio Basso cos.

Severus Eporaci in Britannia ex morbo articulari obit die IV. Februarii annos natus LXV. ^{c)}

Vir erat, in quo mediocre nihil, vir-

a) Cap. 18.

b) in Caesarib.

c) Dio, Spartian.

tutes summae, vitia enormia, atque etiam illae, quoniam modum excessit, vitiis proximae. Vt duriter ipse vixit, patiens laborum, victu modicus, animo adversum omne, quidquid arduum et periculosum, intrepido et constante, ita ad eandem tolerantiam, et observantiam disciplinae militem aduefecit, sed sic, ut, cum propter ingenitam pertinaciam cedere ipse aut nollet, aut nesciret, saepe nulla de causa magnam exercitus partem aut morbo, aut ferro amitteret, atque idem, qui disciplinae militaris leges ad crudelitatem usque exegit, tamen militem donativis immodicis, atque indulgendo liberius, quae hactenus vetita in castris habebantur, corrumpi pateretur. In bello acer, vehementis, ac praesentis in rebus adversis consilii, plus tamen per duces, quam per se ipsum gessit, quorum virtuti ac fidei victum ternis praeliis Nigrum debuit, ipse in pugna adversus Albinum tantum non victus, ac pro mortuo abjectus, atque ab Atrorum Arabiae obfisione bis repulsus. Bellum gravius nullum necessario suscepit. Civilia sua fit ambitio, et ut solus remotis aemulis imperaret, Parthicum cupiditas gloriae, ut testatur Spartianus, Britannicum, quod filios licentiae urbanae impensius deditos, et legiones otio diffluentes ad laborem volebat revocare. Et vero inconsultis his bellorum curis non magnopere imperio consuluit, Parthis, aliisque trans Euphratem gentibus non tam devictis, quam, quod deinceps patuit, magis adversum Romanum nomen irritatis. Neque tam ab armis apertis, quam occultis insidiis metendus, cum e re visum, dolis, menda-

ciis, perjuriis perinde est usus. Sane amicitia, quam Albino primum juratam professus est, et promissa liberalia non nisi simulata fuere, quod hominem valido exercitu instructum metuebat, postea nil tale merentem, insidiis, atque ubi haec male cessere, aperto Marte impetivit. Crudelitate etsi Nerone et Commodio inferior, gravem tamen labem contraxit caelis ordinis senatorii viris gravissimis, quos in Nigri, et Albini partibus vidit, aut esse putavit, aut quos clandestina adversum se agitare consilia suspicatus est. At gravissimum imperio vulnus per filium successorem inflixit, quem non modo propter morum improbitatem, quam reip. magno staturam jam ipse praevidebat, tollere nulla invidia e medio poterat, sed etiam quod semel atque iterum insidias in patrem composuisse palam est compertus. Vetus suum extremo etiam vitae tempore retinens, ac cum gravissimos articularis morbi dolores persentisceret, cum seditionem moverent milites, ante tribunal productos duci iussit, severe increpans: *tandem sentitis, caput imperare, non pedes*. Ejus cineres a filiis Romanam delati in M. Antonini sepulcro conditi sunt. Memorabile senatus de eo iudicium, aut nasci illum non debuisse, aut non mori, quod postremum optaverat haud dubie, quoniam Severi crudelitas, et ingenium inexorabile cum Caracallae feris moribus comparatum, ut eventus docuit, leve ac ferendum videri potuit. Ejus vitam scripsere Spartianus, Dio, Herodianus praeter biographos minores alios,

Vxor I. *Martia*, eo adhuc privato

mortua, cui postea in imperio statuas collocavit. ^{a)}

Vxor II. *Iulia Domna*, quam adhuc privatus duxit. De ea, ejusque filiis infra.

Numi:

L. SEPT. SEVERVS. PIVS.

AVG; BRIT. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XIX. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem aduersa.

VICT. BRIT. P. M. TR. P. XIX. COS. III. P. P. S. C. *Victoria cum tropaeo stans inter duos captivos humi sedentem.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numi vagi.

Antica incerta.

INDVLGENTIA. AVGG. IN. ITALIAM. *Mulier capite turrato insidens globo d. tropaeum, f. cornucopiae.* AR. (Vaill.)

Similem averfam Vaillantius etiam in moneta Caracallae describit.

Antica incerta.

INVICTA. VIRTVS. *Imperator eques captivum proterens.* AR. (Vaill.)

Novi generis epigraphe, at sensus faeilis. Eadem averfa est etiam in numo Caracallae musei Caesarei.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

IOVI. VICTORI. *Caput aduersum Iovis Ammonis.* AV. (Morelli Spec. tab. VI.)

Iovi Ammoni insignius fuisse deditum

Severum, mirum non est, quia numen illud Africanum fuit, Africanus ipse.

Eadem aduersa.

MINERVA. SANCT. *Dea stans d. clypeum, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Sancta novum Minervae elogium, sed etiam in numis Getae Caesaris occurrit.

Eadem aduersa.

PACATOR. ORBIS. *Caput Solis radiatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Ad orbem victo Oriente, cuius symbolum est caput Solis, pacatum adludit numus. *Pacator orbis*, et *Fundator imperii* Severus dicitur etiam in marmore Gruteri. ^{b)}

Eadem aduersa.

RECTOR. ORBIS. *Vir nudus stans d. globum, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Rectorem orbis se in numis professus quoque est Iulianus, sed in his imperator ipse stans proponitur. In praesente videtur exhiberi Sol, nimirum qui, pacato nunc Oriente, velut de orbis fortuna arbitraretur.

Divus Severus.

Inter divos relatum a senatu testatur Spartianus, ^{c)} et Herodianus adhibitatum caerimonias fuse enarrat. ^{d)} Idem docent numi sequentes:

DIVO. SEVERO. PIO. *Caput nudum.*

CONSECRATIO. *Aquila.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.) In aliis: *Rogus.* In

^{a)} Spartian. c. 3.

^{b)} Pag. 262. 9.

^{c)} Cap. 19.

^{d)} in Caracalla.

aliis. *Lectisternium*, vel *Sella*, *super quâ torona*. AR. (Mus. Caes.)

Priores duo typi ad ipsa consecrationis solennia pertinent, nimirum extructum rogam, et subinde accensum, et tum emissa superne aquila animae Augustae imagine, de quo ritu vide, quae copiose scripsere Dio, ^{a)} et Herodianus. ^{b)} Etiam honos sellae cum corona in theatris constitui solita inter divinos fuit, de quo egi in numis I. Caesaris. In marmore Ostiensi, quod restituit Marinius, ^{c)} dicitur Herodes FLAMEN DIVI SEVERI.

*
DIVO SEPTIMIO SEVERO.
PIO. *Caput nudum*.

CONSECRATIO. S. C. *Rogus*. AE. I. (Mus. Caes.)

DIVVS. SEVERVS. PATER.
Caput nudum

CONSECRATIO. *Aquila*. AR. (Mus. Caes.)

*
DIVO SEVERO. *Caput radiatum*.

CONSECRATIO. *Aquila*. In aliis: *Ara iuculenta*. AR. (Mus. Caes.)

Postremi hi numi cum capite radiato ad sequiorem aetatem pertinent, ad quam, disputabimus in tractatu de numis consecrationis.

Numi commatis peregrini.

De numis *urbium liberarum*, et *coloniatarum* nihil distincte memorandum oc-

currit, nam insignis eorum existat copia, quin et earum regionum, quarum urbes non facile imperatorum alteri monetam dedicavere, quas inter memorandae cum primis urbes Peloponnesi, quae copiosos Severi, et ejus familiae nomine numos signavere, ut suo loco observavimus. Contra tanto parcior Aegyptus, cujus paucissimi exstant numi cum capite Severi, Domnae, et filiorum, quin probabilem ejus parsimoniam causam possumus constituere.

NOMINA ac TITULLI.

Pertinax.

Narrat Spartianus, ^{d)} Severum, postquam Pertinacem inter divos retulit, Pertinacem se vocari jussisse. Capitolinus illum amore boni principis a senatu id nomen accepisse testatur, ^{e)} cui et accedit divus Hieronymus. ^{f)} Herodianus illud sibi mox arrepto imperio, et cum adhuc in Illyrico ageret, indidisse adserit, ^{g)} atque infra, professum eum, cum primum Romam venit, in curia, se non Pertinacis modo nomen, sed mentem quoque habiturum. ^{h)} Quibus testimoniis docemur, adoptatum a Severo per adfectum in praeclarum hunc principem, seu verum, seu, quod in omnium eum amore esse intellexit, simulatum. Quare nugatur Victor, ⁱ⁾ qui eum sic dictum sive propter vitae parsimoniam, sive, quod verius ipsi visum, propter crudelitatem censet. Scommata

a) L. LXXIV. § 4. b) in Caracalla sub init. c) Heriz. Alban. p. 56. d) in Se-
vero c. 7. e) in Pertin. c. 15. f) in Chronico. g) In Iuliano L. II. c. 10. h) in
Severo L. II. c. 14. i) in Caesariis.

ex monumentis publicis semper exulavere, neque hercle ausi essent monetarii ea inferre numis, et Severus jam in numis iis, qui signati fuere, antequam de ejus parsimonia, et acerbitate constaret, Pertinacis nomine gloriatur.

• Cognomen istud in omnibus ejus numis inde ab adito principatu legitur usque ad tribunatum VII., seu annum V. C. 952, quo anno a succedente *Parthici Maximi* titulo extrusum est, neque deinceps me in alio numo legere memini, dempto uno maximae formae, quem descripsi ad annum V. C. 960, sed qui ob hanc, tum plures alias causas mihi suspectus habetur. Neque minor eum, quem recitat Harduinus, a) qui Severum adhuc in tribunatu X., et consulatu III. Pertinacem appellat. Numus fertur argenteus, ac propterea tanto magis suspectus, quia forte subaeratus, quam susceptionem confirmat scriptus in utraque numi parte P. M. titulus. Si Spartianum audias, b) ipse Severus nomen istud aboleri voluit, *querimonia*, ut ait, *amicorum*. Haec oratio cum suapte nihil habet probabilitatis, constanté per omnes ordines in Pertinacem adfectu, tum copiose refutatur a marmoribus veteribus, quorum illa quoque, quae sub ejus excessum posita sunt, *Pertinacem* Severum appellant. Saepe in numis tituli veteres propter contractius spatium a recens natis loco moventur, quae tamen a marmoribus omnia recipiuntur. Sic et *Parthicum Maximum* haud multo serius extrusit PIVS.

Pius.

Hoc titulo Severus in numis suis mihi cognitis nonnisi anno V. C. 954 uti incipit. At marmora eum jam in tribunatu III., seu V. C. 948. *Pium* agnoscunt. c) Quin et in averfa numorum Caracallae Caesaris, qui omnes ante annum V. C. 951 percussi sunt, jam reperimus scriptum: SEVERI. AVG. PII. FIL. Ergo jam pridem nomen istud sibi proprium fecit. At ex quo illud in monetam suam recepit, usque ad exitum retinuit constantem. Tempus ergo adoptati ejus tituli haud dubie est ejus tribunatus III., nam tribunatus II. marmora omnia eo abstinere, d) marmora tribunatus III. alia illo carent, e) alia adferunt, ut dixi. Et vero in eodem tribunatu III., nempe V. C. 948 vidimus, Severum se M. Aurelio adoptandum dedisse, et sese in numis scripisse DIVI. M. PII. *Filium*. Quare et ipse velut a patre hereditarium hunc sibi titulum adscivit cum filiis quoque communicatum, ut in his dicitur.

Invictus.

Hoc elogio decoratur in averfa numi Getae Caesaris: SEVERI. INVICTI. AVG. PII. FIL., item in numo supra V. C. 954 descripto, in cujus antica ipse et Caracalla dicuntur: IMPP. INVICTI. PII. AVGG. Numis adde complura marmora. Titulum hunc sibi promeruit ex bello Parthico summa virtute gesto. In numis imperatorum inferioris aevi, praecipue Probi, hic titulus obvius.

a) Hist. Aug. ad V. C. 56.

b) in Severo c. 7.

c) Grut. p. 266. 6. Chandler Inscr.

ant. p. 17.

d) Gruter p. 263. num. 3. 4. 5. 6.

e) Ibid. p. 40. 12. Murat. p. 139. 2.

*Arabicus, Adjabenicus, Parthicus Max.,
Britannicus, Ponticus.*

Nimirum decora per bellicam virtutem parta. Priorum titulorum originem, et finem jam per ipsos annos exposuimus. Superest titulus *Pontici*, quem numi hactenus cogniti non memorant, at inter alios victarum gentium titulos jactat insigne marmor a Muratorio vulgatum. ^{a)} Probabile est, captum hoc nomen ex Byzantio ad obsequium reducto, quod Ponto aditum fuit, et cujus deditio propter obsidionem et difficultatem, et durationem justae victoriae instar fuit, qua audita Severus in Mesopotamia tum absens tantam cepit voluptatem, ut progressus ad milites dixerit: *tandem et Byzantium cepimus.* ^{b)}

Consul.

Severum ter, neque amplius processisse consulem constat. Ejus magistratus iterati modum jam in annalibus dedimus. Idud hactenus citra exemplum, quod consulatus I., qui alias solo COS. notari solet, scripto COS. I. indicetur, quod quidem imitati sunt etiam monetarii Albini. Eodem modo in Severi numis legimus IMP. I., sed et hoc nullo adhuc exemplo. Etiam in Aemiliani numis praeter morem scribitur TR. P. I.

Imperator.

Continuo diximus, in Severi moneta

legi scriptum IMP. I., perinde atque legitur etiam COS. I. Nova isthaec ratio etsi nihil turbat in consulatum oeconomia, nonnihil tamen in imperatoris titulo molesta est. Nam hactenus cum prima principi victoria parta est, is continuo dictus fuit IMP. II., quoniam *imperator* per ipsum ad imperium aditum jam fuit. Possumus igitur colligere, veterem hunc morem a Severo fuisse infractum.

Ex quibus victoriis imperatorum honorem iteraverit, in antalibus stabilire laboravimus. Ceterum annus V. C. 954 postremus est, cujus numi, quod mihi constet, eum titulum una cum numero addant. Obiit tum tribunatum IX., diciturque imperator XI. Scriptum IMP. XIII. videre sibi visus est Khellius in denario musei S. Floriani Austriae superioris. Verum cl. Neumannus, qui numum iterum inspexit, legendum docet IMP. VIII. Deinceps subsidium ex marmoribus etsi mire dissidentibus. Colligi tamen potest, adhuc in tribunatu XIII. veterem numerum non auxisse. ^{c)} Tandem in tribunatu XVIII. eum imperatorem XII. salutatum videmus. ^{d)} Verisimiliter hic honos accessit tum, cum propter victorias Britannicas *Britannici* titulo honoratus fuit. Secundum numos Mediobarbi in tribunatu XV. dicitur IMP. XII., et in tribunatu XVIII. IMP. XIII., sed aliis singularia haec cimelia sunt ignota.

^{a)} Pag. 347. 2.
^{3.} et p. 157. 7.
(Vol. VII.)

^{b)} Dio L. LXXIV. 14.

^{c)} Gruter p. 265. 5.

^{d)} Gruter p. 265.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

* Tam urbium liberarum, quam coloniarum obvii, demptis Alexandrinis, ut dictum.

IVLIA DOMNA.

Domo Emefa Syriae. ^{a)} Ejus genus explicatius dabimus infra in Elagabalo. Quod claritati generis defuit, nam fuit ordinis plebèii, ^{b)} supplevit genitura, quae ejus fuit naturae, ut regi aliquando necessario jungenda esset. Quod cum intelligeret Severus adhuc privatus, et peritissimus ipse astrorum, eam sibi regnandi cupidus post uxoris Martiae mortem matrimonio junxit. ^{c)} Quo minus factum istud ultra annum V. C. 928 differatur, vetat manifestum Dionis testimonium, adserentis, Faustinae Marci uxorem utriusque nuptiis apparasse thalamum in templo Veneris, quod juxta palatium est. ^{d)} Nam in hoc anno Faustina in Orientem cum marito profecta per iter mortua est, ut diximus. Et si libidinis infamia graviter laboravit, et de infidiis etiam in maritum suspecta fuit, apud eum tamen gratiosa ad exitum usque mansit. ^{e)} Propter pravos

hos mores cum eam Plautianus praepotens Severi amicus nullo non tempore criminationibus peteret, philosophari et agere cum sophistis coepit. ^{f)} A filio quoque Caracalla mortuo marito in honore habita tantum abfuit tamen, ut unire maternis precibus dissidentes filios Augustos posset, ut videre etiam Getam in sinu suo a fratre interemptum, et semetipsam filii sanguine conspergi cogeretur. Ejus mortem cum acerbius fleret, parum aberat, quin parricidium in ea geminaret. ^{g)} Dissimulavit deinde dolorem, ut benevolum sibi filium redderet, a quo amplos etiam honores, et auctoritatem non vulgarem nacta est, etsi non raro damnata ejus infamia honesta, et utilia suaderet. ^{h)} Vulgasse corpus suum filio, ejusque celebrasse nuptias, narrant Spartianus, ⁱ⁾ Eutropius, ^{k)} et Victor, ^{l)} atque eodem pertinet virulentum Alexandrinorum scom-

a) Herodian. in Macrino. b) Dio L. LXXVIII. § 24. c) Spartian. c. 3. d) L. LXXIV. § 3. e) Victor in Caesarib. Spartiani. f) Dio L. LXXV. §. 15. g) Spartian. in Carac. c. 3. h) Dio L. LXXVII. § 18. i) in Carac. c. 10. k) in Caracalla. l) in Caesarib.

ma, *Iocastam* per ludibrium Domnam appellantium.^{a)} Quo tempore Caracalla a Macrino caesus est, Antiochiae substitit, atque tum, quem vivum ode- rat, coepit lugere e vivis ereptum, quoniam vita privata intolerabilis videbatur, statuitque inedia vitam finire jactis in Macrinum diris omnibus et opprobriis. Mox omisso mortis desiderio coepit refumere animos, cum videret, a novo Augusto benigne se per literas compellatam, nihilque sibi cultus regii ademptum. At cum hic persentiret, non obscure ab ea imperium affectari, discedere illam Antiochia, quo vellet, iussit. Quare instaurato vitae finiendae proposito negatis corpori alimentis mortem sponte oppetiit. Ejus cadaver translatum Romam primum Caii et Lucii monumento illatum, post a sorore Maefa una cum Getae ossibus in Antonini heroum traductum est. Haec Dio.^{b)} Haec Maefa a sorore Domna claritudinem nacta Soaemiadis et Mamæae mater exstitit, quarum illa Elagabalum, haec Alexandrum enixa est, utrumque fato ad imperium destinatum.

Liberi:

I. *Caracalla*. Hujus matrem fuisse Domnam, ex pluribus Dionis et Herodiani coaevorum testimoniis constat. Aequalis item Oppianus sic Caracallam adfatur: ^{c)}

Τὸν μεγάλη μεγάλη φυτῆσατο Δομνα
Σεβηρω,

Quem magna magno peperit Domna
Severo.

ut mittam copiosa marmora, et numos, in quibus ea dicitur MATER. AVGG., ac speciatim marmor Muratorii,^{d)} Graecum Sponii,^{e)} et aliud Pocockii.^{f)} Accessere haec testimonia tanti non fuerat, nisi Eutropius, Victor,^{g)} Orosius, ac cum primis Spartianus non uno loco Martiam Caracallae matrem, Domnam, novercam aperte statuerent. Quae fides habenda inferioris aevi scriptoribus, quando vel in ipsis principum parentibus surpiter adeo fallunt? Accedit, Martiam jam saltem anno V. C. 928 in vivis amplius non fuisse, ut paullo supra probavi, et Caracallam non nisi anno 941 lucem vidisse. Quorum denique tanta ejus in Domnam studia, si noverca tantum fuisset?

II. *Geta* postea Augustus, de quo infra.

III. Tulit quoque liberos sexus muliebris, quos negligo, quia numis, et claritudine caruere. De his vide Tillamontium.^{h)}

Numi:

- A. IVLIA. AVGVSTA. in omni metallo et forma.
B. IVLIA. DOMNA. AVG. in omni metallo et forma.
C. IVLIA. PIA. FELIX. AVG. in omni metallo et forma.

Qui numi inscribuntur IVLIA. DOMNA. AVG., sunt omnes fabricae hylcae, sed indubitatum etiam, eos si-

a) Herodian. in Carac. 1088. 2. e) Miscell. p. 329.

b) L. LXXVIII. § 23. 24. f) Inscr. ant. P. 63.

c) de Venat. l. 1. 4. g) in Caesaribus.

d) Pag. h) Nota VI. in Sever.

gnatos primis Severi annis, quo tempore omnis hujus gentis moneta squallet. Deinceps abolitum in numis Domnae nomen, ut dicitur infra in *Nominibus*.

Vt copiosi sunt Domnae numi, atque esse debent, nam non modo per totum mariti imperium, sed et filii signati sunt, sic et eximie variae sunt partes averfae, sed quae parum pro varietate sua instruunt, cum earum typi plerumque *Concordiam, Fecunditatem, Pudicitiam, tum Cererem, Iunonem, Venerem, Vestam*, nimirum decantata illa in Augustarum numis, memorent. Quare ex omni apparatu paucos tantum excerpam, qui aliquid ad praefens institutum utile adferunt.

Vt lit. B.

AEQVITAS. II. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Similem averfam jam descripsimus in numo Severi ad annum V. C. 946, quem vide.

Vt lit. A.

FECVNDITAS. *Mulier humi sedens s. racemum; et simul canistro innititur, d. globum astriferum contingit, per quem quatuor parvae figurae incedunt.* AV. AR. (Mus. Caes.)

In numis Hadriani, et Commodi ad annum V. C. 940 juxta simillimum typum scriptum legitur: TELLVS. STABIL. Ergo utramque variam epigraphen uni eidemque typo applicando indicatur *tellus* per procuratam matrimoniorum ope mulierum *fecunditatem stabilita*, ut ad laudatum Hadriani numum diximus.

Vt lit. B.

LIBERAL. AVG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes. Pellerin Additions p. 3.)

Haec averfa Augustarum numos nondum invasit, quoniam Augustorum erat liberalitates publicas praestare. At enim Domna, quae imperante primum marito, deinde filio plus ausa est, quam feminam deceret, has quoque imperantis partes attentavit, ut praefens numus docet. Verum qua ratione, aut quorsum liberalis fuerit, nosse non datur.

Vt lit. A.

MATER. AVGG. *Cybele in quadrigis leonum d. ramum.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.)

Non aliud gravius in numis servilis adulationis argumentum. En Domnam omni Cybeles cultu propositam, cumque haec Mater deorum, illa Caracallae, ac Getae fuerit, en hos quoque juvenes Augustos subtili ingenio diis aequiparatos. Signatus est hic numus, ex quo Geta quoque Augusti honores adeptus est.

Vt lit. C.

MAT. AVGG. MAT. SEN. M. PATR. *Mulier stans, vel sedens d. spicas, s. hastam.* AV. AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

MATER. (in aliis MATRI.) CASTRO-RVM. *Mulier velata stans ante aram d. pateram, s. acerram, pro qua in aliis caduceum, ex adverso duo, in aliis tria signa militaria.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Matrem Castrorum jam vidimus Faustinae juniorem, et videbimus adhuc Mamaeam ejus ex sorore neptem. At *Matrem Senatus*, et *Matrem Patriae* una Domna appellare se in numis est ausa.

Enim vero Caracallam matri curam libellorum, et epistolarum, utriusque linguae commisisse, suis ad senatum epistolis, cum se atque exercitum valere scriberet, addidisse semper et matrem, eamque a primariis viris perinde ac se voluisse salutari, refert Dio.^{a)} Quare mirum non est, eam tanto fastigio adfuetam aegre tulisse ad privatum se statum redigi, et probabiles sunt insidiae, quas eam intentasse Macrino supra ostendimus. Matris Castrorum, et Patriae nomen eam jam tulisse quarto imperantis mariti anno, liquet ex marmore Muratorii.^{b)} Etiam in numo Paltenorum Syriae dicitur $\text{CTPατονεδς MH-τηρ, castrorum mater.}^c)$

Vt lit. C.

S. P. Q. R. IVLIAE. AVGVST. *Carpentum a binis mulis tractum.* AE. max. mod. (Mus. Pisan.) *Fere similis alius, sed* AE. I. (Vaill.)

Carpenti honorem a senatu vivae adhuc Domnae decretum in hac ejus potentia tanto minus mirum, cum et hunc honorem Messalina Claudii, Agrippina altera, et Faustina junior, impotentis omnes animi feminae sibi pridem extorserint, ut in harum numis vidimus.

Vt lit. B.

VICTOR. IVST. AVG. *Victoria sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Aversa in Domna rarissima, et forte unica. Magis obvia in Severo, et Pescennio, et si in his sit Victoria gradiens, non sedens.

Diva Domna.

Consecratam eam fuisse scriptorum veterum nemo prodidit, at istud docent numi. Factum istud curante Elagabalo, cui per matrem Soaemiam sanguinis nexus cum Domna fuit, satis ipsa ratio persuadet.

DIVA. IVLIA. AVGVSTA. *Caput velatum.*

CONSECRATIO. S. C. *Domna d. hastam velo per caput sinuato a pavone sursum fertur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

CONSECRATIO. *Pavo.* AR. (Beger Thes. Brand. T. II. p. 696. (Vaill.)

Numi commatis peregrini.

Numi tam *urbium liberarum*, quam *coloniatarum* copiosissimi exstant. At rarissimi *Alexandrini*, ut dictum suo loco.

NOMINA ac TITVLI.

Domna.

Nomen istud sitne originis Syrae, an Latinae, et contractum ex *Domina*, a variis disputatum. Posteriori sententiae adhaesit Pellerinius, statuitque, id nomen mulieri per arrogantiam quaesitum, at cum *Domini* appellatio Romanis invisa esset, mitigatam ab ea nominis invidiam scribendo, *Domna* pro *Domina*. Sane nomen *Domna* non esse Syrum, probat numo Cyzicenorum, in quo princeps eorum dea Proserpina dicitur: ΔΟΜΝΑ. ΣΩΤΙΡΑ.^{d)} Haec viri eximii

a) L. LXXVII. §. 18.

b) Pag. 1088. 2.

c) Sefini Lettere T. V. p. 66.

d) Additions p. 4.

ratio si solida est, necesse erit, neque nomina ΚΑΒΙΡΟC, aut ΚΑΜΑΡΕΙΘΗC, aliaque plura esse originis peregrinae, quoniam in numis Thessalonicae, et Nyfae Cariae leguntur, in quorum numero Cyzicenorū etiam ΔΟΜΝΑ facile putanda, ut jam in horum moneta obiter disserui. Quod si vocabulum *Domna* eandem habuit significationem, quam *Domina*, nescio sane, an per praetensam hanc contractionem satis elevata fuerit verbi invidia. Ceterum parum moror, cui linguae vox *Domna* natales suos debeat. Tamen nomen istud mulieri fuisse patrium, facile ex aliis ejus familiae nominibus colligi potest. Nam ut omnes ex hac feminae *Iuliae* vocabantur, et habuere cognomina Maesae, Soaemiadis, Mamaeae, barbara sine dubio, et nativa, sic et nostrae Severi *Iuliae* inditum jam olim *Domnae* nomen ex quacunque lingua, et non ex *Domina* detortum verisimile est. Certe Oppianus in versu, quem supra in *Domnae* liberis citavi, hanc Severi uxorem simpliciter *Domnam*, velut proprium ejus nomine appellat. Et fuit vetus mos non apud Syros modo, sed ipsos etiam Palmyrenos cum viros, tum feminas, ut patrio suo nomini aliud gentile Romanum praefigerent, de quo lege disputantem Renaudotium. ^{a)} Citare Pellerinius in rem suam poterat marmor repertum in in-

fula Arbe, quod post Passerium edidit Donatus: ^{b)} IVLIAE. DOMINAE. AVGVSTAE., at novimus, quanta sit marmorum municipalium auctoritas. Enim vero Suidas explicans verbum Δομνος, nequaquam, ait, esse honoris vocabulum ex Latino translatum, sed esse ὀνομα κρυιον, nomen proprium. Ergo idem de *Domna* intellige. Vide et Tristantum ^{c)} et Spanhemium ^{d)} mecum sentientes. Ceterum cum videam, complures numos, quibus inscriptum *Domnae* nomen, eosdem habere typos, quos videmus in numis Severi, qui primis ejus imperantis annis prodivere, in illis vero, quos seu propter vocabulum AVGG., seu propter alias causas serius signatos intelligimus, illud constanter abesse, certum videtur, primis *Domnae* annis deberi numos hoc nomine notatos, deinceps autem illud, forte propter ipsam peregrinitatem fastiditum, et ex moneta abesse jussum. In numo Alexandrino dicitur adhuc *Domna* labente anno VIII., qui coepit exeunte Augusto V. C. 952, quin et annis XII. XIII.

Pia Felix.

Haec nomina mulieri haud dubie tum dari in numis coepta, quando filius *Cacalla* iis uti coepit.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei - - - - - R.

a) Mem. B. L. T. II. p. 528.
d) T. II. p. 294.

b) ad Thef. Murat. p. 145. 6.

e) T. II. pag. 119.

CARACALLA.

199.

Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

De numis *commatis peregrini* actum supra.

MARCUS AVRELIVS ANTONINVS.

vulgo CARACALLA.

Pater ei fuit Severus Augustus, mater Iulia Domna, quam perperam ab aliis ejus novercam statui, dixi supra in liberis Domnae. Natus est Lugduni Galliae, cum eam provinciam pater regeret, V. C. 941 secundum Dionem die IV. Aprilis, ^{a)} secundum Spartianum die VI. Aprilis, ^{b)} Nato inditum nomen *Bassiani*, et quidem ex Victoris sententia ^{c)} ex avi materni nomine. Ejus pueritiam blandam, ingeniosam, parentibus aequae ac populo jucundam, ac longe alienam ab ea immanitate, quae profectionem ejus aetatem infecit, multum commendat Spartianus. ^{d)} Primis patris imperantis annis in privato adhuc statu mansit. At cum hic anno V. C. 949 ex Mesopotamia adversus Albinum proficisceretur, ex itinere apud Viminacium *Caesarem* eum creat, et pro Bassiano *M. Aurelium Antoninum* appellat. ^{e)}

V. C. 949. P. X. 196.

CAESAR. PRINCEPS. IVVENTVTIS.

M. AVR. ANTONINVS. CAES.
Caput nudum.

SECVRITAS. PERPETVA. *Pallas stans d. clypeum, f. hastam.* AR. AE. I. (Muf. Caef.)

Eadem aduersa.

SPEI. PERPETVAE. *Spes gradiens.* AR. AE. I. (Muf. Caef.)

V. C. 950 P. X. 197.

CAESAR. PRINCEPS. IVVENTVTIS.
Incipit PONTIFEX.

In collegia pontificum hoc anno cooptatur testibus fastis pontificalibus apud Gruterum: ^{f)}

LATERANO. ET. RVFINO. COS.
SVPER. NVMERVM
COOPTATVS. EX. S. C.
M. AVRELIVS. ANTONINVS
CAES. DESTINATVS
P. R. C. A. DCCCCXLVII --

A. M. AVR. ANTONINVS. CAES.
Caput nudum in omni metallo, et forma.

B. M. AVR. ANTON. CAES. PONTIF.
Caput nudum in omni metallo, et forma.

a) L. LXXVIII. § 6. b) in Carac. c. 6. c) in Epitome. d) Cap. 1. e) Spartian. in Severo c. 10. f) Pag. 300.

Vt lit. B.

IMPERII. FELICITAS. — MARTI.
VLTORI. — PIETAS. — PRINCIPI.
IUVENTVTIS. — SECVRITAS. PER-
PETVA. *Omnes cum suis typis, iisque
obyiis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

SEVERI. AVG. PII. FIL. *Instrumenta
pontificalia.* AV. AR. AE. I. II. (Mus.
Caes.)

Omissus pontificis titulus in his nu-
mis typo instrumentorum pontificalium
suppletur.

Eodem anno :

DESTINATVS IMPERATOR.

Vt lit. B.

DESTINATO. IMPERAT. *Lituus, a-
pex, tripus, simpulum, retro sceletus ca-
pitis bovini.* AR. (Mus. Caes.)

Numum hunc his verbis explicat Spar-
tianus: ^{a)} *Caesarem deinde Bassianum fili-
um suum Antoninum a senatu appellari ius-
sit decretis imperatoriis insignibus.* Factum
istud, quando Romam victo Albino re-
divit, et antequam ad bellum Parthi-
cum exiret, quod est anni praesentis.
Copiosa etiam marmora Caracallam *de-
stinatum imperatorem* appellant, quae vi-
de apud Gruterum, ^{b)} et Muratorium. ^{c)}
Eodem modo Cenotaphium Pisanum Ca-
cium Caesarem Agrippae F. vocat *jam
designatum, iustissimum, ac simillimum pa-
rentis sui virtutibus principem, nempe
Augusti, qui adoptavit, et Titum im-
peratorem designatum* in numis dictum

vidimus ad annum V. C. 324. Typus
averfae ad Caracallae pontificatum re-
fertur, de quo egimus proxime.

Antica incerta.

LIB. AVG. II. *Typus congiarii.* AV.
(Vaill.)

Caracallam vivo patre eosdem libe-
ralitatis numeros monetae suae inscri-
pisse, copiose in Geta ad annum 964
probabimus. Cum igitur Severi liberali-
tas II. fuerit anni praesentis, necesse est,
numum hunc a Vaillantio tam parce de-
scriptum ad annum hunc pertinere, nisi
forte hic numus verius est Elagabali.

V. C. 951. P. X. 198.

AVGVSTVS TR. POT. FONT.

Caracalla Augustus a patre et mili-
tibus dicitur, et trib. potestate donatur.
De vero utriusque suscepti honoris tem-
pore agam copiose in tractatu de trib.
potestate.

- A. ANTONINVS. AVGVSTVS. *Ca-
put laureatum in AV. AR. radia-
tum in AE. II.*
- B. IMP. CAE. M. AVR. ANT. AVG.
P. TR. P. *Caput laureatum in
AV. AR.*
- C. IMP. CAES. M. AVR. ANT.
AVG. P. TR. P. *Caput laureatum
in AV. AR.*
- D. IMP. CAES. M. AVR. ANTON.
AVG. *Caput laureatum in AV.
et AR.*
- E. IMP. C. M. AVR. ANTONINVS.
PONT. AVG. *Caput laureatum
in AR.*

a) in Severo c. 14

b) Pag. 191. 3. — 267. 8. 9. — 300. col. 2. — 1085. o.

c) Pag. 1088. a

Vt lit. A.

BONVS. EVENTVS. *Deus nudus stans ante aram d. pateram, s. spicas.* AR. (Mus. Caes.)

Hanc averfam jam dedimus in mone-
ta patris.

Vt lit. E.

IMPERII. FELICITAS. *Mulier stans d. saduceum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

IVVENTA. IMPERII. *Caracalla paludatus stans d. Victoriolam s. hastam, pro pedibus captivus.* AR. (Mus. Caes.)

Haec averfa se ipsam explicat. De IVVENTA jam egimus in numis M. Aurelii inscriptis IVVENTAS anni V. C. 893.

Vt lit. A.

SEVERI. PII. AVG. FIL. *Idem typus.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Exstant adhuc plures alii cum aliis averfis, at his obviis, et qui, cum trib. potestatem omittunt, proxime sequentes annos non abnuunt.

V. C. 952. P. X. 199.
TR. P. II. PONT.

Cum patre in Oriente versatur.

A. ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum in AR.*

B. IMP. CAE. M. AVR. ANT. AVG. P. TR. P. II. *Caput laureatum, in AR.*

(Vol. VII.)

Vt lit. A.

PONT. TR. P. II. *Securitas sedens.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 953. P. X. 200:

TR. P. III. PONT.

Incipit PART. MAX.

In Oriente cum patre bello Parthico interest.

ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

PONTIF. vel: PONTIFEX. TR. P. III. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem averfa.

P. MAXIMVS. TR. P. III. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Exstant quoque numi inscripti in averfa: P. MAX. TR. P. III. COS., quos indicabimus ad annum V. C. 955. Mira in speciem in Caracalla est epigraphe P. MAX. Exstant numi patris Severi ejusdem hujus anni, in quorum antica is dicitur PART. MAX., in averfa P. MAX., id est: *Pontifex MAXimus*. At facile quivis intelligit, literam P. in Caracalla significare non posse *Pontifex*, qui vivo patre pontifex maximus non fuit, ac praeterea in numis aliis omnibus antea, ac post, quin et in eodem hoc tribunatu III. signatis nonnisi PONT. vel PONTIFEX compellatur. Ergo haec ipsa causa persuadet, easdem literas esse *Parthicus MAXimus*, praecipue cum eodem tempore Severus quoque hoc ipso titulo usus fuerit, et eundem deinceps quoque in ejusdem Caracallae numis frequenter simus visuri,

V. C. 954. P. X. 201.
TR. P. IV. PONT. COS. DES. PART.
MAX.

Cum patre Antiochiam regressus togam virilem accipit, et consul in annum sequentem designatur. ^{a)}

ANTONINVS. AVGVSTVS. Caput laureatum.

AETERNIT. IMPERL. Capita adversa laureata Severi et Caracallae. AR. (Mus. Caes.)

Hunc ejusque similes numos, qui Severi familiam offerunt, jam vidimus in moneta Severi ad hunc annum. Quare cum in hac videri possint, hoc loco repetere inutile. Hujus temporis sunt omnes illi, qui Caracallam nondum PIVM dicunt, quem titulum hoc adhuc anno numis intulit, ut mox patebit.

Eadem adversa.

VIRTVS. AVGG. PONT. TR. P. III. S. C. Imperator paludatus stans d. trophaeum contingit, s. hastam. AE. L. (Mus. Caes.)

Eodem anno:
Incipit in antica PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput laureatum.
PART. MAX. PONT. TR. P. III. Trophaeum inter duos captivos humi sedentes. AR. (Mus. Caes.)

Eodem tempore in Severi numis titulus *Parthici Maximi*, qui inde a triennio eorum partem anticam occupavit, in aversam coepit migrare. Caracallae

numi cum in antica non ostentant.

Eadem adversa.

VICT. PART. MAX. Victoria propere graliens. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa, vel in aliis:
IMPP. INVICTI. PII. AVGG.
Capita jugata laureata Severi, et Caracallae.

VICTORIA. PARTHICA. MAXIMA. Idem typus. AV. (Mus. Caes.)

Hi numi testes rei in Parthis bene gestae etiam partem numorum Severi hujus anni constituunt.

V. C. 955. P. X. 202.
TR. P. V. COS. PONT. PIVS.

Consul in Syria conlega patre procedit. Cum patre in Aegyptum proficiscitur, hinc Romam revertitur, et Plautillam ducit. Vide Severum, et numos sequentes.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput laureatum.
ADVENT. AVGG. in aliis: AVGVSTOR. Triremis. AR. (Mus. Caes.)

Insignes sunt hi numi, qui typo triremis docent, Augustos itinere maritimo ex Aegypto in urbem reversos, non terrestri per Cappadociam, Bithyniam, Illyricum, ut visum Tillemontio, ex quo arguit celeberrimus hic vir, Severum, quoniam regiones tantopere distitas adiverat, hoc anno advenire Romam non potuisse, sed factum istud denique esse anno sequente. (Vide Severum ad annum praesentem.) In numis

a) Spartian. in Severo c. 16.

Severi hujus anni, inscriptis item : ADVENT. AVGG. Severus cum duobus filiis eques proponitur. Nimirum in his notatur ingressus in urbem, in numis Caracallae ipsum iter maritimum. Nemo vero, credo, opinabitur, numis his, de quibus agimus, indicari posse Caracallae cum Geta ex Britannia mortuo patre reditum. Nam praeterquam quod ex Britannia rediri per Oceanum, et mediterraneum mare in urbem non solebat, ipsa etiam puerilis Caracallae facies, quam hi numi sistunt, anno V. C. 964 aperte resistunt, quo is promissa jam barba fuit.

B. ANTON. P. AVG. PON. TR. P. V. COS. *Caput laureatum.*

ADVENT. AVG. Severus, Caracalla, Geta in equis citatis d. elata. AV. (Vidi numum, sed ubi, notare neglexi.)

Vide, quae de hoc numo in Severi annalibus ad hunc annum adverti.

C. M. ANTONINVS. PIVS. AVG. PON. TR. P. V. (*si modo haec epigraphæ rite lecta.*) *Caput laureatum.*

ANN. AVG. SAECVLI. FELICISSIMI. *Annona stans cum cornucopiae, ad pedes modius cum spicis.* AE. II. (Harduin-Opera sel. p. 801.)

Propter insolentem utriusque partis epigraphen recitandus hic numus visus.

Vt lit. A.

AVGUSTI. COS. Severus et Caracalla togati sedentes in suggestu, hinc lictor cum virga, illinc figura togata. AV. (Mus. Caes.) AR. AE. II. (Vaill.)

Conservata in hoc numo memoria utriusque consulis Augusti hujus anni, quod rari hactenus exempli. Similem, sed aeneum, in Severi moneta ad hunc annum vidimus.

Vt lit. A.

CONCORDIA. FELIX. Caracalla et Plautilla stantes dexteris jungunt. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

CONCORDIAE. AETERNAE. *Capita jugata Severi radiatum, Domnae impositum lunae.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PLAUVILLAE. AVGVSTAE. *Caput Plautillae.* AV. (Vaill.)

Vt lit. B.

PROPAGO. IMPERI. Caracalla et Plautilla stantes dexteris jungunt. AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEPTA. X. vel : VOT. SVSC. DEC. PON. TR. P. V. COS. *Imperator velatus stans d. pateram ad aram sacrificat.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEPTA. XX. *Severus velatus, et Caracalla paludatus s. hastam stantes ad tripodem sacrificant intermedia figura velata. In alio : Caracalla solus super tripode sacrificans, juxta tibicen, popa, victima.* AR. (Mus. Caes.)

De his votis actum in Severo ad eundem annum.

His jungendi numi sequentes.

ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

PART. MAX. PONT. TR. P. III. COS. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. MAX. TR. P. III. COS. *Imperator velatus stans ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes. Mus. Medic. Liebe p. 262.)

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

PART. MAX. PONT. TR. P. V. *addito, vel sine* COS. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

Priores duo per TR. P. III. annum praecedentem, per additum COS. annum praesentem pro mea sententia exigunt, quorum examen in tractatum de trib. potestate differo. De numo altero inscripto P. MAX. vide dicta ad annum V. C. 953.

V. C. 956. P. X. 203.

TR. P. VI. COS. PONT. PIVS.
Desinit PART. MAX.

Acta hujus anni vide in Severo.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. VI. *Caput laureatum in AE. II.*

Vt lit. A. vel B.

INDVLGENTIA. AVGG. IN. CARTH. *Dea d. fulmen, s. hastam leoni currenti insidens, juxta rupes, ex qua aqua promanat.* AV. AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Hunc numum explicatum vide in Severo ad eundem hunc annum. Existat

etiam in Caracallae trib. potestate VII.

Vt lit. A.

III. LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Lineamenta oris in hoc numo annum praesentem exigunt. et si congiarii hujus causa ignoretur.

Vt lit. A.

PONT. TR. P. VI. COS. *Figura militaris stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 957. P. X. 204.

TR. P. VII. COS. DES. II. PONT. PIVS.

Ludi saeculares hoc anno acti. Vide numos Severi.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. VII. *Caput laureatum in AE. I. II.*

Vt lit. B.

ARCVS. AVGG. S. C. *Arcus triumphalis trium portarum, atuis superne ornatus.* AE. II. (Morelli Specim. p. 183. Vaill.)

Egregium istud monumentum eodem cultu, quem nobis hic numus sistit, adhuc Romae ad radices montis Capitolini conspicitur, licet parte sui non exigua defossam terra, et plerisque ornamentis suis aetatis injuria spoliatum. Quae ejus erigendi fuerit causa, quod tempus, docebit titulus ejus fronti inscriptus, quem proponere totum lubet, ut eum ex autographo exceperit Barthelemyus. *)

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI
AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET. PARTHICO
ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. COS. III.
PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO
FELICL. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. (P. P. OPTIMIS
FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS.) OB. REMPUBLICAM. RESTITVTAM
IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM. INSIGNIBVS
VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

(Verba unciis inclusa operi coeva non sunt, sed saeffecta in locum nominum Getae: ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI., quae post ejus caedem fratris furor ex monumentis publicis eradi iussit.)

Ex illustri hoc epigrammate discimus, arcum hunc anno praecedente fuisse positum.

Vt lit. A. et B.

COS. LVDOS. SAECVL. FEC. — AV. AE. II. *In aliis:* COS. LVD. SAEC. FEC. S. C. *In aliis:* SAECVLARIA. SACRA. S. C. *Typi, ut in Severo ejusdem argumenti.* AE. I. II. (Mus. Caef. Reginae Christ.)

De his ludis actum in moneta Severi.

C. ANTON. P. AVG. PON. TR. P. VII. *Caput laureatum.*

DI. PATRII. *Hercules et Bacchus stantes cum suis singuli attributis.* AV. (Morelli Specim. p. 72.)

Ambo dii sic stantes in numis Severi vocantur *Dii Auspices*, (Vide annum V. C. 947.) at in Caracalla et Geta DI. PATRII, quo haud dubie cultum hunc a patre hereditarium profitentur.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. V. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caef.)

Lineamenta in hunc annum cadunt, quo arguitur, datum hoc congiarium causa ludorum saecularium, ut dixi ad similem Severi numum hujus anni.

V. C. 958. P. X. 205.
TR. P. VIII. COS. II. PONT. PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

COS. II. *Caracalla in lentis quadrigis s. scipionem cum aquila.* AV. AR. (Mus. Caef.)

Sunt numi similes Getae, sed cum solo COS., nempe hoc anno una processere fratres, Caracalla COS. II., Geta COS. primum.

Eadem adversa.

IMP. ET. CAESAR. AVG. FILI. COS. *Severus in suggestu sedens inter Caracallam et Getam.* AR. (Mus. olim de France.)

Aversae epigraphe sic legenda: *Imperator (Antoninus) et Caesar (Geta) Augusti (Severi) filii consules*, nimirum qui hoc anno una processere, ut continuo diximus.

V. C. 959. P. X. 206.
TR. P. IX. COS. II. PONT. PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

PONTIF. TR. P. VIII. COS. II. *variis typis*. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 960. P. X. 207.

TR. P. X. COS. II. DES. III. PONT. PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum*.

PONTIF. TR. P. X. COS. II. *variis typis in omni metallo et forma*.

V. C. 961. P. X. 208.

TR. P. XI. COS. III. PONT. PIVS.

Decennales suos celebrat. Caracalla. Ad bellum Britannicum cum patre proficiscitur.

- A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
 B. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. II.*
 C. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas stans*. AR. (Mus. Caes.)

Facies Caracallae in hoc numo certe est hujus anni, et eandem liberalitatem VI. tam in numis Severi, quam Getae ad eundem hunc annum habemus, nimirum collatam, antequam in Britanniam proficiscerentur. Qua ratione rursus in numo Caracallae anni V. C. 964 notari potuerit, cum in hoc, tum uberiorius in Geta ad hunc annum exponemus.

Vt lit. A, vel B.

PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *variis typis*. AR. AE. II.

Vt lit. A. vel B.

PROF. AVGG. PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *variis projectionis typis*. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Pertinent hi. numi ad iter ab Augustis in Britanniam hoc anno institutum.

Vt lit. A.

VOTA. SOLVT. DEC. COS. III. *Imperator velatus stans d. pateram, s. parazonium super tripode sacrificat, humi jacet bos victima*. AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

VOTA. SOL. DEC. PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *Imperator velatus sacrificans adstantibus tibicine, et victimario*. AE. II. (Vaill.)

Argumentum numi planum. Eadem vota memorat etiam numus Severi apud ipsam Berytum Phoeniciae signatus, in cuius averfa: DECENNALES. ANTONINI. COS. III. (Vaill. in Colon.)

V. C. 962. P. X. 209.

TR. P. XII. COS. III. PONT. PIVS.

Bello cum Britannis interest.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum*.

PONTIF. TR. P. XII. COS. III. *variis typis*.

Eadem adversa.

PROF. AVGG. PONTIF. TR. P. XII. COS. III. S. C. *Imperator eques barbarum hasta dejicit*. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

TRAIECTVS. PONTIF. etc. *Imperator cum copiis ponte navali flumen trajiciens*. AE. I. (Mus. Albani Vol. II. tab. 120.)

V. C. 963. P. X. 210.

TR. P. XIII. COS. III. PONT. PIVS.

Continuatur bellum Britannicum.

- A. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput laureatum in AV. AR. etiam radiatum in AE. II.
- B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput laureatum in AE. I.

Vt lit. A. vel B.

PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. variis typis. AR. AE. I. II.

Eodem anno:
Incipit BRIT.

De collato hoc titulo vide Severum ad hunc annum.

- A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum in AR., etiam radiatum in AE. II.
- B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum in AE. I.

Vt lit. A.

PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. variis typis. AR. (Mus. Caes.)

INDVLG. FECVNDAE. AR. — PROVIDENTIAE. DEORVM. AR. AE. I. II. — SECVRITATI. PERPETVAE. AE. I. II. — VOTA. PVBLICA. S. C. AE. I. II. etc.

V. C. 964. P. X. 211.

TR. P. XIV. COS. III. PONT. PIVS. BRIT.

Q. Epidio Rufo Lolliano Gentiano, Pomponio Basso cof.

- A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum in AR. AE. II.
- B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput laureatum in AE. I.
- C. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput radiatum in AE. II.

Vt lit. A.

PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. variis typis. AR.

Vt lit. B.

VICT. BRIT. TR. P. XIII. COS. III. S. C. Victoria s. pede galeae insistens tropaeum statuit, inde Isis capite tutulato stans, humi captivus sedens. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

VICTORIAE. BRITANNICAE. S. C. Idem typus. AE. II. (Mus. Caes.)

Videtur Caracalla res adversum Britannos prospere gestas Isidi acceptas tulisse. Sane eum huic deae perquam fuisse addictum constat; nam sacra Isidis deportari Romam, et ubique magnifica ei templa fieri iussit. ^{a)}

Eodem anno mortuo patre.

PONT. MAX. P. P.

Die IV. Februarii Severus Ebraoi moritur. Solatis patri iustis funebribus

a) Spartian. c. 9.

cum Caledoniis pacem concludit. Exercitum tentat, ut omisso Geta se unum imperatorem agnosceret. Id cum incasum caderet, concordiam cum fratre simulat. Cum patris cineribus in urbem revertitur. Saepe per iter fratri insidiarius ausus, tamen metu exercitus abstinet.

- A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR., etiam radiatum in AE. II.*
- B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*
- C. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput radiatum in AE. II.*

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu, f. hastam. AR. (Mus. Caes.)*

Similis averfa est etiam in numo Getae, ergo ad hunc Caracallae adventum numus hic pertinet.

Vt lit. A. B. C.

FORT. RED. P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. *Fortuna stans d. cornucopiae, f. hastam, pro pedibus rota. AR. In aliis: Mulier sedens d. gubernaculum, f. cornucopiae, pro pedibus rota. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas stans. AR. (Mus. Caes.)*

Liberalitatem VI. jam vidimus in numo Caracallae anni V. C. 961, tamen utriusque numi aetas iusto intervallo distat. Nam prioris facies perquam juvenilis est, et ex aliorum numorum con-

tentione annum sibi V. C. 961 vindicat; alterius vultus jam barba conspicuus est, et additum BRIT., tum quod hoc primum anno Romam rediit, annum praesentem jure deposcit. Certam tamen numeri non ampliati causam teneo. Quamdiu Severus vixit, Caracalla communem cum patre congiariorum numerum servavit, atque secundum hanc rationem congiarium VI. prioris numi fuit illud, quod distribuit uterque Augustus, cum in Britanniam iter susceptum est, quod revera contigit anno V. C. 961. At mortuo patre Caracalla illorum tantum congiariorum rationem habuit, quibus ipse saltem jam Caesar interfuit; nam liberalitatem I. Severus filio adhuc privato exercuit. Eadem ratione Getam quoque suos liberalitatis numeros digessisse videbimus. Spectata ergo hac liberalitatis anni praesentis revera Caracallae sexta fuit data ob reditum ex Britannis, qui numerus sequente etiam numo comprobatur.

Antica incerta.

LIBERALITAS. AVGG. VI. ET. V. *Caracalla et Geta sedentes congiarium regunt. AV. AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Christinae.)*

Haec averfa in Getae quoque numis hujus anni occurrit. Liberalitas VI. ad Caracallam pertinet, ut vidimus ex superiore numo, Liberalitas V. ad Getam, ut patebit ex hujus ad annum praesentem numis. Certum est, congiarium, quod praesentes numi enunciant, esse ejus anni, in quo sumus, datumque causa reditus ex Britannia, et novi principatus. Sequente anno caesus Geta liberalis esse desit.

Vt lit. A.

P. M. TR. XIII. COS. III. P. P. *variis typis in AV. AR. AE. I.*

Vt lit. B.

VICT. BRIT. P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. S. C. *Typus, ut supra ad similem epigraphen. AE. I. (Mus. Caes.)*

V. C. 965. P. X. 212.

TR. P. XV. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. PIVS. BRIT.

C. Iulio Aspero II. C. Iulio Aspero *cof.*

Caracalla Getam fratrem in sinu matris interficit. (Vide Getam.) Milites criminis atrocitate commoti primum, mox oblatis ingentibus praemiis placantur, Getamque hostem judicant. Excusato senatui parricidio, tanquam ipse petitus insidiis a fratre fuisset, omnes, quorum notus erat in Getam adfectus, aut de eo leviter suspectos ad viginti millia interficit, quos inter fuere Papinianus praefectus praetorio, et celebris jurisconsultus, aliique viri, ac feminae illustres.^{a)}

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. AR., etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VII. *Liberalitas stans. AR. (Mus. Caes.)*

Liberalitatum ordo, ut praecedentem,

et proxime sequentem consideranti patebit, septimam hanc anno praesenti sine dubio adfigit. Erogata certe fuerit ad delinendum populum, quem iratum sibi ob fratris caedem perferit.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. *typis variis in omni metallo et forma.*

V. C. 966. P. X. 213.

TR. P. XVI. COS. IV. P. M. P. P. PIVS. BRIT. IMP. II.

Incipit FELIX, expirat BRIT. intra hunc annum, succedit GERM.

M. Aurel. Antonino Aug. IV. D. Caelio Balbino II. *cof.*

In Gallias hoc anno, aut forte exeunte superiore proficiscitur, eaque atrociter vexata in urbem revertitur. *Germanici* nomen adoptat. (Vide plura infra ad hunc titulum.)

Ordo numerorum hujus anni nihil titulo BRIT., qui adhuc aliquamdiu retentus fuit, sed hoc labente expiravit, et titulis GERM. FELIX. IMP. II., qui modo accesserunt, juvatur. Adeo disjecta omnia, et in quibus rationem non reperias. Quare nullo discrimine omnes, quos ex certis notis ad annum praesentem pertinere video, ordine alphabetico partium averfarum collegi.

A. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

B. ANTONINVS. PIVS. AVG.

^{a)} Dio, Herodian. Spartian, alii. (Vol. VII.)

BRIT. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. II.*

C. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. P. M. TR. P. XVI. *Caput laureatum in AE. max. mod. (Mus. Caes.)*

D. ANTONINVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. Caput laureatum in AE. I.*

F. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV. radiatum in AR. majoris moduli, et nonnullis AE. II.*

G. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

Vt lit. A. B. F.

LIBERALITAS. AVG. VIII. *Liberalitas stans. AR. AE. I. (Mus. Caes.)*

Videmus, Caracallam in liberalitatis hujus VIII. numis jam BRIT. jam GERM. inscribi. Eam hoc anno praesitam certum sit cum ex titulo BRIT., qui in numis annorum sequentium non amplius apparet, tum quod liberalitas VIII. certo est anni proximi. Congiarium istud mox post reditum ex Galliarum manubiiis erogaverit.

Vt lit. C.

IMP. II. COS. III. P. P. S. C. *Imperator in lentis quadrigis d. hastam. AE. max. mod. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. XVI. IMP. II. COS. III. P. P. S. C. *Imperator in lentis quadrigis*

d. ramum, s. scipionem cum aquila coronatur a Victoria retro stante. AE. max. mod. item I. II. (Mus. Caes.)

Quoniam non constat, bellum a Caracalla hoc anno confectum et triumphatum, constat, typo averlae consularem ejus processum anno praesente actum indicari, numosque hos, aut eorum partem mox initio anni, quo recens fuit gratulatio, signatos. Titulum IMP. II. vivo adhuc patre sibi emeruit, ut dicetur infra ad hunc titulum.

Vt lit. A. et E.

P. M. TR. P. XVI. IMP. II. COS. III. P. P. S. C. *Circus. AE. I. (Mus. Caes.)*
Alius max. mod. (Vaill.)

Infantum Circentium studium, quibus inde a puero fuisse deditum narrant scriptores, numi hi testantur. In agitandis sane curribus sese solem imitari ipse professus est teste Dione.^{a)} Ipse auctor Circi creditur, cujus ingentia rudera adhuc exstant Romae. Vide Bianconium.^{b)}

Vt lit. A. B. E. F.

P. M. TR. P. XVI. COS. III. P. P. *variis typis, in omni metallo et forma. (Mus. Caes.)*

Ab his numis docemur, Caracallam jam hoc anno *Felicitis* et *Germanici* titulos collegisse.

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVG. *Imperator paludatus stans vel gradiens d. hastam, pone duo signa militaria, vel alia figura stans, et signum militare tenens. AR. (Mus. Caes.)*

Indicatur Caracallae in Galliam profectio hoc, aut exeunte anno praecedente suscepta.

a) L. LXXVII. § 10.

b) Descriz. dei Circhi p. X. seq.

Vt lit. F. et G.

VENYS. VICTRIX. *Dea stans d. Victoriolam, in aliis galeam, s. hastam cum clypeo etc.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Rarus typus in Augustorum numis, et si perfrequens in moneta Augustarum.

Vt lit. D.

VICTORIA. GERMANICA. *Victoria gradiens cum tropaeo.* AV. (Mus. olim de France.)

V. C. 967. P. X. 214.

TR. P. XVII. COS. IV. P. M. P. P. PIVS. FEL. GERM. IMP. III.

Messalla et Sabino cos.

In Alamannos proficiscitur, eosque ad Moenum fl. superat. ^{a)} In ea expeditione barbaris ipsis habetur deridiculo. ^{b)} Imperator III. dicitur. In Daciam, hinc in Thraciam proficiscitur, et trajecto Hellesponto Nicomediae hibernat. ^{c)}

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AR. etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VIII. *Liberalitas*

stans. AR. (Mus. Caes.) *Typus congiarii.* AV. (Vaill.)

Vt lit. B.

LIB. AVG. VIII. P. M. TR. P. XVII. IMP. III. COS. IIII. P. P. S. C. *Typus congiarii.* AE. I. (Mus. Caes.)

Cum congiaria vix distribui solita sit, nisi cum principes in urbe adessent, vobis videtur hoc numo, Caracallam saltem partem hujus anni Romae exegisse, quandocumque deinde in Alamannos exiit, cujus facti tempus dubium. Cumque praeterea jam nunc imperatoris III. elogio praeditus fuerit, verisimile est, Caracallam illud sibi non bello Alamannico emeritum, ad quod serius videtur exivisse, sed victoria ubicunque terrarum per legatum parta. Enimvero temporum ratio spectatis singulis ejus aetatis factis misere luxata est.

Vt lit. A. B. C.

P. M. TR. P. XVII. COS. IIII. P. P. *variis typis, in omni metallo et forma.*

Omnis reliqua Caracallae moneta usque ad ejus excessum, perpaucis demptis numis, quorum aversa aliter inscribitur, hujus rationis est, variante solum trib. potestatis numero. Ad typos quod attinet, aenei hujus anni numi decora plerumque bellica ostentant, ut: *Imperatorem equitem hastam in barbarum torquentem, vel: milites ex suggestu adloquentem, vel: Victoriam cum tropaeo* etc. quibus utique victoriae Alamannicae hoc anno relatae indicantur. Reliqui typi, praecipue in aureis et argenteis, inde ab anno praecedente usque

a) Victor in Caesatib.

b) Dio L. LXXVII. §. 13,

c) Dio L. LXXVII. §. 16. Herodian.

ady imperii praesentis exitum fere iidem sunt, et repetuntur perpetuo. Eorum igitur illustriores, qui Caracallae historiam juvant, cogere in hunc locum omnes lubet subjectis animadversionibus, quae ad argumentum idoneae videbuntur.

1. *Apollo seminudus sedens d. ramum, s. lyrae innititur tripodis impositae. Vel Apollo stans d. ramum, s. lyram super basi.*

2. *Aesculapius stans d. baculum cum serpente, pro pedibus globus; in aliis adstat praeterea Telesphorus.*

3. *Serapis stans d. elata, s. hastam. In aliis: Ipse sedens dexteram extendit versus animal triceps, s. hastam.*

4. *Hercules stans d. ramum, s. clavam et exuvias leonis.*

5. *Sol capite radiato stans d. elata, s. globum.*

6. *Sol in citis quadrigis d. hastam, s. flagellum.*

7. *Luna sinuato per caput velo in citis boum bigis.*

8. *Leo capite radiato fulmen ore gerens.*

Typi, quos quatuor priores numi exhibent, ad Caracallae curationem, tam animo, quam corpore aegri, omnino referendi. De miserando ejus statu mira praedicat Dio coevus, etiam alienas, et ridiculas ejus causas statuatur. ^{a)} Posteaquam, ait, terras omnes ac maria miserum iu modum vastasset, tandem in amentiam ac furorem prolapsus, atque hunc sibi ab hostium, Alamannorum praecipue, incantationibus per magicas artes immissum. Laborasse eum morbis partim manifestis, partim occultis. At cum primis mentem sollicitam

atrocibus secundum quietem visis, apparentibus saepe patre et fratre, gladiosque manu intentantibus. Malo ut finem quaereret, multorum animas ab inferis evocasse, patris praecipue, ac Commodi, quorum hic tantum interroganti pauca respondit, sed et haec dura, immittia, atque animo parum placita, cum interea pater mutus, atque inter horrificum silentium adstaret, et, quod desideratum nunquam fuit, semper in filii Getae comitatu. Conversum denique ad cultum deorum, multisque precibus, assiduis pernoctationibus, tum et donariis hostiisque eorum sollicitasse opem, quin tamen aliquid sanitati conducens ab iratis diis impetraret. Haec generatim ad hos numos differenda fuere; ad singulos progrediamur.

1. Apollo, quo cultu in his numis proponitur, visitur etiam in moneta Treboniani addito praeterea: APOLLO. SALVTARIS; nimirum peste ac morbis tum Italiam misere depascentibus; ejus dei, nempe valentis ad morbos tam immittendos, quam propulsandos, auxilium imploratum publice est. Apollinem cognomento *Grainnum*, cujus plura marmora produxit Gruterus, a Caracalla in his suis malis interpellatum diserte prodit Dio. ^{b)}

2. Aesculapius et Telesphorus, cognita iis numina, qui reparandae valetudini curam impendunt. Aesculapii etiam a Caracalla imploratam opem eodem loco Dio memorat. Huc pertinet, quod refert Herodianus; Caracallam, cum ex Thracia in Asiam trajiceret, adisse Pergamum, ut Aesculapii, apud

a) L. LXXVII. § 15.

b) l. c.

eam urbem summa religione culti, curationibus uteretur, atque ut moris erat, somnia ibi captasse. ^{a)} Istud ipsi Pergamenorum numi luculente confirmant, quorum non pauci Caracallam sistunt, hostias ac vota Aesculapio offerentem. ^{b)} Huc adludit insignis numus aureus editus a Vaillantio, in cujus averfa: P. M. TR. P. XVIII. (perperam XIII. in nova editione Rom.) COS. IIII. P. P. *Imperator paludatus sacrum facit ad aram Aesculapii stantis pro foribus templi.*

3. Serapis quoque eadem de causa observatus a Caracalla, ut ibidem testatur laudatus Dio. Et ferebat palam, se ejus consulendi causa iter Alexandrinum suscepisse. Eo cum venisset, copiosas deo victimas immolavit, ^{c)} quin et pugionem, quem in fratris viscera adegit, in ejus ibi templo ausus est consecrare, ^{d)} haud multo post flammis coelestibus per miraculum absumptum, dum reliquum templum maneret incolume. ^{e)} At quot praecipue huc pertinet, Serapim eundem fuisse habitum cum Aesculapio, quod mederetur aegris corporibus, ejusque dei monitu Vespasianum insignia Alexandriae patrasse miracula restituto oculorum, pedumque usu, diferte docet Tacitus. ^{f)} Qua de causa numen istud saepe veterum phylacteriis illatum conspicimus, cujus generis est pseudoanymus laudatus a Seguino, ^{g)} in quo hinc *caput Serapidis*, illinc: ΦΥΛΑΞΕ *in area numi*. Nimirum is teste Arislide ^{h)} την μὲν δὴ ψυχὴν σοφίᾳ καθαιρῶν, τὸ δὲ σῶμα ὑγίαν διδὸς πῶσει, *et animam, et*

corpus servat, illam purgando sapientiae praeceptis; hoc sanitatem conferendo,

4. Herculem Caracalla se jactavit quoque, quoniam apros excepit prompte ac frequenter, et contra leonem stetit. ⁱ⁾ At quoniam in hoc numo ramum lustralem manu tenet velut Apollo in numo I., facile apparet, hunc quoque a Caracalla pro incolumitate sua in consilium vocatum. Et vero perinde ac Apollo nomine *Alexicaci*, seu *malorum depulsoris* a veteribus cultus est, ut docet Lactantius, ^{k)} et marmor apud Muratorium. ^{l)} Quin et aquas calidas e terra scaturientes omnes Herculi sacras voluerunt veteres teste Athenaeo, ^{m)} unde tot balnea Herculana, quo nomine appellatae etiam fuere thermae insignes in Dacia vetere. Etiam Thermae Siciliae, ut ad harum numos advertimus, fontium suorum auctorem Herculem profitentur. Balnea salutifera, quae ab Hercule nomen acceperunt, omnia fuisse calida, habemus ex Aristophane: ⁿ⁾

Πᾶ ψυχρὰ δὴτα πῶποι εἶδες Ἡρακλεῖα
λετρα;
Vbi aliquando vidisti frigida Herculana balnea?

Vide, quae plura alia de Hercule Αλεξικακῶ, et Αποτροπαιῶ advertit Olearius. ^{o)} Herculem salutarem expertus quoque est Alexander Trallianus medicus, hanc enim ille diaeteticae regulam praescripsit: ^{p)} *Herculem erectum, suffocantem leonem, in lapidem medicum insculpito, et*

a) in Carac. b) Vaill. num. Graec. c) Herodian. in Carac. d) Dio L. LXXVIII. § 23. e) Dio L. LXXVIII. § 7. f) Hist. IV. c. 81. et 84. g) Num. tel. p. 2. h) Orat. in Sarap. T. I. p. 52. i) Spart. c. 5. k) Divin. Insit. L. X. l) Pag. LXII. 9. m) L. XII. p. 512. n) in Nabib. v. 1047. o) ad Philostr. p. 340. p) de Medicam. nat. L. X. c. 1.

inclusum in annulum aureum gestandum dato. Si fides Laurentio Lydo, ^{a)} Romae τη προ τριων νονων Απριλιων Ηρακλῆς Επικριος ετιματο, οια υγειας δοτηρ. III. non. April. Hercules victor colebatur, quippe salutis dator.

5. Sol hic stans typus est Orientis a Severo et Caracalla olim domiti, et quorsum iterum anno sequente profectus est.

6. 7. Sol et luna in suis singuli bigis. Vtriusque astris typo indicari *Aeternitatem Augustam*, et supplicatum utrique fuisse pro salute Severi et Caracallae, satis probavit in numo Severi anni V. C. 955, in cuius aethica Severus Solis, Domna Lunae forma proponuntur, quam rationem retinuit Caracalla in numis argenteis majoris moduli cum suis, tum matris Domnae, ut pluribus disseram ad calcem numorum Caracallae. Amabat praeterea comparari Soli propter aurigandi peritiam, ut testatur Dio. ^{b)} Luna boum bigis invecta non infrequens est argumentum in anaglyphis veterum, unde et Nonnus: ^{c)}

Ταυροφυης, κροσοσα, ζωων ελατειρα
Σελγη.

*Tauriformis, cornuta, boum agitatrix
Luna.*

etsi equis etiam, quin et mulis fuisse vectam doceant monumenta. Vide Museum Pio-Clement. ^{d)} et Passerium. ^{e)}

8. Leo. Videri posset, indicari hoc typo leonem, quem secum constanter

habebat Caracalla, dixitque *acinacem*, et mensae, lectique consortem fecit, ac publice saepe deosculatus est. ^{f)} At cum privatae vitae ludicra leviora visa fuerint, quam ut monetae Romanae typum possent suppeditare, ac praeterea capite sit radiato, et fulmen deferat, verisimilius videtur, argumentum quoddam astrologicum, et a zodiaco petitum subesse, qualia saepe numi veteres offeunt, praecipue cum idem typus etiam in moneta Alexandri Severi, Aureliani, Probi, Diocletiani occurrat, quae insuper ratio vetat, quo minus et is leo hoc typo notari possit, quem in bello Parthico de improvviso silvis emergentem pro se pugnasse ipse in epistola scripsit. ^{g)} Non alienum hoc loco animadvertere, leonem capite radiato esse symbolum cohortium praetorianarum in numo Gallieni inscripto COHH. PRAET.

V. C. 968. P. X. 215.

TR. P. XVIII. COS. IV. P. M. P. P.
PIVS. FEL. GERM. IMP. III.

Laeto II. Cereali cos.

Enito Nicomediae die IV. Aprilis natali suo munere gladiatorio Antiochiam abijt quaestis causis bellum Parthis facturus. Quibus metu perterritis, et statim imperata facientibus Alexandriam proficiscitur, magnamque civium stragem edit. Vide numos.

ANTONINVS. PIVS. AVG.
GERM. *Caput laureatum in AV.*

a) Περὶ Μηνων in Aprili c. 4.

b) L. LXXVII. § 10.

c) Dionys. L. XXIII. v. 209.

d) Tom. IV. tab. XVI.

e) Lucerna. Vol. I. p. 77.

f) Dio L. LXXVIII. § 7.

g) Dio L. LXXVIII. § 7.

AR. etiam radiatum in AE. II. radiatum item in AR. majoris moduli.

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XVIII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus adstante milite cum tabaro sacrum facit ante aram Aesculapii stantis pro foribus templi, ad cuius latus stat Victoria cum palma. AV. (Vaill.)*

Aversæ typus confirmat, quod ad annum priorem ex Herodiano memoravi, Caracallam apud Pergamum in templo Aesculapii sanitatis recuperandae causa et sacra fecisse, et somnia captasse. Factum istud anno praesente per inscriptum tribunatum XVIII. egregie stabilit numus. Ceterum de Aesculapio vide plura ad annum praecedentem.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. XVIII. IMP. III. COS. IV. P. P. S. C. *Imperator paludatus d. pede crocodilum calcat, s. hastam, ad quem accedit Isis d. spicas, s. sistrum tenens. AE. I. (Mus. Caes.)*

Hic numus testis est Caracallae in Aegyptum profectionis, institutae, ut de miseris Alexandrinis poenam sumeret, qua atrocior repeti non poterat, si propalam obsequium exuissent. Crimini datum, quod, ut fuere prono ad dicacitatem, et jocos amariores ingenio, non ipsi pepercere imperanti, sed cum primis fraternam caedem insolentius perstrinxere, matrem quoque Iuliam Ioca-

stam appellantes, quod eam filius velut alter Oedipus violasset. Igitur dissimulata ira, cum urbi appropinquaret, primores civitatis, qui venienti obviam processere, comiter primum excepit, mox edicto, ut oppidani omnes intra domos suas se continerent, vias omnes armatis infedit, tantamque in urbe caedem fecit, ut ne ipse quidem interfectorum numerum perscribere ad senatum auderet. Ejus atrocitatis historici omnes meminere, at prolixius, etsi frequenter in diversa abeant, Dio, ^{a)} et Herodianus. Fingitur in hoc numo Isis adventanti imperatori occurrens, et refert Dio, ^{b)} primos Alexandriae adveniendi obviam progressos cum arcanis quibusdam sacris. Ad haec sacra Isis a Caracalla Romam deportata, et ubique ei magnifica templa facta tradit Spartianus. ^{c)} Crocodilus Aegyptam graphice notat.

Iam vero et chronologiam egregie illustrat numus praesens, qui hunc Alexandriae adventum tribunatui XVIII. adfigit, qui ex mea sententia currebat cum anno V. C. 968. P. X. 215. Tillemontius et ipse quoque discessum a Nicomedia, et caedem Alexandrinam intra annum spatium concludit, sed haec facta contendit anno sequente V. C. 969. Quo istud pacto verisimile sit, propter rerum adhuc deinceps gestarum copiam non reperio. Sane ex ejus ipsius sententia Caracalla post diem IV. Aprilis V. C. 969 discessit Nicomedia, tum peragrata omni Asia intravit Syriam, et aliquamdiu Antiochiae moratus est. Tum bellum in Parthos paravit, quo

a) L. LXXVII. § 22.

b) l. c.

c) Cap. 9.

cedentibus his mox sopito Alexandriam profectus est, eamque intravit. Perspicuum est, propter regionum, quae peragrandae fuere, ingentia intervalla, tum belli Parthici molimina, et pactiones Parthorum, quae, ut fit, commeantibus hinc et inde legatis, temporis non parum absumunt, Caracallam adesse Alexandriae, nisi vergente ad finem anno, non potuisse. At Tillemontio auctore hoc adhuc anno suo V. C. 969 Caracalla Antiochiam revertitur, tum legatos ad Artabanum Parthiae regem mittit, qui filiam ejus sibi in matrimonium peterent. Quo conditionem detrectante Parthorum fines ingressus, captis Arbelis, et Media late vastata exercitum Edessam in hiberna reduxit. Atque haec omnia inde a die IV. Aprilis usque ad proximum hibernorum tempus perfecta constituit Tillemontius. An haec tantae res intra has angustias cogi possunt etiam duce ad res agendas attentissimo, nedum Caracalla, qui multum temporis voluptatibus, ac ludicris impendit? At enim coactus erat vir egregius tot ac tantas res exiguo spatio circumscribere, quod laxare caesus sequente anno Caracalla non sivit. Quare cum teste utroque ad annum praesentem citato numo certe constet, hoc labente factum, ut Caracalla et Pergami esset, et Alexandriae, ejus res gestae sic sunt disponendae, ut statuatur, autumnò fere exeunte invisisse Alexandriam, et quae deinceps gesta sunt, in annum sequentem facile ad ea suffecturum trajiciantur. Invictè etiam ab utroque numo refellitur sententia eorum, qui statuunt,

hoc adhuc tempore ab Augustis trib. potestatem die natali imperii iterari solitam. Figitur hic ab aliis ante Kalendas Apriles V. C. 951, ab aliis statim post Kalendas Iunias ejusdem anni. Ergo anno V, C. 969 P. X. 216 usque ad Aprilem, secundum alios usque ad Iunium currebat tribunatus XVIII. deinceps XIX. Prior de Aprili sententia jam ultro corrui: nam numus eum intrasse Alexandriam testatur in tribunatu XVIII., qui jam exivit, cum adhuc Nicomediae haereret. Si eum iteravit in Iunio, necesse est, inde a die IV. Aprilis usque ad initium Iunii Caracallam a Nicomedia pervasisse omnem Asiam, Syriam, venisse in Aegyptum, nunciatum istud Romam, a monetariis confectas matrices ejus adventum Alexandriae testantes, nimirum antequam exspiraret tribunatus XVIII. et inciperet XIX.

V. C. 969. P. X. 216.

TR. P. XIX. COS. IV. P. M. P. P.
PIVS. GERM. IMP. III.

C. Atio Sabino II. Cornelio Anulino cos.

Caracalla ex Aegypto Antiochiam reversus Artabani Parthorum regis filiam in matrimonium petit. Quo negato Euphratem transgressus Mediam invadit, Arbela capit, caedem ubique et incendia circumfert; post haec Edessam in hiberna redit. Abagarum Osrhoenorum regem fraude in colloquium pertractum in vincula conjicit, ejusque regnum occupat, quod factum forte anno praecedente. *)

a) Dio, Herodianus, Spartian.

- A. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV. et AR., radiatum in AR. maj. mod. et in pluribus AE. II.*
- B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*
- C. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum, vel radiatum in AE. II.*

De partibus averfis numorum hujus anni actum ad annum V. C. 967, nam argumenta fere eadem continent, nisi quod nunc TR. P. XVIII. inscribitur.

V. C. 970. P. X. 217.

TR. P. XX. COS. IV. P. M. P. P. PIVS. GERM. IMP. III.

C. Bruttio Praefente, T. Messio Extricato II. cof.

Bellum in Parthos parat, qui magno cum exercitu ad vindicandam anni prioris injuriam aderant. Edeffa Carrhas profectus, ut inviseret celebre ejus loci templum Luno-sacrum, per iter a Martiale evocato instigante Macrino praefecto praetorio interficitur die VIII. Aprilis anno aetatis XXIX. die IV. secundum Dionem, a) nam, ut ibidem addit, natus fuit die IV. Aprilis. Spartianus ipsis Megalensibus caesum dixit, et quidem die VI. Aprilis, quem addit fuisse quoque ejus natalem. b) Coepere Megalenses die IV. Aprilis, et durabant dies IX. At malim hac in causa sequi Dionem.

Cum in pueritia moderatum sese, affabilem, alienum a severitate etiam justa palam ferret, omnibus, qui talem eum novere, mirum visum, tam immanem eum, cum pueritiam egressus est, et abnormem belluam evasisse. Factum istud calliditate ingenii censet Spartianus, aut quod Alexandro M. similis viveri voluit, cujus non quidem virtutes, sed vitia non animi minus, quam corporis fervilem in modum est imitatus, ut amplius dicetur in ejus consecratis numis. Ferum animum non patre quidem vivo celare valuit, a cujus reverentia ac metu ut sese liberaret, cum in Britannia seu per insidias, seu seditionem interimere aliquoties tentavit. Et patuitum, qui omne in patrem obsequium exiit, in fratris caedem fore promptiorem, quem quanta crudelitate, in omnem etiam ejus domum propagata sustulerit, dictum ad annum V. C. 965, et infra in Geta dicitur. Huic si addatur rabies Alexandrina, memorata ad annum V. C. 968, quam levissima causa excitavit, satis perspicimus, nihil fuisse tam sacrum, atque religiosum, quod non ausus esset sanguine polluere, ex quo de reliquis ejus caedibus velut per ludum peractis facile erit judicare. Non sufficiente ejus cupiditati aenario cum propter insanos sumptus in spectacula factos, tum quod militem locupletare necesse fuit, sive ut caesum Getam patienter ferret, sive ut propter insidiarum metum in officio retineret, in omnium impune civium bona involavit, palam increpans, ad se unum orbis divitias

a) L. LXXVIH. c. 6. b) Cap. 6.
(Vol. VII.)

pertinere, quas nempe militibus largiretur, ferturque matri donativorum copiam, ac frequentiam culpanti, dicitur: jam brevi nullum pecuniae conficiendae modum reliquum fore, seu iustum, seu iniustum, respondisse: bono animo es, mater, nam nobis, quamdiu hunc habebimus (ostentabat gladium) pecunia non deerit. *) Tanta vero foedae perfidiae argumenta orbi universo dedit, ut nemo deinceps etiam dejeranti, ac superum fidem testanti crederet, ac propterea exteris etiam nationibus invisus esset; ac despectus. Caesi cadaver crematum, ossa Romam vecta, et in monumento Antoniniano condita sunt.

Vxor *Plautilla*, de qua infra.

- A. ANTONINVS. * PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV. et AR., radiatum in AR. maj. mod. et nonnullis AE. II.*
- B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I. II.*

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XX. COS. III. P. P. *variis typis, de quibus egi supra ad annum V. C. 967, in omni metallo ac forma.*

Vt lit. B.

P. M. TR. P. XX. IMP. III. COS. III. P. P. S. C. *variis typis. AE. I. II.*

Vt lit. A.

VIC. PART. P. M. TR. P. XX. COS. III. P. P. *Imperator paudatus stans d. globum, s. hastam coronatur ab adstante Victoria,*

pro pedibus captivus sedens. AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

Eadem epigrapha. Victoria armis insidens clypeum tenet, cui inscriptum: VOT. XX., juxta tropaeum cum duobus captivis humi sedentibus. AV. AR. (Mus. Caes.)

Caracalla vastata impune Parthia (nam imparatos praeter opinionem invaserat) in Mesopotamiam reversus literas ad senatum dedit, quibus significaverat, subactum a se Orientem. Quare senatus, etsi gnarus mendacii; metu tamen cunctos illi victoriae honores decrevit. ^{b)} Quare et numi praetensae hujus victoriae Parthicae ergo signati.

Alter numus praeterea vota XX. hoc anno soluta prodit.

Numi vagi.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

FELICIA. TEMPORA. *Quatuor puelli cum attributis totidem anni vises indicantibus. AR. (Mus. Caes.)*

Similem typum jam indicavimus in numis Annii Veri.

Eadem adversa.

FELICITAS. SAECVLI. S. C. *Severus, Domna, Caracalla, Geta sedentes in substructione, inferne figura stans, quae dexteram vasi, quod pegmate sustinetur, applicat. AE. II. (Mus. Caes.)*

Numus totam familiam tum regnantem complectitur, et quidem Domnam etiam imperantibus mixtam, novo arrogantiae testimonio jam ex ejus mone-

a) Dio L. LXXVII. § 10.

b) Herodian.

ta cognitae. Exstat etiam similis Getae signatus intra annos 958. 960, suntque hi numi haud dubie synchroni.

Antica incerta.

FELICITATEM. ITALICAM. *Mulier flans cum caduceo et cornucopiae.* AR. (Mus. d'Ennery.)

Singularis in hoc numo enunciandi modus in accusandi casu.

Numi reliqui: PACATOR. ORBIS. — RECTOR. ORBIS. — RESTITVTOR. VRBIS. — SAL. GEN. HVM. — VIRTVS. AVGG. etc. qui plerique jam ex moneta patris Severi cogniti sunt. Ceterum Caracallae numi facile suis tribui annis possunt ope lineamentorum vultus, sic ut his ducibus vix uno alterove anno fallare. Numi Caracallae cum ordine chronologico digesti sunt, aetatis progressum, per singulos annos praeclare demonstrant.

Divus Caracalla.

De Caracalla consecrato haec Dio: ^{a)} *Senatores omnes et privati, tam mafes, quam femingae, vehementissime ipsum ode- rant, ita ut in eum, velut in hostem in- fensissimum et dicerent quaevis, et facerent. At vera nulla ex S. C. infamia notatus fuit, quod milites, cum pacem, quam se a Macrino sperauerant accepturos, conse- cuti non essent, his vero praemiis fraudan- ventur, quae ab illo acceperant, rursus An- toninum desiderarent, qui, militibus postea id evincentibus, inter deos adeo relatus est,*

accedente nimirum senatus consulto. At Spartianus declamantis more: ^{b)} Hic ta- men omnium durissimus, et ut uno comple- ctamur verbo, parricida et incestus, pa- tris, et matris, et fratris inimicus a Ma- crino, qui eum occiderat, timore militum, ac maxime praetorianorum inter deos re- latus est. Habet templum, habet salios, ha- bet sodales Antoninianos, qui Faustinae templum, et divale nomen eripuit. etc. Vi- de etiam Capitolinum in Macrino. ^{c)} Tamen ejus consecrati memoriam saepe deinceps fuisse neglectam, jam dixi in numis divi Commodi.

DIVO. ANTONINO. MAGNO.

Caput nudum.

CONSECRATIO. S. C. *Rogus.* In aliis: *Aquila.* AR. AE. I. (Mus. Caes. Vaill. Mus. Farnes.)

Nihil in his novi, praeter titulum *Magni.* Ejus adsciti causam suppeditat Victor alter: *Corpore Alexandri Macedo- nis inspecto MAGNUM atque ALEXAN- DRUM se jussit appellari, assentantium fal- laciis eo perductus, ut truci fronte, et ad laevum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens fidem vultus simillimi persuaderet sibi.* Praeter tituli hujus causam alia etiam egregia docet hoc testimonium, nimirum *trucem frontem, et ad laevum humerum eonversam cervicem, qui habitus in plerisque ejus signis hodie superstitibus ad amulsum ob- servatur.* Nempe eum artifices finxerunt talem, qualis videri voluit; nam Iunio cuiquam Paulino dedit IIS. decies, quod dixerat, eum irascenti similem esse, quo- niam ad speciem vultus iracundioris se

a) L. LXXXVIII, § 9. b) Cap. 11. c) Cap. 6.

quodammodo componeret. ^{a)} Docet etiam, hunc fuisse habitum statuarum Alexandri, ut revera illae saltem respectu cervicis inflexae consentiunt, quali est eximia ejus protome marmorea in praeslantissimo museo M. Ducis. Cum numis, et Victore conspirant etiam marmora, inter quae memorabile, quod vulgavit Fabrettus: ^{b)} MAGNO. IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. AVGVST. etc. In alio apud Muratorum: ^{c)} ACCENS. VEL. (forte VEL.) FLAM. DIVL. MAGN. ANTON., in quo habes et flaminem divi Caracallae. In fragmento Arvalium Romae nuper reperto dicitur Elagabalus DIVI. MAG. ANTONINI. FIL. Denique Paulus I. C. tit. III. de adulterio: *Magnus Antoninus pepercit eis, qui adulteros inconsulto calore ducti interfecerunt.* Quibus adde duas columnas milliarias, in quibus Elagabalus, et Alexander Sev. dicuntur DIVI. ANTONINI. MAG. filii. ^{d)} Haec testimonia si ante oculos habuisset Muratorius, non sane sollicitasset in laudato suo marmore vocabulum MAGN., cum pro hoc legendum MARC., et intelligi M. Aurelium Antoninum in subjecta nota profiteretur. Ceterum de infano Caracallae in Alexandrum M. adfectu incredibilia narrat Dio, ^{e)} nimirum complures ei statuas cum in castris, tum urbe collocasse, comparasse phalangem decem et sex millium ex folis Macedonibus conflatum, eum Orientalem Augustum appellasse, et scripsisse aliquando ad senatum, Alexandrum in suum ipsius corpus rursus subintrasse etc. Ad

haec testatur Herodianus coevus, ^{f)} vidisse se imagines nonnullas ridicule depictas, quae uno corpore duas facies praesferrent, Alexandri, et Caracallae. Quo cognito ejus in veterem hunc regem adfectu cudisse Macedonas numos aeneos cum Alexandri imagine, dixi in numis Berrhaeae Macedoniae, quo loco plura huc pertinentia notata reperies.

Numi commatis peregrini.

Hujus generis infinita est copia tam *urbium liberarum*, quam *coloniatarum*, de quibus hoc loco aliud distinctius monendum non occurrit.

De numis argenteis majoris moduli commatis Romani.

Nova imperante Caracalla monetae argenteae ratio incipit. Ordinariam pondere et volumine excedit, an et puritate metalli praeset, non satis mihi compertum. Vt in numis ordinariis argenteis caput Augusti perpetuo est laureatum, sic in his constanter radiatum, quin et hoc cultu est caput Diadumeniani, etsi Caesar tantum in iis appelletur. Augustarum caput semper impositum lunae, quod in aliis nunquam, aut non nisi per casum extraordinarium, prout in numo Severi anni V. C. 955, hac regula in unico, quos viderim, Dominae numo fallente, qui est in museo Caesareo inscriptus: VENERI. GENETRICI. Typos habet eisdem, quos argentei alii. Coeptos signari sub Caracalla,

a) Dio L. LXXXVII. § 11. b) Col. Traj. p. 286. c) Pag. 1067. 4. d) B. I. Hist. T. XXI. p. 70. 7. e) L. LXXXVII. § 7. f) in Carac.

eo certum, quoniam ejus generis in Severi, et quae hoc adhuc imperante repudiata fuit, Plautillae moneta non habentur. Etiam hujusmodi Getae deficiunt. Primi, qui notam chronologicam offerunt, exhibent Caracallae tribuniciam potestatem XVIII., hac priorem gaza Caesarea non habet. Sunt etiam Domnae, nempe per filii imperiura signati. Ad quod non advertit Bimardus, qui custos id genus numos jam sub Severo dixit, a) deceptus haud dubie, quia hujus commatis numos cum capite Domnae viderat; at in his capienda non est Domna Severi uxor, sed Caracallae mater. Neque per Caracallae mortem modus hic abolitus; nam duravit in imperia Macrini, et Elagabali successorum. Macrini exstant non pauci, rariores Diadumeniani, Elagabali complures; ex ejus aetatis feminis Maesae, et Anniae Faustinae similes ostentat museum Caesareum, et Elagabali quidem postremi sunt cum trib. potestate II. Tamen, quod observandum, non cessare interea argentei ordinarii, et multo majore quidem copia feriri. Non observantur sub imperio Alexandri, Maximini, et priorum Gordianorum, at resumptus mos sub Balbino, et Papieno, ac praecipue Gordiano III., sub quo frequentissimi sunt novi hujus instituti numi, et duravit illud, dum res monetaria pessimum ire coepit. Factum exposui, at novi moris causam me ignorare profiteor.

Nomina Caracallae.

Bassianus. Hoc nomen illi adhuc pu-

ero et privato fuit, inditum ex nomine avi materni, b) duravitque, donec ab intrusa Antonini appellatione extruderetur. Peracta ejus caede per commune omnium odium Balsianus rursus contemptim dici coepit. c) Verum in monumentis publicis nomen istud seu nativum, seu contumeliosum non legitur.

• *M. Aurelius Antoninus.* Illud nomen filio pro obscuro Balsiani indidit Severus, cum eum Caesarem apud Viminacium appellavit, ut refert Spartianus, d) quod factum diximus V. C. 949. Datae ejus appellationis frivolum causam adfert, quod somnasset pater Antoninum sibi successurum, quam repetit quoque Lampridius. e) Spartiani verisimilior altera est, quoniam Severus ipse in Marci familiam transire voluit, nimirum ut sibi, atque imposita filio Antonini appellatione plus auctoritatis, atque existimationis publicae accresceret, de quo Polixius egi in Severo V. C. 948 ad numum: DIVI. M. PII. F. Quanta vero fuerit ea aetate superstitio nominis Antoniniani, abunde docet Lampridius. f)

Severus. Nomen istud, utut a patre hereditarium, neque scriptores, neque numi Latini Caracallae adstruunt. Tamen in numis Graecarum urbium frequenter dicitur ΚΕΟΤΗΡΟC, ut et in marmoribus Latinis. g)

Pius. Hoc illi nomen cum patre, et fratre commune. (Vide Severum.) Eo in numis uti coepit anno demum V. C. 954. In numo Graeco ΠΕΙΟC. h)

Felix. Hunc titulum collegit a Com-

a) ad Iobert. T. I. p. 60. b) Victor alter in Carac. c) Dio L. LXXXVIII. § 9. d) in Sev. c. 10. e) in Diadum. c. 6. f) l. c. g) Gruter. p. 267. 7. h) Pellerin Mel. II. p. 151.

modo, suo per fictam adoptionem patruo, et si eo pater nunquam usus est. Illum numi in annum V. C. 966 differunt. At maurant marmora, et quidem jam cum trib. potestate III. in Muratoriano. ^{a)}

Semnos. In numo coloniae Cassandreae Macedoniae apud Wilde: ^{b)} ATT. C. M. ANTONINOS. SEMNOS. mixtis barbatae vocibus literisque cum Graecis, tum Latinis. Est autem a Graeco Σεμνος, venerabilis, quod nomen Gordiano Africano seniori in numis Alexandrinis datur.

Arabicus, Adjabenicus. Praedicasse Caracallam hos titulos, nempe per victorias patris, docent Spartianus, ^{c)} et marmora, inter quae Gruterianum. ^{d)} Sed in numis perpetuo negliguntur.

Parthicus Maximus dictus cum patre ex akero in Parthos bello, eoque uti coepit V. C. 953, sed in parte tantum numorum averfa, et post triennium in numis neglectus, ut dictum. Ex bello Parthico, quod ipse sub vitae exitum perse gessit, *Parthicum* appellatum, adfirmat Spartianus. ^{e)} Ejus aevi numi victoriam quidem Parthicam crepant, sed titulum *Parthici* reticent.

Britannicus. Hunc titulum cum patre capessivit V. C. 963, verum triennio post coepit praevalere nomen Germanici, ac mox plene exspiravit.

Germanicus. Comparet primum in numis tribunatu XVI. notatis, qui fluxit cum anno V. C. 966. Ejus capti causam reticere scriptores. Verisimile est, quoniam hoc anno commoratum eum in Gallia constat, aliquid ipsi rei cum vicinis Germanis fuisse, atque ex levi vi-

ctoria hunc titulum per vanitatem captum. Teste Spartiano Germanici nomen patre adhuc vivo fuerat consecutus. ^{f)} Verum istud ignorant numi et marmora, et cum non constet, Caracallam seorsim a patre bellum gessisse, aut ullum cepisse ex victoriis titulum, nisi quem pater ipse cepit, et eum eo communicavit, videtur errasse ipse Spartianus, cum pro *Germanicus* scribendum esset *Britannicus*. Ceterum operae pretium non videtur, adsciti hujus nominis causam anxie rimari, si audiamus Spartianum haec de eo memorantem: *cum Germanos subegisset, GERMANICVM se appellavit vel joco, vel serio, ut erat stultus et demens, asserens, si Lucanos vicisset, Lucanicum se appellandum.*

Alemannicus. ^{g)} victis Alemannis fuisse eum *Alemannicum*, refert Spartianus, ^{h)} sed monumenta publica hactenus cognita hunc titulum non jactant.

Sarmaticus Maximus. Nomen obiter tantum memoratum a Spartiano, ⁱ⁾ a monumentis item extorre. Illud si verum, videtur Sarmatas per legatos vicisse.

Magnus. Vide hujus tituli causam supra in numis consecrationis.

Haec nomina Caracallae aut serio, aut honoris causa imposita memorantur. Fuere autem et alia diasyrctica, quae paucis commemorare juvat.

Caracalla, secundum alios *Caracallus.* De hoc nomine Dio auctor idoneus: ⁱ⁾ *Quoddam singulare genus vestimenti barbarico more incisum, et consutum in iacernae modum invenit, quo et ipse frequentissime utebatur, ita ut idcirco CARACAL-*

a) Pag. 347. 2. b) Sel. num. tab. XX. c) in Carac. c. 10. d) Pag. 267. 7. e) in Carac. c. 6. f) in Carac. c. 6. g) Cap. 10. h) in Geta c. 6. i) L. LXXVIII. § 3.

LVS diceretur, et milites potissimum induere iussit. Et Spartianus: ^{a)} Ipse *CARACALLI* nomen accepit a vestimento, quod populo dederat demisso usque ad talos, quod ante non fuerat, unde hodieque Antoniniana dicuntur *Caracallae* huiusmodi, in usu maxime Romanae plebis frequentatae. Teste altero Victore talarem hujus formae vestem e Gallia devexit. Monumenta publica hoc nomine abstinere, uti et

Getici Maximi, et Taranti. Illud reperit Helvius Pertinax Pertinacis Aug. filius. Nam cum Caracalla varios victarum gentium titulos adscriberet, dicitur is joco dixisse: *adde, si placet, etiam GETICVS MAXIMVS*, adludens ad Getae caedem, et victoriam de Gottis, seu Getis, quos, cum in Orientem transiret, tumultuariis praелиis devicerat. ^{b)} Et vero eodem hoc sensu magis ob caesum *germanum* fratrem, quam devictos Germanos *Germanicus* meruit appellari. *Tarantus*, quo nomine saepissime eum afficit Dio, dictus ex nomine cujusdam gladiatoris, et statura pueri, et forma foedissimi, et una sanguinari. ^{c)}

Pater patriae.

Numi hujus tituli mentione abstinere, quamdiu pater vixit. Hoc mortuo continuo *Patris Patriae*, et *Pontificis Max.* nomina adlegit. Verum sunt marmora, quae ei vivo adhuc patre hunc honorem deferunt, velut epigramma auctoritatis

publicae exstans in arcu Severi supra ad annum V. C. 957 descriptum, quo docemur, eum in tribunatu VI., et cum annum aetatis XVI. ageret, hoc jam elogio fuisse ornatum. At neminem turbet hic ejus arcus parachronismus; nam quo loco nunc leguntur literae P. P., olim scriptum erat vocabulum *ET*, sequentibus Getae fratris titulis, quibus erasis, ut aliquis tamen epigrammati sensus constaret, suffectae sunt literae P. P. nempe titulus Caracallae quidem debitus tum, cum fratrem occidit, at non tum, cum arcus positus fuit.

Imperator.

Mediobarbus Caracallam jam in trib. potestate X. imperatorem II. facit, sed nequaquam istud ex testimonio numorum, quorum is nullum ad hunc annum cum hoc titulo recitat, et videtur hausisse istud ex marmore Gruteri, ^{d)} in quo Caracalla dicitur TR. POT. X. IMP. II. COS. III. DES. Eodem titulo ornatur in tribunatu XIII. apud Gruterum, ^{e)} item in tribunatu XIV., ac tum adhuc est IMP. II. Denique IMP. III. dicitur in trib. potestate XVII. forte ex victoria de Alemannis, neque deinceps amplius docentibus istud luculente numis hunc honorem iteravit. Cum numis conspirat illustre marmor arvale apud Marini. ^{f)}

^{a)} in Carac. c. 9.

^{b)} Spartian. in Carac. c. 10. et in Geta c. 6.

^{e)} Dio L. LXXVIII.

^{c)} 9.

^{d)} Pag. 150. 5.

^{e)} Pag. 265. 3.

^{f)} Frat. arv. P. 508.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	•	-	-	-	-	-	-	-	R.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

• Argentei urbium liberarum	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei urbium, et coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.

FULVIA PLAUTILLA.

Fulvia Plautilla minus suis aut virtutibus, aut vitis, quam suo patrisque exitio cognita. Erat hic Plautianus praefectus praetorio, natione Afer, in quem tam impenso adfectu ferebatur Severus, ut praeter collatos omnis generis honores immensis etiam opibus hominem obrueret, nihil absque eo ageret, nihil petenti negaret, atque omnem fere potentiam a se in eum unum conferret. Qua ille fortunae magnitudine stolide ferox involare in bona civium, viros illustres, qui propter claritatem obstare sibi videbantur, e medio tollere, incredibili arrogantia sese supra omnes efferre, sic ut non dubitaret, Domnam ipsam, et Caracallam indignis modis tractare. Gloriam fastigium adsequutus videbatur, cum Severus V. C. 955 ejus filiam Plautillam, de qua agimus, Caracallae filio uxorem dedit, quo tempore tantum pater pretiosae suppellectilis sponsae filiae erogavit, quantum te-

ste Dione, qui haec omnia coram vidit, reginis quinquaginta satis fuisset.^{a)} Verum tanta haec felicitas aevum non tulit. Nam comperto Caracallae iniquo adversum se, et filiam animo, quam invitus duxerat, et male sibi ab hoc post Severi obitum metuens perniciose in utrumque Augustum coepit moliri consilia, si Herodiano credimus, aut in suspicionem a Caracalla est adductus, ut prodit Diq. Vocatus igitur in palatium hoc jubente, neque impediente Severo confossus est V. C. 956. Est apud Gruterum marmor illustre: ^{b)} HERCVLI. INVICTO. ET. DIBVS. OMNIBVS. DEABVSQ. SACRVM. PRO. SALVTEM. IMP. L. SEPT. SEVERI. ET. M. AVRELIO. CAESARI. AVG. NN. ET. (sequuntur erasa tria Plautiani nomina). C. V. PR. PR. Ex quo manifeste colligas, hominem impotentem publico odio perinde flagrasse, atque olim Sejanum, cum post eorum ruinam ne nominibus

a) L. LXXVI. § 1. • b) Pag. 46. 9.

quidem, quae monumenta publica prae-
ferebant, parceretur. Marmora alia,
ex quibus erasum Plautiani nomen, col-
legit cl. Fontaninus in suis Antiquitatibus
Hortae, sed in nonnullis eum fefelisse,
erudite demonstravit Camillus Silvester
in epistola ad Philippum Turrium. ^{a)}
Plautilla deportata in Siciliam, et tan-
tisper liberaliter habita, ut ait Herodia-
nus, at secundum Dionem relegata in
Liparam in rerum etiam necessariorum
inopia vixit. Caeso Geta eam Caracalla
in hac sua calamitate omnia metuentem
interfici iussit V. C. 965. ^{b)} Feminam
fuisse impudentissimam, refert Dio. ^{c)}

Dionem inde a principio libri LXXVI.
Plautiani, et Plautillae historiam com-
plexum si sequare, perexiguum tempus,
et forte pauci tantum menses inter Plau-
tillae nuptias, et exilium videntur in-
tercessisse. At longius intervallum vide-
tur deposcere copia numerorum Plautillae
non modo in urbe, sed majore adhuc
numero per remotissimas provincias si-
gnatorum. Sane longiorem moram ma-
nifeste exigit numus Plautillae apud Gaz-
am Iudaeae signatus cum anno aerae
ΔΕC, quem edidit Vaillantius, et No-
xifius. ^{d)} Coepit haec anno V. C. 693,
ergo numus praefens signatus est ab au-
tumno V. C. 956. Quare cum nuptiae
Plautillae actae fuerint V. C. 955, ut in
Severo ad hunc annum demonstravimus,
sequitur, saltem integri fere anni spatium
inter nuptias, et exilium interponendum.

Liberi. Non poterat infaustum hoc

matrimonium esse secundum, cum teste
Herodiano Caracalla inde a principio has
nuptias averfatus neque communi cum
Plautilla toro, neque mensa uteretur.
Froelichius cum ex loco Herodiani du-
biae lectionis, tum ex inscriptionibus
Graecis Ephesi repertis probare adnifus
est, natos esse ex hoc matrimonio fili-
um unum Hadrianum, filiasque duas
Fadillam, aliamque anonymam. ^{e)} Ve-
rum praeterquam quod debiles omnino
eae sunt coniecturae, obstat non modo
laudatum Herodiani testimonium, ve-
rum etiam tempus ipsum, quod pro-
pter consecutum mox disfidium vix uni
enitendae proli poterat suffecisse, quod
ipsum jam ante me advertit Fabricius
ad Dionis L. LXXVI. § 34. Froelichio
sic opinandi causa fuit Politianus, qui
locum Herodiani L. III. c. 13. sic ver-
tit: *at Severus ipsam (Plautillam) pari-
ter cum filio, quem peperat, relegavit in
Siciliam, cum tamen textus Graecus di-
serte sic habeat: ὁ δὲ Σεβηρος αὐτὴν. τε
ἐκείνην καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτῆς εἰς Σικελίαν
ἐπέμψεν*, quam lectionem praefert etiam
Herodiani insignis codex MS. bibliothecae
Caesareae. Pellerinius, qui Froe-
lichii causam rursus tuendam suscepit
proposito numo *Hadriani Getae* appel-
latione inscripto, ^{f)} de quo agetur infra
in nominibus Getae, iisdem facile ar-
gumentis, quibus Froelichius refellitur.
Spartianum, qui aliquoties Elagaba-
lum Caracallae filium dixit, ^{g)} in hu-
jus vita in iudicium vocabo.

a) Raccolta di Calogera Tom. II, p. 65. b) Herodian. Dio L. LXXVI. § 6. c) l. c. § 3.
d) Epoch. Syromaced. e) IV. Tentam. p. 454 seq. f) Rec. Tom. III. p. XIII. g) in
Carac. c. 9. et 11.

- A. PLAVTILLA. AVGVSTA. *in* mus. Haec averfa, quae faepe in numis
AV. AR. AE. I. II. Augustarum inde a Trajano comparat,
B. PLAVTILLAE. AVGVSTAE. *in* plerumque indicat harum *pietatem*, qua
AV. et AR. puellas alimentarias complexae sunt, ut
C. PLAVTILLA. AVG. *in* AR. saepe observatum.
(Muf. Caef.)

Vt lit. B.

ANTON. P. AVG. PONT. TR. P. V. COS. Caput Caracallae laureatum. AR.
(Vaill.)

Nuptiarum tempus ex tribunatu Caracallae V. egregie definit hic numus, de quo vide plura in moneta Caracallae ad annum V. C. 955.

Vt lit. A. et B.

CONCORDIAE. AETERNAE. *vel:* CONCORDIA. FELIX. Caracalla et Plautilla stantes jungunt dexteras. AV. AR. (Muf. Caef.)

Numos non semper adferere, quod verum est, sed quod concipiunt vota seu sincera, seu ficta, hoc loco affatim docemur. Tam parum concors fuit Caracalla cum uxore, quam cum fratre Geta, et tamen hujus quoque numi *concordiam* crepant.

Vt lit. A.

PIETAS. AVGG. *Mulier stans d. hastam, f. infantem in sinu gestat.* AR. AE. I. II. (Muf. Caef.)

Hos forte numos, nam alii Plautillae mihi incompti, ob oculos habuit Pellerinius, cum adferuit: *patere ex numis Plautillae, eam re ipsa plures proles enixam,*^{a)} quod mox supra refutavi-

Vt lit. B.

PROPAGO. IMPERI. Caracalla, et Plautilla stantes jungunt dexteras. AV. AR. (Vaill. Muf. Caef.)

Nimirum *propago imperii*, quae a Severo per utriusque conjunctionem sperabatur, etsi secus caderet.

Numi commatis peregrini.

Urbium liberarum numi Graece inscripti permulti editi sunt, quorum plerisque vide penes Vaillantium. Horum ope novimus, quod numi Latini reticent, Plautillae praeterea nomen fuisse *Fulviae*, nam plerumque addunt ΦΟΥΒΙΑ, quod nomen haud dubie paternum fuit. Nam hunc dictum *Fulvium Plautianum*, manifeste colligitur ex collatis binis Spartiani locis. Cum enim narrasset in Severo:^{b)} *Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit*, idem factum in Nigro his verbis refert: ^{c)} *misit Severus Fulvium ad occupandos Nigri filios*, quo *Fulvium Plautianum* aperte tenemus. Accedit, teste Herodiano Plautianum non modo Afrum, et municipem Severi fuisse, sed etiam ex aliquorum sententia ei consanguinitate junctum.^{d)} At Severus *Fulvium* quoque, ac *Fulviam* in majoribus suis habuit teste Spartiano. ^{e)} Denique *Fulviam* gentem invicte comprobatur marmor

a) l. c.

b) Cap. 6.

c) Cap. 5.

d) in Carac.

e) in Severo sub iuit.

editum a Fontanino in Antiquit. Hort., et restitutum a Morcello, a) in quo Plautilla dicitur FVLVIA. PLAVTILLA. AVS. FILIA. L. FVLVII. PLAVTIANI. Eadem nomina praefert vetus tegula apud Marinium, b) sed in qua praenomèn habet Caii: OP. DOL. EX. PR. C. FVLV. PLAVT. PR. PR. C. V. In numo Aegirae Achaiae legitur ΦΟΥΛ-
 BIAN. CEBACTHN omisso Plautillae nomine. c) In numo Alindae Cariae apud Haymium Plautilla dicitur ΝΕΑ. ΘΕΑ.

HPA. Harduinus eam ex numo Gabalae Syriae vocat ΙΟΥΚΤΑΝ. ΦΟΥΛΑΟΥΤΙΑΝ ΠΛΑΥΤ. Ait, numum esse in museo Mediceo, d) sed quem non memini ibi a me conspectum.

Coloniarum numi pauci exstant, et horum plerique signati apud Corinthum, quos vide indicatos a Vaillantio, et Pel-
 lerinio.

Alexandrini utrum exsint, mihi incompertum.

PRETIUM.

Numi commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	C.
Argentei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.

Numi commatis peregrini. Vide mox dicta.

L. vel P. SEPTIMIUS GETA.

Natus patre Severo adhuc privato, matre Domna apud Mediolanum VI. Kal. Iun. Severo et Vitellio cof., ut visum Spartiano. e) Tillemontius annum V. C. 942 P. X. 189 eruit, sed difficili et incerto, quod ad annum diemque attinet, criterio. f) Geta dictus est ex nomine avi paterni, vel patru. g) Patrem Seve-

rum, postquam remotis aemulis unum imperium obtinuit, in Orientem ad bellum Parthicum confectatus, quo tempore frater Caracalla Augustus dictus est, ipse volentibus militibus, et mox patre senatuque adprobante Caesaris titulum abstulit V. C. 951. h)

a) de Stilo inscript. p. 88. b) Frat. arv. p. 620. c) Sestini Lettere T. V. p. XIX.
 d) Num. illustr. sub Gabala. e) in Geta c. 3. f) Nota VI. in Sever. g) Spartian.
 in Geta c. 2. h) Spartian. in Sev. c. 16. et in Geta c. 5.

V. C. 951 — 957. P. X. 198 — 204.

CAESAR. PONT. PRINC. IVVENT.

Aetate Getae rebus agendis nondum matura nihil per hos annos memoratu dignum occurrit. Numi intra hoc tempus signati communes plerumque cum Severi et Caracallae numistypos habent, cumque de paucissimis certum iudicium ferri possit, cui anno ex omni hoc septennio singuli tribui debeant, eos confertos misis de ordine chronologico conjecturis commemorare hoc loco lubet. Ceterum ut in Caracalla, sic et in Geta ad explorandam numi verisimilem aetatem non parum conferent lineamenta vultus aetatis progressum indicantia.

- A. L. SEPTIMIUS. GETA. CAES. *Caput nudum in AV. AR. AE. I.*
- B. P. SEPTIMIUS. GETA. CAES. *Caput nudum, in AV. AR.*
- C. P. SEPT. GETA. CAES. PONT. *Caput nudum, in AV. AR. AE. II.*
- D. GETA. CAES. PONTIF. *Caput nudum, in AV. AR.*
- E. L. SEPT. GETA. CAES. PONT. *Caput nudum, in AV. AR.*

Vt lit. C.

AETERNIT. IMPERI. *Capita laureata Severi et Caracallae se respicientia.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput Caracallae laureatum.* In aliis: IVLIA. AVGVSTA. *Caput Domnae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

De numis similibus, qui imperantem tum familiam sistunt, actum est in Se-

vero ad annum V. C. 954, quo et praesentes Getae signatos suspicor.

Vt lit. C.

DII. PATRII. *Hercules et Bacchus stantes cum suis singuli attributis.* AE. II. (Beger Thef. Br. T. II. p. 705.)

Similem aversam recitavimus in Caracalla ad annum V. C. 957.

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVGVSTORVM. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Ad communem aliquam liberalitatem domus Caesareae a patre imperatam referendus numus.

Vt lit. B. et C.

NOBILITAS. *Mulier stans d. hastam, f. Victoriolam.* AR. Q. AE. II. (Mus. Caes.)

Nobilitatem etiam Commodus in moneta sua jactavit, ut vidimus ad annum V. C. 939, sed Commodus ex vero, prognatus parentibus Augustis, Severi nobilitas intrusa, ut dictum in hoc ad annum V. C. 948. Vide, quae dicentur iufra ad titulum *Caesaris*.

Vt lit. C.

PRINC. IVVENTVTIS. *variis typis.* AR.

Vt lit. B.

SAECVLARIA. SACRA. *Sacrificium.* AE. max. mod. (Mus. Farnes.) AE. II. (Patin numi Imp.)

Numi hi ad annum V. C. 957 pertinent, quo ludi saeculares acti, de quibus vide plura in Severo ad hunc annum.

Vt lit. A.

SEVERI. PII. AVG. FIL. *Instrumenta pontificalia.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Similis aversae inscriptio existat quoque in numis Caracallae cum Caesaris, tum Augusti. Ad pontificatum Getae ad-

Inedit typus, etsi in numo vox PONT. eddit.

Vt lit. C.

SEVERI. INVICTI. AVG. PII. FIL.
Protome Getae capite radiato d. sublata.
AV. (Mus. Caef.)

Singularis sane typus, Geta Solis cultu propositus, quod arguit caput radiatum, et dextera elata, quod docentibus numis obviis Soli proprium, aut, quod idem est, Orienti, qui iisdem cum Sole attributis fingitur, quem circum haec tempora Severus devicit, ex quo *Invicti* titulum in hoc numo propositum abstulit. Quae causa fuerit filii hoc Solis habitu proponendi, qui nimirum Severo per arduum hoc in Oriente bellum opem tulerit.

V. C. 958. P. X. 205.

CAESAR. COS. PRINC. IVVENT.
PONT.

Exspirat praenomen LVCII retento PV-
BLII.

Consul conlega fratre consule II. procedit.

Animadvertendum, in numis Getae, postquam consulatum inivit. non semper notari consulatum. Istud certum fit ex oris lineamentis, quae proveciorem aetatem arguunt, quam ut ante annum praesentem ferri potuerint. Quare haec quoque in consilium vocanda.

A. P. SEPT. GETA. CAES. PONT.
Caput nudum, in AV. AR.

B. P. SEPTIMIUS. GETA. CAES.
Caput nudum, in AV. AR. AE. II.

C. GETA. CAES. PONT. COS. *Caput nudum, in AV. AR.*

D. GETA. CAES. PONTIF. COS.
Caput nudum, in AE. II.

E. GETA. CAES. PONTIFEX. *Caput nudum, in AE. II.*

Vt lit. A.

CASTOR. *Castor seminudus stans d. equum capistro retinet, f. hastam. AR. AE. I. II.*
(Mus. Caef. Vaill.)

Novus in moneta imperatorum typus Castor, etsi perantiquus in numis consularibus. In praesentibus numis ad *Principem juventutis* adludit, qui velut Castor ludis equestribus praefuit Troja dictis, de quibus alibi. Castorem equis delectatum, ut Pollucem pugillatu, jam inde ab Homero notum: *)

Καστορα δ' ιπποδαμον, και πνε αγαθον
Πολυδευκεα.

Castoremque equorum domitorem, et pugillatu valentem Pollucem.

Eadem averfa est in numis Gallieni, et Postumi.

Vt lit. B.

COS. *Processus Getae consularis. AR.*
(Mus. Caef.)

Vt lit. D.

FELICITAS. SAECVLI. S. C. *Severus, Domna, Caracalla, et Geta sedentes in suggestu, stante infra alia figura, quae dexteram vasi applicat. AE. II.* (Mus. Caef.)

Numum similem in Caracallae numis vagis citavimus.

Vt lit. B.

*) Odyss. A. 299.

PRINC. IVVENT. COS. *Caesar eques ci-
tato cursu sequentibus binis aliis.* AV.
(Mediob.) AE. II. (Mus. Caes.)

In aliquorum sententia hic typus ex-
hibet ludum Troiae, cui Geta ut prin-
ceps juventutis praefuerit. Minus tamen
illud verisimile videri, dicemus in tra-
ctatu de Principe juventutis. Indicat cer-
te quaecumque equestre studium, cū
Geta quocumque nomine operam dedit.

V. C. 961. P. X. 208.
CAESAR. COS. II. PRINC. IVV.
PONT.

Consul II. fratre conlega consule III.
procedit. Cum patre et fratre ad bel-
lum Britannicum exit.

P. SEPTIMIUS. GETA. CAES.
Caput nudum.
PONTIF. COS. II. *typis variis.* AV. AR.
AE. II.

Eadem adversa.
LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas
flans.* AR. (Mus. Caes.)

Lineamenta oris in hoc numo plane
conveniunt Getae, qualis fingitur in cer-
tis anni hujus, et praecedentis numis.
Memorata isthic liberalitas VI. non Ge-
tae est, sed Severi; nam infra ad an-
num 964 liberalitatem Getae nonnisi V.
intuebimur, quo loco de praesentis quo-
que numi liberalitate agemus. Sic et
in Caracallae numis ejusdem anni ha-
bemus liberalitatem VI., sed quae item
patris fuit. Erogata fuit, antequam Se-
verus in Britanniam cum filiis proficif-
ceretur. In numi hujus explicatione Vail-
lantius, ut saepe alias, graves dedit
neglectarum inique partium anticarum
poenas, cum adseruit, *sextam illam Ge-*

*tae liberalitatem ultimam esse, quam popu-
lo distribuit, cum ille Romam ex Britannia
post patris mortem reverteretur.* Degebat
eum ex adversa numi facie advertere,
in hac Getam non Augustum, sed Cae-
sarem adhuc appellari, atque adeo con-
giarium illud multo ante fuisse praebitum.

V. C. 962. P. X. 209.
AVGVSTVS. TR. P. COS. II. PONT.
PIVS.

A patre Augustus dicitur, et trib. po-
testatem accipit. (Factum istud anno
praesente, adcurate stabiliemus in tra-
ctatu de trib. potestate.)

IMP. CAES. P. SEPT. GETA.
PIVS. AVG. *Caput laureatum.*
PONTIF. TR. P. COS. II. *typis variis.*
AR. AE. II.

V. C. 963. P. X. 210.
TR. P. II. COS. II. PONT. PIVS.

IMP. CAES. P. SEPT. GETA.
PIVS. AVG. *Caput laureatum in
AR. AE. I., etiam radiatum in
AE. II.*
PONTIF. TR. P. II. COS. II. *variis ty-
pis.* AR. AE. I. II,

*Eodem anno:
Incipit BRIT.*

P. SEPT. GETA. PIVS. AVG.
BRIT. *Caput laureatum.*
PONTIF. TR. P. II. COS. II. *Mulier
flans d. cornucopiae, s. caduceum oblongum.*
AR. (Mus. Caes.)

V. C. 964. P. X. 211.
TR. P. III. COS. II. PONT. PIVS.
BRIT.

P. SEPTIMIUS. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in*

~~AE. I., etiam radiatum in AE. II.~~

B. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

Vt lit. A. et B.

PONTIF. TR. P. III. COS. II. *variis typis*, in AR. AE. II.

Vt lit. B. et A.

FORT. RED. TR. P. III. COS. II. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICT. BRIT. TR. P. III. COS. II. S. C. *Victoria armis insidens inscribit clypeo.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno :

Mortuo patre incipit P. P. expirat PONT.

Mortuo die IV. Februarii apud Eboracum patre, et facta cum barbaris pace cum fratre Romam revertitur. Metus per totum orbem ingens propter utriusque fratris dissensum. Caracalla fratri cum per iter, tum frequenter in urbe insidias fruit.

Vt lit. B.

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. (Mus. Caes.)

Numus Getae in urbem hoc anno adventum testatur.

Vt lit. A.

CONCORDIAE. AVGG. S. C. *Caracalla, et Geta paludati stantes cum hastis jungunt dexteras, quorum ille ab Hercule, hic Bac-*

cho astantibus coronatur. AE. I. (Mus. Caes.)

Praeclare numum explicat Dio. *) Cum enim intellectae essent utriusque discordiae nimis fatales imperio futurae, decretum est a senatu, ut pro concordia utriusque sacrificaretur diis immortalibus, ac praesertim ipsi CONCORDIAE. Verum jam tum patuit, irrita haec fuisse vota: nam pessimum omen fuisse lupi duo sacrificii tempore conscendere Capitolium visi, ut idem continuo refert. Urbis exemplum imitatae urbes Graecae ludos passim ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ celebravere, ut eorum frequentes numi docent. Hercules, et Bacchus tanquam dii auspices patris Severi, et dii patrii Caracallae et Getae, ut ex eorum moneta docemur, in hoc numo proponuntur, quorum nimirum esset, utriusque concordiam totius orbis votis expetitam peragere.

Vt lit. B.

FORT. RED. TR. P. III. COS. II. P. P. *Mulier humi sedens d. rotae innixa, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Ad vota pro reditu in urbem concepta referendus numus.

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVGG. V. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIB. AVGG. VI. ET. V. *Duo imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas, alia figura per gradus ascendente.* AV. (Vaill.)

Vt lit. A.

*) L. LXXVII. § 1.

LIBERALITAS. AVGG. VI. ET. V. S. C. Idem typus. AE. I. (Mus. Caes.)

Prior ex his numis Getae liberalitatem V. enunciat, sequentes liberalitatem ejus V. cum VI. Caracallae componunt. Mirum sane videatur, memorari hoc anno liberalitatem V. Getae, cum ejus congiarium VI. jam viderimus ad annum V. C. 961. At vero idem fuit Getae in iis numerandis institutum, quod Caracallae a me supra ad ejus numos anni V. C. 964 observatum. Quamdiu Severus vixit, filii nos suarum liberalitatum numeros, sed patris, monetae inscripsere. Egregie istud ex numis ipsis conficitur. Etenim in numis Severi ad annum V. C. 961 vidimus numum: **LIBERALITAS. AVGG. VI.**, et in eo propositos Severum, Caracallam, et Getam ad congiarium erogandum adfidentes. Sexta ergo haec liberalitas omnibus tribus communis habita. Deinde vidimus etiam ad eundem annum 961, in omnium horum numis eandem hanc liberalitatem VI. seorsim memorari, certo argumento, ab his quoque numeratas patris liberalitates. Verum patre mortuo filii eas tantum liberalitates sibi proprias fecere, quae collatae fuerunt, ex quo saltem jam Caesares dicti sunt. Cum igitur Severus, cujus congiaria omnia sex numero fuerunt, unum jam distribuerit anno V. C. 946 Caracalla adhuc privato, hoc neglecto necesse est liberalitatem Caracallae, anni praesentis esse numero sextam. Cumque pater Severus duo erogaverit Geta adhuc privato, his missis oportet praesens Getae congiarium esse ordine quintum. Dispensatum ergo est, cum uter-

que Augustus post patris mortem ex Britannia in urbem reverteret, quod invicte docet addita singulis *Britannici* appellatio. Iterum quaeso mirare Vaillantii ἀποδείξαι, qui, quo loco in laudatum numum aureum commentatur, sic differit: *hoc liberalitatis Caracallae et Getae monumentum in hujus numis vivo adhuc patre, antequam ad bellum Britannicum cum ipsis proficisceretur, editum est.* Enimvero in his numis uterque dicitur Britannicus, an vero hoc elogio praediti fuere, antequam ad dictum bellum exirent? At enim partes anticatas in numis Latinis, quam Graecis nullo loco habuit.

Vt lit. A. vel B.

TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.*
AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 965. P. X. 212.

TR. P. IV. COS. II. P. P. *PIVS. BRIT.*

Desperata fratrum concordia, turbisque per imperium ex eorum discidiis ingies crescentibus de dividendo imperio consilium ineunt, quod agente matre repudiatur. ^{a)} Tandem Caracalla Getam ad necem diu frustra quaesitum (nam acerbis custodiis salutem muniverat,) post simulato amore in retia pertractum in sinu matris interficit aetatis anno XXII. mense IX. Ex hoc Dionis testimonio ^{b)} et quoniam Spartianus eum die XXVII. Maji natum statuit, chronologi ejus mortem exeunti Februario anni praesentis adfigunt, de quo vide plura in tractatu de trib. potestate.

^{a)} Herodian.

^{b)} L. LXXVII. § 2.

Inde a fratribus Thebanis non vidit
 orhis atrocius, funestiusque fratrum dis-
 sidium. Alterutrum fratris gladio per-
 emptum tri pridem fuit praevifum aper-
 to utrinque odio, et manifestis Caracal-
 lae infidiis. Tamen malum istud, cum
 jam averruncari nequiret, Caracallae
 potius capiti, quam Getae imprecaban-
 tur omnes. Illius ferocia, et animus im-
 potens pridem cognitus, at Geta teste
 Herodiano ^{a)} probitatis prae se opinio-
 nem ferebat, moderatusque erat, et
 lenis in congressibus, et clarorum viro-
 rum societate, et ingenuis exercitatio-
 nibus apprime delectatus, quanquam
 Spartianus asperos huic quoque mores,
 non tamen impios objiciat. ^{b)} Quam in
 ejus quoque caesi amicos, et omnem
 aulam saevierit Caracalla, ipso etiam,
 corruptis ingenti pecunia praetorianis,
 hoste judicato, in ejus moneta memo-
 ratum. Et vero implacabile odium, quod
 sopiri vulgo per mortem etiam alieni so-
 let, in fratre tamen duravit, sic ut mor-
 te multarentur, qui Getae nomen vel
 scripsissent, vel pronunciaissent, adeo ut
 poetae ipsi noto hoc servulorum nomine
 deinceps uti non auderent. Succensebat
 etiam laxior in ejus effigiem sculptis, et
 monetam ejus imagine signatam confla-
 vit. ^{c)} At inanes fuere hi conatus, nam
 et copiosi Getae numi in nostram dura-
 vere aetatem, et supererant simulacra
 fratris, quibus conspectis, si Spartiano
 fides, ^{d)} in lacrimas solvebatur. Non
 tamen istud poenitentia necis fraternae,
 sed quod reae conscientiae furis qua-

teretur, ut dixeram in moneta ad an-
 num V. C. 967. Erasum ejus nomen ex
 monumentis publicis copiosa testantur
 marmora, ac praecipue arcus Severi
 hodieque Romae superstes, ut animad-
 verti in Caracalla ad V. C. 957. Ta-
 men ejus funus curatius, quam pro par-
 ricida extulit, condiditque in via Ap-
 pia in sepulcro Severi. ^{e)}

Vxor nulla a veteribus proditur. •

Numi:

Hujus anni numos in nullo catalago
 reperio, si Mediobarbi indicem demas,
 atque ex his primus, inscriptus LIBE-
 RALITAS. AVG. VI., sine dubio est an-
 ni V. C. 961, ut vidimus, et notandum
 praeterea, a Mediobarbo huic numo an-
 ticam, quam libuit, adfingi. Eum enim
 citat ex Vaillantio, qui describendis par-
 tibus anticis fideliter abstinet. Alter cum
 epigraphe: DIVO. GETAE. PIO, certe
 confictus est; nam adhuc ejus consecra-
 ti numos reperire non licuit. Suspecta
 item videtur lectio aliorum: PONTIF.
 TR. P. III. COS. II. DES. III. P. P.
 Nondum observavi numos Getae inde a
 patris morte percussos cum voce PON-
 TIF., etsi ea obvia sit in numis illo vi-
 vente signatis. Videtur Geta, cum usque
 modo unicuique tantum fuerit pontifex ma-
 ximus, atque haec dignitas ad unum
 Caracallam, seniore nempe Augustum,
 pertinuerit, pontificatum simplicem, qui
 solus debitus erat, penitus dissimulasse,
 ne se inferiorem fratre publice profite-

^{a)} in Carac. ^{b)} in Geta c. 4.
^{c)} Spartian. in Geta c. 7.
 (Vol. VII.)

^{e)} Dio L. LXXVII, § 12.

^{d)} in Geta c. 7.

retur. Est haec conjectura, ex subito hoc in Getae numis post Severi mortem ejus dignitatis neglectu petita, quam libenter aspernabor, cum primum quis numum aliud docentem obtulerit. Nam ut saepe professus sum, nihil me movet unius Mediobarbi auctoritas, praecipue cum nova, et inaudita adfert. Plus de, ferro numo postremo: TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Elephas*, qui a reliquorum norma non dissentit. Hic numorum trib. potestatis IV. seu defectus, seu penuria tribuenda Caracallae, qui fratris monetam, ut supra ex Dione docuimus, consilii praecepit, vel quod vix delibato tribunatu IV., atque adeo maturius, quam id visum eruditis, interfectus est, de quo nonnulla in tractatu de trib. potestate notabo.

Divus Geta.

De eo consecrato haec Spartianus:^{a)} *Nam Bassianus, cum eum occidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque, posse mitigari facinus, si divum fratrem appellaret, dixisse fertur: sit divus, dum non sit vivus. Denique inter divos retulit.* Sitne huic Spartiani testimonio continuo subscribendum, dubitem. Certe hujus consecrationis neque Dio, neque Herodianus, quamvis coaevi, meminerunt, et mirum sane, qui hostis judicatus publice est, inter divos relatum. Tillemontius ad numos provocat, sed horum vadem Mediobarbum citat, qui tamen unicum tantum id genus citat, idque tam perfunctorie, ut

satis appareat, sibi magis simile numisma desideratum, quam conspectum. Accedit, non existare numum Getae inter eos, qui in memoriam Augustorum consecratorum Gallieni, ut creditur, aetate signati sunt, neque ejus fieri mentionem in catalogo divorum [Caesarum, quem vulgavit Bucherius. b)

Numi commatis peregrini.

Horum illustris est copia tam in uribus liberis, quam coloniis signatorum. Aenigma offert is, quem hoc loco describere juvat.

Epigraphe ambigua. Caput Getae nudum.

STA. BOV. *Bos gradiens*. AE. II. (Mus. Caes.)

In numum hunc commentati jam sunt Patinus,^{c)} et Harduinus.^{d)} Prior apud Stabias Campaniae numum percussum censet. Harduinus, Patini dictata fere recoquit, additque, truncatis his vocabulis notari geminum Campaniae oppidum *Stabias*, et *Bovillas*. Vereor, ut vetus haec sententia hodie satisfaciat. Constans enim nunc opinio est, ex quo summa rei penes imperatores stetit, Italiae, qua patet, urbes a feriunda moneta abstinuisse. Deinde quo pacto Harduinus, *Bovillas* Campaniae oppidum potest pronunciare, quae in Latio, et proxime Romam sitere? Vberiore adhuc lucem cimelium istud exspectat, perinde ac numi similis aenigmatis ARNASI sub Treboniano percussi.

a) in Geta c. 2.

b) Doctr. temp. p. 267.

c) Num. Italp.

d) Opp. fel. p. 161.

Nomina.

Lucius, Publius. Inde a Commodo alterum hoc in Geta exemplum habemus variantium praenominum. Ratio in Geta non satis expedita; nam difficile est, ex numis saltem commatis Romani elicere, siue eodem tempore promiscue utroque praenomine usus, an repudiato praenomine *Lucii*, quod initio proprium habuit, ad alterum *Publii* transiverit; quod expediri vix poterit, quoniam numi Getae ante ejus consulatum signati notis chronologicis destituuntur. Illud certum, inde ab anno V. C. 958 jam penitus suppressam *Lucii* appellationem. At exstant numi Graeci, qui utrumque praenomen conjungunt. Sic in binis numis integerrimis Neocaesareae Ponti apud Haymium is dicitur: A. Π. CΕΠ. ΓΕΤΑC. ΚΑΙC. *) In alio Gythii Laconiae apud Pellerinium: AOT. Π. ΓΕΤΑC. b) qua in causa difficile sane est arbitrari. Forte placuit in eum congerere utrumque praenomen, quorum unum *Lucii* fuit patris Severi, alterum *Publii* patris, cujus Geta noster omnia nomina habuit, quem nempe marmor Gortynium appellat: ΠΟΥΒΑΙΟΝ. CΕΠΤΙΜΙΟΝ. ΓΕΤΑΝ. c) Ceterum geminati praenominis in uno eodemque homine exempla plura ex marmoribus contulit diligentissimus Marinus. d)

Pius. Quamdiu Caesar erat, hoc nomine abstinuit, mox una cum Augusti nomine suscepit. Fuit sane hoc tempo-

re, atque etiam deinceps nomen istud non nisi Augustis proprium.

Antoninus. Ab ipsis veteribus dubitatum, utrum Getae Antonini nomen fuerit, ut colligitur ex Spartiano sub initium vitae Getae. Continuo probare copiose instituit, eum quoque dictum Antoninum, quod et diserte proficitur Capitolinus. e) Numi hanc appellationem ignorant. Gruterus pag. 157 quatuor ordine marmora profert, quae Getam Antoninum dicunt, sed iis, utut sincera profiteri velimus, nolimus omnem habere fidem. Vide etiam, quae in Elagabalo ad nomen Antonini notabo.

Severus. Si fides marmoris Hispanico apud Gruterum, f) Severi quoque nomen habuit, sed istud alia monumenta dissimulant.

Hadrianus. In numo ab Hienfibus signato, ut auctor est Pellerinius, g) juxta Getae caput legitur: Π. CΕΠΤ. ΑΔΡ. ΓΕΤΑC. ΚΑ., quo confit, Getae etiam *Hadriani* nomen fuisse. Suspiciatur Pellerinius, numum hunc non ad nostrum Getam, sed alterum aliquem *Hadrianum Getam*, Caracallae ex Plautilla forte filium posse pertinere. Argumenta, quae adfert, valde sunt infirma, et solis Froelichii conjecturis, sed his quoque infirmis, nixa, quas jam supra in liberis Plautillae refutavi. Dubitari ergo nequit, hunc quoque numum esse Getae Severi filii, nomenque illi Hadriani a patre datum, qui se per ri-

a) Tom. II. p. 335. b) Mel. II. p. 160.
334. e) in Macrino c. 3. f) Pag. 267. 2.

e) Gruter. p. 1099. 7. g) Rec. III. p. XIII.

d) Frat. arv. p.

endam adoptionem, de qua egi in Se-
vero ad annum V. C. 948, Hadriani
pronepotem dixit.

Iulius. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΕΝΤΙΜΙΟΣ. ΓΕ-
ΤΑΚ dicitur in numo Boeae Laconiae
apud Pellerinium. *) Si non fefellit mone-
tarius scribendo ΙΟΥΛΙΟΣ pro ΠΟΤΒΑΙ-
ΟΣ, nomen Iulii traxit a matre Iulia.

Britannicus. Titulus Getae communi-
cum patre et fratre inde ab anno V. C.
963, ut diximus, et dicetur copiosius
in tractatu de trib. potestate.

Caesar.

Ad hanc dignitatem eum evectum
An-
ximus anno V. C. 951. Primus omni-
um, quod sciam, *Nobilissimus Caesar* di-
citur in marmore Gruteri, b) tum et in
arcu Severi, cujus epigraphen recitavi
in Caracalla ad annum V. C. 957.

De nomine Augusti, et trib. potestate.

De tempore controverso, quo Geta
utrumque accepit, vide, quae docebi-
mus in tractatu de trib. potestate.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei II.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, et coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.

M. OPELIVS MACRINVS.

Maurus genere e civitate Caesarea pa-
rentibus obscuris natus V. C. 917, ut
colligitur ex Dionē. *) Intellecta ejus in
administrandis bonis fide Romae cogni-
tus, probatusque primum Plautiano,
dein Caracallae, ab hoc post obita va-
ria minora munera praefectus praeto-
rio designatus est, quem magistratum in
iis certe omnibus, quae ex animi sui

sententia fecit, optime et iustissime gef-
sit. d) Caracalla V. C. 970 bello Par-
thico intento cum certum sibi ab hoc
exitium imminere intelligeret, hujus
caede suae consulendum saluti ratus,
inita cum paucis conspiratione sui secu-
rum ope Martialis evocati die VIII.
Aprilis interficiendum curat. e) Caedis
suspicionem ut certius declinaret, bidu-

a) Rec. III. p. 194.
e) Dio l. c. § 5.

b) Pag. 45. 13.

c) L. LXXVIII. § 40.

d) Dio L. LXXVIII. § 11.

um totum ab invadendo imperio abstinuit. Illectis interea amicorum opera per spem praemiorum militibus die XI. Aprilis ipso Severi natali imperator acclamatur, a) Tenatu propter laetitiam ex Caracallae morte perceptam facile cum his consentiente, et omnia principibus decerni solita conferente.

V. C. 970 P. X. 217.

TR. P. COS. P. M. P. P.

C. Bruttio Praefente, T. Messio Extricato
II. cof.

Diadumenianum filium Caesarem dicit. Adversus Artabanum Parthum, qui valido cum exercitu Caracallae perfidiam ultum advenerat, bellum movet, vincitur, et redempta ingenti pecunia pace in Syriam revertitur. b)

A. IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. radiatum in AR. maj. mod.*

B. IMP. CAES. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

Vt lit. A. et B.

PONTIF. MAX. TR. P. COS. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. I. II.

Vt lit. B.

PONTIF. MAX. TR. P. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II.

Vt lit. A. et B.

VOTA. PVBL. P. M. TR. P. *variis typis.* in AV. AR. AE. I. II.

V. C. 971. P. X. 218.

TR. P. II. COS. et COS. II. P. M. P. P.
Macrino Aug., Advento II. cof.

Milites indulgentiae, et liberalitati Caracallae adsueta revocatam disciplinam, et parsimoniam aegre ferunt. Quo intellecto Maesa Iuliae Domnae soror tunc Emesae degens suum ex filia Soaemiade nepotem Elagabalum, quem ex furtivo cum Caracalla congressu genitum mentiebatur, militi amplis promissis corrupto ostentat, a quo receptus in vicina castra imperator pro Macrino adclamatur. Et obviam ab Antiochia progressus Macrinus collatis signis vincitur die VIII. Iunii, mox abjecto cultu Caesareo Chalcedonem usque terrestri itinere pervenit, verum ibi proditus tractusque in Cappadocia occiditur anno aetatis LIV. exacto in imperio anno I. mensibus II. c) Ejus, et filii Diadumeniani, qui alio loco interfectus est, capita pilo circumlata sunt. d)

Prodigio simile visum, virum ejus aetatis ac usus, neque rei bellicae ignarum a puero, opem conferentibus duabus mulierculis, duobus ipsis imbellibus, et nullius in re militari usus, orta ex vicino seditione unico praelio eventum. Si Capitolinum audimus, misero hoc facto non est indignus habitus, nam et superbum fuisse ait, et sanguinarium, et in suppliciis supra quam credi possit, inhumanum, qui praeter alia extremae

a) Dio l. c. § 11. b) Dio L. LXXVIII, § 26. 27. c) Dio L. LXXVIII. d) Lam.

prid: in Diadumen. c. 9.

crudelitatis exempla, quae ibi commemorat, vetus supplicium a Mezentio re-
pertum, dum corpora viva mortuis con-
jungeret, revocavit, quam ob causam
• *Mezentium*, et pro Macrino *Macellinum*
per opprobrium dictum adfirmat. Ta-
men vero propius est, hanc ei ignomi-
niam ab adversis partibus adfictam;
nam coevus Dio eum justum, fidelem
regum experientia, et virtute insignem,
etsi adfectati imperii reum, deprædicat.

Vxor *Nonia Celsa*, teste Lampridio,^{a)}
cujus praeter nomen aliud nihil, neque
etiam numos tenemus.

Vt lit. A. et B.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. P. P.
variis typis. AV. AR. AE. I. II.

Vt lit. A. et B.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P.
Imperator in lentis quadrigis d. ramum,
f. sceptrum cum aquila coronatur a Victo-
ria retro currui insistente. AV. AR. AE.
I. II. (Vaill. Mus. Caes.)

Alii eodem modo inscripti variis ty-
pis, et metallo.

M. OPEL. SEV. MACRINVS.
AVG. *Caput laureatum.*^{a)}

COS. II. *Victoria gradiens.* Quin. AV.
(Mus. olim de France Vindob.)

In prioribus numis indicatur Macrini
processus consularis anni praesentis. De
Macrino, hoc anno in numis jam COS.,
jam COS. II., agetur alibi, ut mox in-
fra indicabitur. In numis cum Macrini,
tum Diadumeniani frequenter compa-
rent signa militaria. Sunt haec vexilla
Antoniniana, a Macrino in castris con-
stituta, et sic nominata ex nomine Dia-

dumeniani, quem Antoninum vocari
voluit.^{b)} Quinarius aureus, quem po-
stremum dedi, fidei mihi suspectae vi-
sus est.

Vt lit. A. et B.

VICTORIA. PARTHICA. *Victoria gra-*
diens, vel thoraci insidens. AR. AE. I. II.

Vt lit. A. et B.

VICT. PART. P. M. TR. P. II. COS. II.
P. P. *Idem typi.* AV. AR. AE. II. (Vaill.
Mus. Caes.)

Comprobant hi numi, quod refert
Dio,^{c)} Macrinum icto cum Parthis foe-
dere, postquam inferior-praelio discesse-
rat, non omnia, quae eo bello acta
sunt, senatui accurate perscripssisse. In-
terim tanquam ob partam victoriam
decreta ei fuisse sacrificia, et *Parthici*
cognomen, quod tamen non recepit, ut
vilium, pudore, ab iis fumendi agno-
men, a quibus victus esset.

Numi vagi.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans.*
AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVGVSTI. S. C. *Ma-*
crinus et Diadumenianus in suggestu con-
giario praesident. AE. I. (Mus. Caes.)

Ex lege ordinaria congiaria erogata
non sunt, nisi praesente in urbe princi-
pe, quae ut ex ipsis numis, raro alio
exemplo, abunde confirmatur, sic et
sub Macrino adhuc valuit teste Lampridio:^{d)} *Congiarium etiam per edictum An-*
toninianum promisit, ut ipsum edictum po-

a) in Diadum. c. 7. b) Lamprid. in Diadum. c. 3. c) L. LXXVIII. § 27. d) in Diadum. c. 3.

terit indicare. Verba edicti: *Vellem, Quirites, jam praesentes effernus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret.* Ergo ad illud repraesentandum sua filii-que praesentia saltem per communem consuetudinem praetexta est. Tamen ex praesentibus numis liquet, indicatam liberalitatem a Macrino captandae certe benevolentiae causa etiam se absente occupatam. Simile exemplum collati absente principe congiarii in Hadriano ad annum V. C. 870 vidimus.

Numi reliqui obvio argumento: ANNONA. AVG. — FIDES. MILITVM. — IOVI. CONSERVATORI. — SECVRTAS. TEMPORVM.

Numi commatis peregrini.

Exstant numi tam *urbium liberarum*, quam *colontarum*, at nihil praeterea de his praecipendum.

Nomina.

Privato nomina fuere: *M. Opeltus Macrinus*. Capitolino constanter dicitur *Opeltus*, ut et filius ejus *Diadumenus Lampridio*, numis, marmoribus, auctoribus coaevis unanimiter *Opeltum*, et *Diadumenianum* enunciantibus. Et tamen futiles hi scriptores propter temporum viciniam abundabant monumentis, quorum nobis rara mensis relicta. Adeo ve-

rum est, multa nos ex historia vetere, licet aetate dispari, arte critica manu ducente nosse melius, et adcuratius, quam vicino illo aevo cognitum fuit. In numis Graecis saepe duplicatur Π, sic: ΟΠΠΕΛΑΙΟΣ. Sed et Graeci perperam scripsere ΠΑΩΤΤΙωα et ΜΑΤΤΙδία, ut vidimus.

Severus passim in numis, et nomen istud confirmat quoque Capitolinus. ^{a)}

Pius Felix. Hi tituli in numis absunt, sed leguntur in marmoribus apud Muratorium. ^{b)} Consentit etiam Dio, et si depravato misere loco ^{c)} scripsit vero se in epistola Caesarem, imperatorem, et praeter Macrini nomen Severum, tum PIVM et FELICEM, Quare nullo loco putandum testimonium Capitolini, a senatu utrumque Macrino titulum decretum adferentis, sed ab hoc receptum tantum nomen *Felicitis* repudiato *Pii*. ^{d)} Voluisse praeterea Antoninum se, et *Pertinacem* vocari, idem quoque historicus tuetur, ^{e)} alii ignorant.

De Macrini trib. potestate, et consulatibus.

De trib. ejus potestate agemus in tractatu singulari de hac dignitate, quo loco explicabimus etiam, quo modo accipiendi sint duplices consulatus, qui intra eundem annum Iulianum in Macrini moneta observantur.

a) in Macr. c. 2. et 5.
Macr. c. 5.

b) Pag. 459. 1. et 1993. 7.

c) L. LXXVIII. 16.

d) in

e) in Macr. c. 2. et 5.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I. et II. formae	O.

Commatis peregrini.

Vrbium liberarum	R.
Coloniarum	RR.
Alexandrini	RRR.

M. OPELIVS DIADUMENIANVS.

Ei pater Macrinus, mater Nonia Celsa. Natus est anno V. C. 961, ut colligitur ex Dione.^{a)} Diem prodit Lampridius XIX. Septembris, nempe qui idem fuit natalis Antonini Pii.^{b)} Eum pater V. C. 970 adserto sibi per Caracallae necem imperio *Caesarem et Antoninum* dixit,^{c)} et Augustum, ut mox amplius disputabitur. Reliquum ei fatum cum patre commune. Hic ab Elagabalo victus, et fugere coactus filium, quo ejus saluti consulere, ad Artabanum Parthorum regem misit.^{d)} Sed et ipse hostibus proditus, et a milite interfectus est.^{e)}

Multus est Lampridius in commendanda ejus pueri forma, quam tantam fuisse tradit, ut quasi sidereus et coelestis emicaret, et ab omnibus venustatis gratia amaretur.^{f)} Praeter crinem flavum, nigros oculos, et mentam ad omnem decorem compositum effert is etiam ejus

os ad oscula paratum, quae una causa fuit, cur Bottarius protomen marmoream, quae servatur in museo Capitolino, esse Diadumenianum pronunciaret, nimirum quod in ea labium velut propinaturi oscula videre sibi visus esset.^{g)} At enim ut abundavit donis naturae, ita teste eodem Lampridio^{h)} defituebatur, quae sunt multo illis praestantiora, donis gratiae. Nam increpasse patrem literis tradit, quod iis benignius parceret, qui suspecti rerum novarum videbantur. Animi tam in puero saevum nullum penes Dionem, et Herodianum indicium, videturque Lampridius eandem invidiam, qua Capitolinus (nisi hic idem cum priore est) patrem Macrinum plus iusto oneravit, in filium quoque voluisse derivare.

V. C. 970. 971. P. X. 217. 218.

CAESAR. PRINC. IVVENT.

a) L. LXXVIII. § 34. b) in Diadum. c. 5. c) Vide infra sub his nominibus. d) Dio. L. LXXVIII. § 39. e) Capitolin in Macr. c. 10. f) in Diadum. c. 3. g) Museo Capitolino. h) Cap. 3.

- A. M. OPEL. ANT. DIADVME-
NIAN.° CAES. *Caput nudum in*
AV. et AR.
- B. M. OPEL. ANTONINVS. DIA-
DVMENIANVS. CAES. *Caput*
nudum in AE. I. et II. formae.
- C. M. OPEL. DIADVMENIANVS.
CAES. *Caput nudum in AV. et*
AR. (Mus. Caes.) radiatum in AR.
maj. mod. (Mus. Caes.)

* * *
Antica incerta.

FIDES. MILITVM. *Mulier flans inter qua-*
tuor signa militaria. AR. (Vaill.)

Vt lit. A. B. C.

PRINC. IVVENTVTIS. *Caesar paluda-*
tus flans inter signa militaria vario numero.
In omni metallo et forma.

Vt lit. A. B.

SPES. PVBLICA. *Spes gradiens. AR.*
AE. I. II.

Numi commatis peregrini.

Vt patris Macrini, ita et filii habentur
numi iusto numero tam in urbibus libe-
ris, quam in coloniis percussi. Quod hi
peculiare, et ad iuvandam ejus Caesa-
ris historiam offerunt, per sequentes a-
nimadversiones proponetur.

Nomina.

M. Opelius, nomina patria.

Macrinus. In numo Docimeii Phrygiae:
M. OΠΕΛ. ΜΑΚΡ. ΑΝΤΩΝ. ΔΙΑΔΟΥ-
ΜΕΝΙΑΝΟC. Κ. (Sestini Lettere T. IV.
p. 125.)

Diadumenianus. Ita non modo in nu-
mis omnibus, et marmoribus, sed etiam
a coaevis Dione et Herodiano constan-
ter appellatur. Taceant igitur his aucto-
ribus scriptores inferioris aevi omnes,
quibus *Diadumenum* eum vocare placuit.
Duplicem ejus appellationis causam pro-
ponit Lampridius, *) vel quod ejus na-
sti capiti tenue diadema tam fortiter ad-
haesit, ut avelli non posset, ex quo e-
ventu *Diadematus* primum, deinde *Dia-*
dumenus dictus esset, quam fabulam li-
benter permittimus illis, quorum saliva
his bellariis addicitur, vel a nomine a-
vi materni, quod vero proprius, et si le-
vi auctore nixum.

Antoninus. Quae causa Severo fuit,
ut filium Bassianum *Antoninum* diceret,
eadem fuit et Macrino. Nimirum utrique
cognitus mos populi attoniti et supersti-
tiosi, qui, ut belle ait Horatius, *stupet*
in titulis, et imaginibus. Nihil frigidius
et ineptius ea voluptate, quam sensit
pater, cum nomen istud arrepto impe-
rio in filium contulit. En teste Lampri-
dio argumentum literarum (si modo non
confictae sunt) quas ea causa ad uxorem
Noniam Celsam scripsit: *b) Antonini*
pater factus sum, Antonini mater es
facta. Onos beatos! o fortunatam domum!
etc. Et in edicto congiarii ita Romanos
adfatur: *vellem, Quirites, jam praesentes*
essemus! Antoninus vester vobis congi-
arium sui nominis daret; daret praeterea
et pueros Antoninianos, et puellas Antoni-
nianas etc. c) En quorsum delapsa est
nominis Antoniniani majestas et reve-
rentia, arcessiti infelice hac aetate, ut

a) Cap. 4. b) in Diad. c. 7. c) Ibid. c. 9.
(Vol. VII.)

claritudine sua oculorum aciem obtunderet, ne in Caesaribus appareant obscurissimi generis, morumque, et ultimae infamiae sordes! Principio artificium evoto celsit. Nam proposito novo hoc Antonino adclamavit miles: *Antoninum habemus, omnia habemus etc.* ^{a)} At non multo post male materiatus hunc Antoninum alter similis compagis Antoninus evertet.

In numo Aegarum Ciliciae apud Hymium hic Caesar solo *Antonini* nomine indicatur.

Nobilissimus Caesar.

Hactenus hic titulus a moneta quacunquē extorris, etsi illum jam Getae tribuant marmora, ut vidimus. Primus in numis, sed commatis peregrini, Diadumenianus sic appellatur, quorum unum Laodiceae coloniae aedidit Belleus, inscriptum: NOB. CAES; ^{b)} Addo alium coloniae Caesareae Samaritidos museo Caesareo nuper illatum, addito sub finem; N. CA. Procul dubio qui Antoninus, idem et nobilissimus. Graeci *Nobilissimum* Caesarem verterunt *Επιφανεστατον Καισαρα*, ut dixi in numis Antiochi IV. Syriae regis.

Augustus.

Pluribus locis Diadumenianum *diferete imperatorem* appellat Dio. ^{c)} Alibi tempus distincte docet, nimirum coepto jam adversus Elagabalum bello, cum

ad hunc persequendum Apameam progressus esset Macrinus, filium, etsi non nisi decimum annum ageret, imperatorem esse renunciatum. ^{d)} Quin et in sua ad patrem epistola, quam recitat Lampridius, ^{e)} scripsit: *Patri Augusto filius Augustus*. Honorem hunc numi non pauci, sed commatis peregrini, ac praecipue Antiochenes, et insignis Thyatirenus apud Pellerinium ^{f)} confirmant, in quibus dicitur ATT. K. addito etiam nonnunquam CEB. et corona laurea, quos videre est apud Pellerinium, Vaillantium in Colonniis, et in museo Caesareo. Romani commatis cum titulo Augusti nullus exstat; credo, serpente iam inter utramque aemulum bello, et incerto exitu differre senatusconsultum placuit, quo collata haec a Macrino dignitas confirmaretur, ut tum moris fuisse manifeste colligitur ex Dione. ^{g)} Paulo post victo utroque ac caeso exempta haesitatio. Atque haec una causa fuerit, cur ab ipsis veteribus disputatum sit, fueritne Diadumenianus unquam Augustus dictus, quos inter sic Capitolinus: ^{h)} *Sciendum praeterea, quod Caesar fuisse dicatur, non Augustus Diadumenus puer, quem plerique pgrj fuisse cum patre imperio tradidere*. Constat nimirum, adclamatum eum fuisse a patre et militibus, sed nondum accessit sententia patrum, ac propterea tergiversatas provincias Occidentales Augusteum titulum distulisse suspicor. Exstat apud nos Vindobonae nobile marmor jam a marchione Maffeo vulgatum: ⁱ⁾

a) Lamprid. in Diad. c. 1. b) Mem. B. L. Tom. XXIII. c) L. LXXVIII. § 37. 38.
d) Ibid. c. 34. e) Cap. 8. f) Mel. I. p. 100. g) L. LXXIX. § 2 et 8. h) in
Macr. c. 10. i) Mus. Veron. p. 241.

IMP CAES M
 OPELIVS SEVERVS
 MACRINVS PIVS FEL
 IX AVGVSTVS PONTE
 FEX MAX TRIB POT
 II P P COS PROCON
 SVL ET M OPELIVS
 ANTONINVS DIADV
 MINIANVS NOBILISSIMVS
 CAES PRINCEPS IVVENTVT
 PROVIDENTISSIMI AVG
 FECERVNT

Additus Macrino tribunatus II. docet, marmor istud fuisse positum ejus jam imperio ad finem vergente, et tamen adhuc Diadameniano honor Augusteus negatur. Non ̄best, ei hunc honorem deferri verbis PROVIDENTISSIMI AVG., nam communicatus is cum filio fuit propter consortium cum patre, cujus nos plura, eaque certissima exempla deinceps intuebimur, et cum primis Vol. VIII, in Observatis gen. sub titulo *Augusti*.

Utrum Consul?

Mediobarbus Diadumenianum a patre mox ab adito imperio non modo dictum Augustum, sed etiam consulem iterum pronunciat. Cum eo ratione consulatus sentit quoque Tillemontius, addito, consulatus eos fuisse suffectos. ^{a)} Verum ex quo fonte Mediobarbus perversam hanc doctrinam hausit, quae cum historia vera componi nullo modo potest? nimirum ex numo argenteo, quem ipse primum in moneta Diadume-

niani ad V. C. 971 citat, in cujus aversa: P. M. TR. P. H. COS. II. P. P. Egregium sane monumentum, quod ad eruendam veritatem advocetur. Esto, non repugnare titulos posteriores, an non vel tironem advertere mox debet titulus P. M. Diadumeniano, utcunque rem spectes, indebitus? Ex quo consequitur, etsi adulterinum esse numum non continuo statuam, aversam numi permutatis, cujus obvia exstant exempla, matricibus ad Macrinum pertinere, aut certe numum hunc, quoniam argenteus fertur, esse subaeratum, et adeo ad faciendam fidem ineptum. Ad̄o ars nostra, quae tam insigniter philologiam juvat, etiam damnosa est, nisi criticam jungimus. Nollem in simili causa gravissime lapsum eruditum Khellium, qui argenteum max. mod. ex museo Ariosti sic promulgat: ^{b)} ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΗΑΤΟC. ΤΟ. Α., ex quo adeo indicio primus saltem Diadumeniani consulatus posset erui. Verum in laudato numo nequaquam TO. A. sed distincte TO. Δ. legitur, quod spondere possum, quoniam gaza Ariostiana cum museo Caesareo unita numum ipsum ante oculos habeo. Ergo si numo huic fides, non unum, vel duos, sed ipsos quatuor consulatus dabimus puero decenni. Quis non videt, properantibus monetariis aversam, quae tota Caracallae est, cum Diadumeniani capite conjunctam? Numus est Antiochensis, et refert Lampridius: ^{c)} *hac habita concione (nempe Macrini ad milites) statim apud Antiochiam monetam Antonini Diadumeni nomine percussam esse.*

a) in Macrino p. m, 252.

b) Subplem. p. 135.

c) in Diadum. c. 2.

DIADUMENIANVS.

Ergo in ea festinatione monetarii de ejus solum capite foliciti, aversem Caracallae, cujus tum nomine feriebatur moneta, cum aduersa novi Caesaris composuere. Fueritne Diadumenianus consul, an non, ex certis adeo monumentis probari non potest. Mediobarbus con-

sules anni V. C. 971 statuit Diadumenianum II. et Adventum, sed facti Antoninum et Adventum. Sed hunc Antoninum non fuisse Diadumenianum, sed Elagabalum, probabitur in tractatu de trib. potestate.

PRETIVM.

Commatis Romani :

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis Peregrini :


Vrbium liberarum et coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.

M. AVRELIVS ANTONINVS

vulgo ELAGABALVS.

Operae pretium videtur, adcuratius stirpem Elagabali, quae quatuor Augustos, totidem Augustas Romano imperio dedit, proponere. Quem ad finem opportunum erit praemittere schema genealogicum in compendium redactum.

Balsianus



De iis, qui Augusto nomine insignes fuere, agitur in singulorum numis. Reliquorum, qui privati fuere, expediendus hic status.

Bassianus, nobilissimae deinceps gentis auctor. Ejus nomen forte unicus Victor prodit: a) *hic* (Caracalla) *Bassianus ex avi materni nomine dictus*. Fuisse ex genere plebeio, (ἐκ δημοτικῆς γενεῆς) patet ex Dione, b) quoniam is hac conditione natam Domnam adferit. Quare vix credam, fuisse eum apud Emisam sacerdotem Elagabali, quod aliqui opinantur, cum verisimile non sit, tam illustre sacerdotium fuisse plebeio delatum, quanquam certum sit, eum Emisae domicilium fixisse; nam Herodianus ejus filiam Maesam hinc oriundam proficitur. Ab ejus nomine Caracallam vocatum Balsianum diximus, et sic quoque vocatos Elagabalum, Alexandrum, et Soaemiadem videbimus.

Julius Avitus, maritus Maesae. Julii nomen definite habemus ex Dione, c) qui addit, eum fuisse consularem, nimirum uxore hos honores viro impetrante. Fuisse ei nomen *Avitii*, historici di-

serte non produunt, sed colligunt eruditi ex Dione, qui avum Elagabali dictum fuisse Avitum memorat. d) Sed poterat et avo paterno esse Aviti nomen. Quailsunque hic Avitus imperante Caracalla Asiae primum, dein Mesopotamiae, denique Cypro praefuit, ut eruitur ex lacunis Dionis. e) Ab hoc Elagabalus *Aviti* nomen hausit, quo non raro a veteribus compellatur.

Sex. Varius Marcellus, maritus Soaemiadis, Elagabali pater. De eo in haec verba Dio: f) habuit Maesa ex filia Soaemide, *Varioque Marcello populari suo (nam Apamea Marcella patria erat) saepe procuratoris munere functo, et in senatum adlecto, denique mortuo, filium Avitum.* (Elagabalum intellige.) Omnia ejus nomina exhibet insigne epigramma in utraque lingua, repertum in vinea prope Velitras, et a variis vulgatum, quod, quoniam praeclara multa continet, integrum juvat proponere captum ex commentariis cl. Oderici insignis a scientia lapidaria nominis. g) Aeneae tabulae incisum existat in singulari dissertatione edita Romae 1765 auctore anonymo.

ΣΕΞΤΩ. ΟΥΑΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ.

ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΝΤΙ. ΤΑΥΤΩΝ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΝΤΙ. ΕΠΑΡΧΕΙΟΥ. ΒΡΙΤΑΝΝΕΙΑΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΝΤΙ. ΛΟΓΩΝ. ΠΡΕΙΒΑΤΗΣ. ΠΙΣΤΕΥΘΕΝΤΙ. ΤΑ. ΜΕΡΗ. ΤΩΝ. ΕΠΑΡΧΩΝ. ΤΟΥ. ΠΡΑΙΤΩΡΙΟΥ. ΚΑΙ. ΡΩΜΗΣ. ΔΑΜΠΡΟΤΑΤΩ. ΑΝΔΡΙ. ΕΠΑΡΧΩ. ΕΡΑΡΙΟΥ. ΣΤΡΑΤΙΩΤΙΚΟΥ. ΗΓΕΜΟΝΙ. ΔΕΥΕΙΩΝΟΣ. Γ. ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ. ΑΡΞΑΝΤΙ. ΕΠΑΡΧΕΙΟΥ. ΝΟΥΜΙΔΙΑΣ. ΙΟΥΛΙΑ. ΣΟΑΙΜΙΑΣ. ΒΑΓΓΙΑΝΗ. ΣΥΝ. ΤΟΙΣ. ΤΕΚΝΟΙΣ. ΤΩ. ΠΡΟΣΦΙΛΕΣΤΑΤΩ. ΑΝΔΡΙ. ΚΑΙ. ΓΑΥΚΤΑΤΩ. ΠΑΤΡΙ.

a) in Epitome. b) L. LXXVIII. § 24. c) L. LXXVIII. § 30. d) L. LXXIX. § 16.
e) L. LXXVIII. § 30. f) L. LXXVIII. § 30. g) Dissert. et Adnot. p. 199.

ELAGABALVS.

SEX. VARIO. MARCELLO.
 PROC. AQVAR. C. PROC. PROV. BRT. CC. PROC. RATIONIS
 PRIVAT. CCC. VICEPRAEF. PR. ET. VRBI. FVNCTO
 C. V. PRAEF. AERARI. MILITARIS. LEG. LEG. III. AVG.
 PRAESIDI. PROVINC. NYMIDIAE
 IVLIA. SOEMIAS. BASSIANA. C. F. CVM. FILIIS
 MARITO. ET. PATRI. AMANTISSIMO.

*Ab hoc Elagabalus filius dictus est *Varius*, ut dicitur, et thermae *Varia-nae*, quas Victor in regione XIII. con-Rituit.

Gessius Marcianus, maritus Mamaeae, Alexandri pater. Memoratur ab uno Dione: a) Maesa nepotem alterum ha-buit ex Mamaea *Gessioque Marciano Syro*, et ipso ex urbe *Arae*, et procurationibus quibusdam functo, nomine *Bassianum*. Ejus reliqua ignorantur. Fuisse illum alterum Mamaeae maritum conjicit *Marinius*. b)

Parentibus ergo Sex. Vario Marcello et Soaemiade natus Elagabalus anno fere V. C. 958, nam eum Herodianus anno 971, quo imperium arripuit, an-nos natum circiter XIV. adferit. c) Eme-sae eum primam lucem vidisse verisimi-le est; illum enim *Iulianus Aug. 70* ex της Εμεσης παιδαριον vocat. d) Nomina tum habuit *Varii Aviti Bassiani* a majo-ribus collecta. Adultior una cum con-sobrino Alexandro creatus est sacerdos dei Elagabali, cujus Emesae templum magnificum et opulentum stetit. e) Nul-la adhuc ad summum fastigium spe man-sit in ea fortuna, dum avia Maesa ar-tes muliebres expediret. Ea sororis Dom-nae beneficio hucusque in aula versata,

sed inde post Caracallae exitium a Ma-crino pulsa, et in patriam Emesam re-verfa, cum vita illi privata ipsa morte intolerabilior videretur, nepotem Ela-gabalum respexit, per quem amif-sam fortunam repararet. Edocta longo in aula usu praesentis imperii omnem statum, tum machinas omnes, quibus magnae fortunae pervertuntur, tenues adfurgunt, militum a Macrino averfio-ne in rem suam usa coepit comminisci, Elagabalum ex furtivo Caracallae cum Soaemiade congressu conceptum. Is rumor cum in milites efferretur, qui ad tuendam Phoenicem prope Emesam ca-sira habuere, iis jam pridem forma pu-eri captis, cum in urbem commeantes pretioso indutum habitu pontificatus munia obire viderent, tum corrupti pe-cunia, quam longa parsimonia corrasam Maesa liberaliter erogaverat, effectum facile, ut Elagabalum cum avia, ma-tre, et omni familia die XVI. Maji V. C. 971 in castra reciperent, f) et tanquam Ca-racallae filium nomine *M. Aurelii Antoni-ni* imperatorem salutarent. Re audita Ma-crinus Iulianum cum militibus mittit, qui seditiosos coercerent. At hi quoque pro-missis illecti, tum moti superstitione no-

a) L. LXXVIII, § 30.
 e) Herodian. l. 6.

b) Frat. arv. p. 509.
 f) Dio L. LXXVIII, § 30.

e) in Macrino.

d) in Caesariis.

vi Antonini sibi de vallo ostentati caeso duce in partes discedunt. Quare Macrinus ipse in aciem progressus inter Syriae, ac Phoenices fines signa confert die VIII. Iunii, sed a majore suorum parte proditus victoriam et imperium aemulo puero cedere cogitur. *) Rei gestae fama tam celeriter Romam pervasit, ut fratres Arvales Elagabalum, quem die VIII. Iunii victorem diximus, jam *pridie idus Iul. in Capitolio convenerint ad vota annua suscipienda pro salute et incolunitate imp. Caes. M. Aurelii Antonini Pii Fel. Aug. P. M. tr. pot. cos. procos.*, verba sunt illustri fragmenti ante paucos annos in Vaticano, cum fundamenta aedificandae sacristiae jacerentur, reperti, quo acta diurna fratrum Arvalium continentur.

V. C. 971. P. X. 218.
TR. P. COS. P. M. P. P.
Antonino Aug. Advento II. cos.

Victor Antiochiam ingressus ad senatum scribit, se ipsum non expectata patrum sententia imperatorem, Caesarem, filium Antonini, Severi nepotem, Pium, Felicem, Augustum, proconsulem addita trib. potestate appellans. **) In Macrini locum se hujus anni consulem edicit. ***) Iam in Syria caedes orditur. Instituto Romam itinere Nicomediae hiberna agit. d)

Cum in numis Elagabali astrum arcae aedificum vix compareat ante ejus consulatum III., omnes illi numi, qui dicto astro carent, et alia nota chronologica destituntur, hoc anno, et proxime sequente signati videntur.

- A. IMP. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AR. moduli ordinarii, radiatum in AR. mod. majoris.*
- B. ANTONINVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AR.*
- C. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AR.*
- D. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR. radiatum in AR. maj. mod.*
- E. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. etigm radiatum in AE. II.*
- F. IMP. CAES. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
- G. IMP. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
- H. IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV.*
- I. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV.*
- K. ANTONINVS. V. PIVS. FEL. AVG. *Vide infra sub nomine Antonini.*

Vt lit. D.
LIBERALITAS, AVG. *Liberalitas stans.*
AE. III. sed est anima subaerati. (Mus. Caes.)

Romam ut venit, ait Herodianus, (in Elagab.) - - - distribuit populo congiarium, ut mos est imperium suscipientibus. At vero congiarium, quod in urbem adven-

a) Dio L. LXXVIII, § 39. b) Dio L. LXXIX, § 2. c) ibid. § 8. d) Dio ibid,

tans dedit, jam fuit numero secundum, ut videbimus in numis anni sequentis inscriptis: LIB. II. TR. P. II. Igitur prima haec liberalitas, quam adductus numus praedicat, ob successorem in imperio erogata fuit, et quidem ab Elagabalo absente, cujus exemplum in Macrinio quoque vidimus, et altera anni proximi ob ejus in urbem adventum, aut verius ob nuptias Paulae, quarum occasione fuisse eum in omnes ordines munificum tradit Dio. ^{a)} Numus praesens subaeratus quidem est, atque hac de causa auctoritatis per se levis. Tamen et Mediobarbus aeneum cum liberalitate simplice recitat, et cum certum sit ex numis fuisse Elagabalum anno sequente liberalem secundo, indubitatum est, praecessisse aliam, eamque anno praesenti adsignandam.

Vt lit. F.

NOBILITAS. *Mulier stans d. hastam, f. Victoriolam.* AR. (Mus. Caes.)

Perpicuum est, Elagabalo nobilitatem fuisse debitam, ex quo Caracallae se filium ferre constituit. Supra diximus, commentum istud Maesae fuisse, quamquam, cui notus Caracalla, incredibile videri non debeat, illi cum Soaemiade, quo tempore in aula versabatur, illicitum commercium intercessisse, non abhorrente ab ea suspicione Herodiano. Istud si verum, miserum sane aevum, quo adulterium non infamiam, sed nobilitatem intulit. Atqui Caracallae eum filium publice fuisse agnitum, confirmat fragmentum fratrum Arvalium supra laudatum, in quo Elagabalus dicitur

DIVI. MAGNI ANTONINI. FIL. DIVI. SEVERI. NEP.

Antica varia.

P. M. TR. P. COS. P. P. vel: PONTIF. MAX. TR. P. *Roma sedens d. Victoriolam, f. hastam.* AR. AE. I. II.

Reliqui: SALVS. ANTONINI. AVG. — VICTORIA. ANTONINI. AVG. — VOTA. PVBLICA. alique, inscriptionibus, et typis obviis.

V. C. 972. P. X. 219.

TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.
Antonino Aug. II. Sacerdote II. cof.

Consul iterum Nicomediae procedit. ^{b)} Romam proficiscitur, spectacula magnifica instruit, dei Elagabali cultum intrudit exstructo ei templo. ^{c)}

Vt lit. G. et E.

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Numi hi ex facto ad hunc annum revocandi.

Vt lit. A. et B.

CONSVL. II. *addito in aliis: P. P. Aequitas stans.* AK. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

LIB. AVG. II. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Imperator in suggestu congiario praesidet.* AV. (Mus. olim de France.)

Alius, ut lit. E, et scriptum LIBERAL. AE. (Mus. Caes.) In alijs: LIBERALITAS. AVG. II. vel: LIBERALITAS. AVGVSTI. II. Liberalitas stans. AR. AE. II.

a) L. LXXIX, § 9.

b) Dio L. LXXIX, § 2.

c) Herodian.

De hoc congiario actum anno praecedente ad liberalitatem I.

Antica varia.

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *typis variis in omni metallo, et forma.*

Vt lit. I.

TR. POT. II. COS. II. P. P. *Imperator in lentis quadrigis d. ramum, s. sceptrum cum aquila.* AV. (Mus. Caes.)

Indicatur hoc typo processus consularis hujus anni.

V. C. 973. P. X. 220.

TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.

Antonino Aug. III. Eutychno Comazonte II. cof.

Vt lit. E.

ADVENTVS. AVG. TR. P. III. S. C. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. II. (Mus. Caes.)

Repetitur, quod raro in numis, Elagabali in urbem anno superiore adventus.

Vt lit. G.

LIBERALITAS. AVG. III. *in aliis IIII. Liberalitas flans, in area astrum.* AR. (Mus. Caes.)

Binae hae liberalitates haud dubie in annum praesentem, et proximum erunt dispartienda. Vtriusque causa ignoratur. In his factum fuerit, quod narrat Lampridius, a) populo sortes fuisse distributas, quae dictabant decem camelos, aut decem libras auri, aut totidem plumbi etc. aut alias decem ursoſ, decem glires, decem lactucas etc.

quibus populus aut lucri, aut risus appetens adfatim delectabatur.

Antica varia.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *variis typis, in area plerumque astrum.* In omni metallo, et forma.

V. C. 974. P. X. 221.

TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P. *Grato Sabiniano, Claudio Seleuco cof.*

Suadente Maesa Alexandrum consobrinum adoptat, Caesarem dicit, et secum consulem in annum sequentem designat. Paulo post facti poenitentia ducitur, eique insidias fruit, sed quas maternae curae, et militum in Alexandrum propensio elidunt. (Vide haec explicatus in Alexandro.)

Vt lit. H. et B.

SANCT. DEO. SOLI. ELAGABAL. *Quadrigae lentae vehentes lapidem conoidicum, circum quatuor perticae, quarum singulis impositus lapis conoidicus minor.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

CONSERVATOR. AVG. *Quadrigae lentae vehentes lapidem conoidicum una cum aquila alas explicante, in area astrum.* AV. (Mus. Caes.) AE. max. mod. (Bellely B. L. hist. T. XVIII. p. 231.)

Vt lit. G. et E.

INVICTVS. SACERDOS. AVG. *Imperator togatus flans ante aram ignitam s. palmae ramum, humi bos victima, in area astrum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

a) in Elag. c. 23.
(Vol. VII.)

Vt lit. G. et E.

INVICTVS. SACERDOS. AVG. *Imperator togatus stans ante aram ignitam s. palmae ramum, humi bos victima, in area astrum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. G. et E.

SACERDOS. DEI. SOLIS. ELAGAB. *Typus similis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

SVMMS. SACERDOS. AVG. *Typus similis.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Imperator stans ad aram d. pateram, s. palmae ramum, pone duo hastilia, quorum unum in ferrum acutum defixit, alterum in conum.* AR. (Mus. Caes.)

Hi numi, insanum Elagabali in Syria cum suum numen adfectum testantes, non omnes anno praesente signati sunt; nam primo et secundo loco descripti propter delicatiora oris lineamenta annis superioribus certo debentur, reliqui quoniam barbulam luculentam ostentant, anno huic, et sequenti ejus postremo. Coniungere tamen illos etsi disparis aetatis placuit, quoniam argumento coniunguntur, certe nulla chronologiae iactura. De hoc deo, et Elagabali in eum studio haec habemus. Ejus religionem et nomen ipsum esse Phoenicium, diserte prodit Herodianus.^{a)} Nam habuisse eum apud Emesam, vel Emisam (utroque modo scribitur) Syriae vel Phoenices urbem, certe in utriusque confinio sitam templum maximum auro plurimo, et pretiosis lapidibus refertum memorat. Ejus nomen varie proditur. In mar-

more Gruteri legitur: SOLI. ALAGABALO.^{b)} At recte secundum numos marmor Pannonium editum nuper a cl. Schönwiesner:^{c)} DEO. SOLI. ELAGABAL. Herodiano est *Ελαγαβαλος*, Lampridio, aliisque inferioris aevi scriptoribus *Heliogabalus*, Dioni *Ελεγεβαλος*,^{d)} at numi, quos citavi, *Elagabalum* diserte vocant. Etymon ex lingua Hebraica, aut huic adfines ducendum, et quidem priore sui parte ab *לן*, quae vox deum notat, indubitatum, quanquam de altera parte *לן* litigetur, de quo vide Spanhemium,^{e)} et Belleyum.^{f)} Peregrinum hunc deum eundem fuisse cum Sole, numi praesentes, atque alia veterum testimonia abunde testantur, atque hinc fluxerit scriptorum minus eruditorum error, qui, quod pro Sole habebatur, qui Graecis *ἥλιος*, vocem hybridam *Heliogabalum* confinxere. Ejus veram formam numi I. et II. clare ob oculos ponunt, nimirum figura conii, reliqua consona explicabit Herodianus, *simulacrum ejus*, inquit, *nequaquam, ut Graecis Romanisque manu factum ad dei similitudinem, sed lapis est maximus, ab imo rotundus, et sensim fastigiatus velut conus, color ei niger, feruntque delapsum coelo.*

Huic deo Elagabalum nostrum (nam a deo in cultorem appellatio fluxit) enixius fuisse addictum, quoniam patrium istud institutum fuit, et ejus ipse jam puer sacerdos, nequaquam mirum, quin et religiosum habebatur. At quod mox ab adito imperio, cum gentis imperantis suscipienda sacra ratio ipsa praeci-

a) in Macrino. b) Pag. 32. 12. c) Iter Pannon. P. II. p. 277. d) L. LXXIX. § 11. e) Caes. Iuliani Preuves p. 46. f) B. L. hist. T. XVIII. p. 231.

peret, ipse edicto sanciret, ut aliis diis omnibus, atque ipsi etiam Iovi Elagabalus suus praeferretur, ipse imaginem numinis sui Romam praemitteret, in media curia loco edito collocandam, urbem ingressus ei templum constitueret, et barbarico ipse habitu ac ritu munia sacerdotis palam fungeretur, vetaretque, ne quis Romae deus nisi Elagabalus suus coleretur, id vero intolerabile cunctis visum. Accessit extremae amentiae argumentum illustre, quod cum caelibem suum deum esse nollet, uxorem ei circumspexit. Ac primo cum Palladem non indignam eo loco putaret, ejus simulacrum inde ex quo advectum Ilio fuerat, innotum in aulam transtulit, eamque nuptiales taedas in hunc diem averlatam compellere ad nuptias cum deo extra coelum Graecum nato tentavit. Continuo re curatius expensa, deo suo cum uxore armata et bellicosa non recte convenire, deam Coelestem, seu Vraniam Carthagine advehendam curavit, praeclaro istud consilio; nam cum qua Sol Elagabalus aptius convenientiusque jungeretur, quam cum hac Vrania, quam lunam Afri censuere? Tum vero urbe tota, ac per Italiam, nimirum nubentibus diis, indicta Theogamia, et dos per totum imperium descripta. Caeso imperatore patuit, invito Hymenaeo has coaluisse nuptias; nam pulsus urbe maritus Syriam, uxor Africam imperato divortio repetivere. Haec quae usque modo docui, vide copiosius apud Dionem, ^{a)} Herodianum

et Lampridium. ^{b)} Exstitisse hunc deum Emesae adhuc Aureliani aetate, qui eum donariis et templis ornavit, refert Vopiscus. ^{c)}

Numus ex propositis primus vectum, publice deum Elagabalum exhibet. Idem factum refert Herodianus, nempe impositum eum vehiculo auro gemmisque distincto, deductumque ex urbe in suburbanum, quo loco ejus templum stetit, praeunte currum imperatore ac frenos retinente, quem processum vide apud laudatum auctorem liberaliter descriptum. Quid notent quatuor perticae, quae currum ambiunt, et totidem connos sustinent, mihi incertum, neque operae pretium, in omnia stultae superstitionis mysteria diligentius inquirere. Eodem modo Heliopoli quoque vehebatur deus Heliopolitanus, qui Sol item fuit. Sic enim de hoc Macrobius: ^{d)} *vehitur enim simulacrum dei Heliopolitani ferculo, uti vehuntur in pompa ludorum circensium deorum simulacra.* Notus passim simulacrorum sic vectorum sacer ritus. Teste Herodoto ^{e)} apud Papremium Aegypti Martis signum una cum sacello curru quatuor rotarum vehebatur. Exempla plura alia vide in mea Sylloge I. pag. 55. Ad idem argumentum pertinet numus II., qui Elagabalum *conservatorem Augusti* appellat, et conoidem hunc deum aquilae alis obumbratum exhibet, credo, quod Elagabalus aequae Solis ac Iovis dignitatem obtinuit more in Syria recepto, nam et Heliopolitanorum Coelestriae numen utriusque dei

^{a)} L. LXXXVII. § 12.
II. c. 63.

^{b)} in Elagab.

^{c)} in Aureliano.

^{d)} Saturn. I. 23.

^{e)} L.

habuisse honores in horum moneta demonstravimus. Quo factum, ut fluctuaret ipse Lampridius, utrum Iovis, an Solis sacerdotem diceret Soaemiadis filium,^{a)} et Spartianus in eodem accipiti deprehensus cum narrasset, ademptum Faustinae juniori templum, quod ei maritus Marcus sub Tauri radicibus fundaverat, addit, Elagabalum nostrum illud *sibi, vel Iovi Syrio, vel Soli (incertum enim id est) vindicasse.*^{b)}

Reliqui numi allegati imperatorem nostrum velut *invictum, et summum sacerdotem dei Solis Elagabali* proponunt, et quidem operantem sacris, cui muneri ut rite vacaret, atque secundum patrium institutum, circumcidit sese, et carnibus suillis abstinuit.^{c)} Offerunt hi numi habitum quoque, quo ministerii hujus temporis usus est, nempe *medio inter Phoenissiam stolam sacram, et laenam Medorum, ut eum describit Herodianus,*^{d)} et alio loco: *incessit barbarico cultu tunicas indutus purpureas intextas auro, et manulentas, et ad pedes demissas.*^{e)} Palmae ramus, quem sinistra tenet, quique in numis pluribus ad clavae similitudinem accedit, forte Phoeniciam religionis originem indicat; at hastilia cum indicatis attributis juxta defixa partem utique vesani ritus constituunt. Astrum superne in area defixum, ut in plurimis aliis Elagabali numis, deum Solem notat. In marmore Muratorii^{f)} legitur Iunius Marternus SACER. D. S. HALAGAB.

Vt lit. G. et E.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. va-

riis typis, plerumque in dei Elagabali cultu occupatis. AV. AR. AÆ. I. II.

V. C. 975. P. X. 222.

TR. P. V. COS. IV. P. M. P. P.

Elagabalo IV. Alexandro Caes. cof.

Comperto, Elagabalum consobri- no suo necem moliri, tumultuantur praetoriani, neque antea quiescunt, dum securitatem Caesari, et traditurum se omnes, quibuscum turpiter vixerat, promitteret. Renovatis insidiis, et orta rursus seditione ingressus castra ab iratis militibus una cum matre Soaemiade occiditur, corpus per urbem tractum in Tiberim abjicitur, quod factum circiter XI. Martii ex calculco Dionis, vi cujus imperavit annos III. menses IX.; dies IV.^{g)} aetatis anno XVIII.^{h)}

Ejus pueri infamiam vitae, moresque inde a tenera aetate omni libidine corruptos animo reputans aut dubitabit, utrum vera sint omnia, quae de ejus amentia, et sordibus fidem omnem superantibus tradidere veteres, aut mirabitur patientiam Romanorum ipsum triennium et amplius hanc orbis pestem ferentium. Natus ea conditione, qua, si patrem Varium spectes, privati modum excedere non debuerat, si Caracallam, in despectis propter adulterinos natales habendus erat, dejecto muliereularum artibus, et velut per ludum Macrino in imperium intrusus, et per necessitatem agnitus, cum mox post aditam summam dignitatem conciliare sibi populorum studia per moderationis et vir-

a) in Elag. c. 1.
o) in Macrino,

b) in Carac. c. 11.
f) Pag. 1113. 4.

c) Dio L. LXXIX. § 11.

d) in Elagab.
h) Dio L. LXXIX. § 20.

g) L. LXXIX. § 3.

Atutis specimina oportuisset, ea continuo ausus est, quae licere sibi alter, imperii per natales heres, prolatis virtute sinibus, munita Caesaribus domo non putasset. Mitto, quae ab eo crudeliter et avarae, nimirum ut insanis sumptibus aerarium sufficeret, in civium vitam ac fortunas decreta sunt; mitto etiam, quae per amentiam singularem, ac stuporem incredibilem; ut, cum coenam sibi ex pavonum, et lusciniarum linguis paravit, leones psittacis et phasianis pavit, interdum nonnisi calvos, aut luscos, aut podagrosos, aut surdos, aut longos, aut pingues ad coenam vocavit, in convivas repente leones et leopardos exarmatos immisit, aut iis coenam ex ebore, cera, aut marmore instruxit, aut cum omnes per urbem araneorum telas conferri in unum iussit, ex quarum pondere (confecta fuere decem millia pondo) de magnitudine Romae constaret. At fidem superant, quae de ejus impudicitiae sordibus memorantur. Non illi voluptas placita, quae secundum naturam esset. Stomachus virilem conditionem, meretricem professus est, et meretricio adscito cultu invitavit praetereuntes, ut ad se accederent, accepitque munera ejus causa rependi solita. Ejus instituti feminas omnes in unum coactas militari more adlocutus commilitones dixit, cum iis de generibus voluptatum disputavit, et donativum dedit. Conquiri toto imperio iussit, si quos liberalioribus natura ad voluptates praesidiis instruxit, quos inter Aurelius Zoticus Smyrnaeus praecipuos honores abstulit, evocatus Romam, et regia pompa ad palatium deductus, qui cum obvium sibi Elaga-

balum, ut par erat, salutaret: *domine imperator, salve!* ipse muliebrem in morem inflexa molliter cervice, ne me, agebat, dominum voces, domina enim sum. Nupsit vero etiam Hierocli Carico mancipio. Haec cum propalam, et in hac summi fastigii majestate patraret, aversi paullatim omnium ordinum ab eo astanti, paratoque melioris spei successore exitum habuit, ut vidimus, vitae contaminatissimae respondentem. Vide haec apud Dionem, Herodianum, Lampridium.

Vxores. Quas lege matrimonii duxerat, tres fuere, *Cornelia Paula*, *Aquilia Severa*, *Amnia Faustina*, hae quoque per vices repudiatae. Ex nulla pater evasit. De iis agetur in singularum numis.

Numi:

Vt lit. G. et E.

P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. *Imperator togatus stans ante aram d. pateram, s. ramum, in area astrum.* AR. AE. I. II.

Quam acriter de his numis, etsi minime raris, propter inscriptum tribunatum V. a viris summis disputatum sit, dicemus abunde in tractatu de trib. potestate.

Numi commatis peregrini.

Hujus generis numi tam in urbibus liberis Graecis, quam coloniis copiosi signati sunt, at ne hujus imperatoris numi cum moneta Caracallae misceantur, quod non raro viris exercitatissimis accidit, cautio sit.

Nomina, ac tituli.

* *Varium Avitum Bassianum* principio fuisse vocatum, altius diximus. *Varii*

nomen traxit a patre Sex. Vario Mar-
cello, ut hunc appellatum supra ex Di-
one, et epigrammate bilingui docuimus.
Quare ratio non est adferendi cum Lam-
pridio, ^{a)} ei hoc nomen datum ab avia
Varia. Fuisse huic aviae nomen *Iuliae
Maesae*, ex numis constat, Variam nul-
lus praeterea prodidit. Satis ex his ap-
paret, in nugis habendum, quod idem
auctor parum emunctae naris ex alio-
rum sententia refert, fuisse nempe Ela-
gabalum dictum *Varium*, quod *vario*
semine, de meretrice utpote, conceptus
videretur. ^{b)} Obstinuit Varii nomen, do-
nec illustrius Antonini usurpare inci-
peret, at hoc post ejus necem ex S. C.
eraso iterum Varius vocari coepit. ^{c)}
Avitum aliquoties vocat Dio, ^{d)} quin
et Xiphilinus, ^{e)} sed in quo corrupte le-
gitur: *τον Δεπον τον της Μαίσης Έγγονον*,
librariis prono errore ΔΟΤΤΙΟΝ pro
ΔΟΤΙΤΟΝ legentibus, quod a nemine
adhuc animadversum tandem suboluit
egregio Reimaro ad sanam crisin nato
factoque. ^{f)} Tractum istud nomen ab a-
vo Avito, diximus supra in diagramma-
te genealogico, valere autem ab Ela-
gabalo iustum, cum primum in Antoni-
ni nomen invasit, testatur Dio. ^{g)} *Bas-
sianum* disertè appellat Herodianus, ^{h)}
nimirum ab abavo materno. Tria haec
nomina in monumentis publicis non le-
guntur.

M. Aurelius Antoninus. Haec nomina
sibi adrogavit, cum Caracallae per ad-
ulterium filius credi voluit, cui sive men-

dacio, sive dedecori revera imperium
debuit. Eo interfecto, cum sanctum istud
nomen male impositum homini turpissi-
mo videretur. jubente senatu ex monu-
mentis publicis erasum est, ⁱ⁾ ac tum
convenientiora nomina ingesta *Pseudanto-
nini*. ^{k)} *Tiberini*, et *Tractitii*, quoniam
unco per urbem tractus, et in Tiberim
abjectus est, ^{l)} *Sardanapali*, quia hujus
Assyriae regis moribus vixit, ^{m)} *Assyrii*,
quod sacerdotum Syrorum habitu indu-
tus saepe prodivit. ⁿ⁾ Adeo *Antonini* no-
men per Pii et Marci sanctimoniam
omnibus gentibus venerabile ac sanctum
habitum, ac propterea a successoribus
avide, etsi nullo ad id jure expetitur
in Elagabalo turpiter desit, nemine de-
inceps eam appellationem adfectante.

Non possum hoc loco praeterire inso-
lentem capitis inscriptionem, quam ex-
stare in numo argenteo Elagabali, qui
in museum regis Hispaniarum migravit,
testatur cl. Beauvais, ^{o)} videlicet: AN-
TONINVS. V. Eam aliter capi non pos-
se video, quam Elagabalum esse ex Cae-
saribus *quintum*, qui Antonini nomine
praeditus fuerat. Si numus est integer,
ac vera, qualis proditur, epigraphe,
unicum istud est in omni antiquitate ex-
emplum, quod principem a decessoribus
homonymis addito numero distinguat,
qui mos nostra aetate in discriminandis
principibus obtinet. At video causam
luculentam, cur istud Elagabalus contra
omnem veterum morem constituerit. Ni-
mirum ut Macrino consulatum, tanquam

a) Cap. 10. b) Cap. 2. c) Lamprid. c. 17. d) L. LXXVIII. § 30. et L. LXXIX. § 2.
e) in Macrino. f) ad Dionis L. LXXVIII. nota 160. g) L. LXXIX. § 2.
h) in Macrino. i) Lamprid. c. 17. k) Dio L. LXXIX. § 1. l) Dio l. c. Lamprid.
l. c. m) Dio l. c. et L. LXXIX. § 13. n) Dio L. LXXIX. § 11. o) Hist. abrég.
des Emp. T. I. p. 328.

in imperium intruso, eripuit, ejusque nomen ex fastis erasit, ita numeratis quinque Antoninis Diadumeniano Antonini nomen velut indebitum, et injuria delatum ademit. Ex quo apparet, Elagabalum quinque tantum Antoninos, quibus ea appellatio verè competeret, agnosci voluisse, Pium, Marcum, Commodum, veros Antoninos, quibus deinde necessario addidit Caracallam, suum obtentu patrem, nam nonnisi per hunc jus illi in Antonini appellationem partum. Ergo praeter Diadumenianum exclusit etiam Getam, neque id mirum; nam praeterquam quod dubitari potest, fueritne hic unquam Antoninus dictus, a Caracalla hostis est judicatus, ejusque nomen ex monumentis expunctum. Exclusit etiam L. Verum, sed et hunc soli inferioris aevi scriptores Antoninum faciunt, certa monumenta ignorant, ut in ejus moneta dictum. Haec posteaquam commentatus fueram, forte in animadversionem Bimardi eundem numum describentis incidi, ^{a)} quem laetabar idem mecum in ejus epigraphes explicatione sentire, quanquam verisimile eidem videatur, literam insolentem V monetarii vitio irrepisse. Sic autem numum describit: ANTONINVS. V. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum.* X VOTA. PVBLICA. *Imperator ad aram sacrificans.* Mazzoleno litera V expleri posse videtur legendo *Vranius*, ^{b)} sed vereor, ut hanc conjecturam eruditus probaverit.

Pii et *Felicis* nomina continuo post susceptum imperium sibi adscivit, ut testantur numi, et quidem non exspectato senatus consulto. ^{c)}

De *Elagabali* nomine actum in numis anni V. C. 974.

Pater patriae, Consul, Trib. pot.

Dixi in annalibus V. C. 971 ex Dione, Elagabalum statim omnes principum titulos, et citra patrum decreta arripuisse, tamen inter hos *pater patriae* elogium non memorat Dio. Sed illud jam exhibent numi ejus anni, et concordat laudatum aliquoties fragmentum fratrum Arvalium, quod est ejusdem anni.

De *Elagabali consulatibus, et tribunatibus*, iisque secum compositis vide, quae prolixè differemus in tractatu de trib. potestate.

Discrimen inter numos Caracallae, et Elagabali.

Vt plerique utriusque Augusti numi, si curatius expendantur, certum aliquod, ad utrum pertineant, criterium offerunt, ita indubitatum etiam, esse nonnullos, ad quos ii quoque adhaereant, qui longius tempus in his studiis collocavere. Ex omni numero ii solum impediunt, qui faciem proponunt, quae adolescenti inde a XIV. aetatis anno usque XVIII. qui anni fuere Elagabali imperantis cardines, potest competere. Si qua lineamenta huic aetati aut detrahunt, aut addunt, numus haud dubie est Caracallae. Cum ergo in statuendo isthoc discrimine nonnunquam dubia obversentur, praesentis est instituti, in tironum cum primis gratiam leges diacriticas ferre,

a) ad Iobert. T. I. p. 284. b) Animadv. in mus. Pisau. P. II. p. 280. c) Dio LXXIX § 2.

quas qui applicare voluerit, vix unquam in ferendo iudicio peccaverit.

I. Cum caput prolixius barbatum est, aut provectoris aetatis, Elagabalo nequit convenire, qui annos XVIII. natus periit. Barba promissior in Caracalla circa trib. potestatem X. incipit, et simul certa, et constantia oris lineamenta. Elagabalus nonnisi postremo imperii anno barbam, eamque tenuem appendit.

II. Appellationes PART. MAX. aut BRIT. aut GERM. soli Caracallae convenire possunt, ut docet historia.

III. Eadem historia pro multis discrimen facile suppeditat. Sic cum leges *Victoria Parthica*, vel: *Ludi saeculares*, vel: *Arcus Augg.* etc. Caracallae monetam intellige, et sic ἀναλογως monetam Elagabali.

IV. Caput nudum, aut solum nomen *Caesar* sine mentione *Augusti*, est solius Caracallae. Elagabalus simul *Caesar*, simul *Augustus* fuit. Ex eadem regula Caracallae proprii putandi numi inscripti: *Princeps Iuventutis*.

V. Cum legeris PONTIF. sine MAX., hos omnes Caracallae tribue. Nam cum duo simul erant *Augusti*, lege usque ad *Balbinum* et *Pupienum* constante is tantum erat pontifex maximus, qui dignitate praestabat. Exstant tamen numi Caracallae vivo adhuc *Severo* signati, in quibus is P. MAX. dicitur, verum has voces non explendas *Pontifex Maximus*, sed *Parthicus Maximus*, dixi in numis Caracallae ad annum V. C. 955.

VI. Si in numo trib. potestas cum consulatu conjungitur, omnis tollitur ambiguitas. Caracalla nonnisi in tribunatu V. fuit consul I., contra Elagabalus

in tribunatu V. consul IV. Qui numi trib. potestatem V. excedunt, sunt Caracallae; nam in quinta caesus est Elagabalus.

VII. Numi, in quorum averfa comparet astrum, sunt Elagabali. Nam in certis Caracallae, aut qui una cum eo principatum tenere, Severi, Domnae, Plautillae, Getae, nunquam visitur, saepissime in numis Elagabali, sed non ante consulatum III., quin et ejus *gnaecei*. Constat, eo notari Solem Elagabalum imperatori cognominem.

VIII. Cum facies prorsus puerilis est, haud dubie erit Caracallae. Hic decennis a patre dictus est *Augustus*, Elagabalus annos natus fere XIV. Vbi numi ordine chronologico dispositi sunt, aetatis progressus in utroque *Augusto* manifeste apparet.

IX. Cum in inscriptione averfae occurrit AVGG., Caracallam item intellige; illo enim duo *Augusti* notantur, Caracalla partem imperii cum *Severo*, partem cum *Geta* fratre exegit. Elagabalus socium imperii *Augustum* non habuit.

X. Ad utrumque discernendum plurimum conferunt inscriptiones capitis. Et si utrique communia nomina fuere *M. Aurelii Antonini*, tamen sive in horum modo, sive addendis aliis titulis ita variatum, ut hactenus unicum tantum ambobus communem epigraphen observaverim, nempe: ANTONINVS. PIVS. FEL. AVG., atque hanc rarius in Caracalla, et quem, quo tempore haec usus est, promissa barba jam satis discriminat. Quare nullo negotio, utrius sit numus, reperias, ubi ejus epigraphen cum syllabo inscriptionum. Elaga-

bali, quas supra in ejus numis ad annum V. C. 971 congeſſi, contenderis. Fateor, aliter ſentire Vaillantium, qui in Numis præſt. T. I. p. 136 hæc ſcribit: *Numi Elagabali ut diſtinguantur ab iis, qui ad Caracallam ſpectant, in area aſtrum plerumque habent, eadem enim utriusque capitis epigraphæ.* Hæc Vaillantius adſerere potuit, quem conſtat inſcriptiones capitis tanti feciſſe, quanti caſſam nucem, cujus eum iniqui judicii graves ſæpe dediſſe poenas, jam ſæpe per hoc opus vidimus.

Hæc, quæ modo diſputavi, fere

tantum ad numos commatis Romani valent; nam in iis, quos provinciæ dedere, ſeu urbium liberarum, ſeu coloniarum, non raro judicium deſperatum, dubiis ſæpe ob ſcalpri ruditatem oris lineamentis, et capitis inſcriptione utriusque Caefaris patiente. Copioſa ſunt exempla, quibus viros etiam artis noſtræ peritiſſimos in fraudem inductos fuiſſe compertum eſt. In his Caracallæ ſæpe ſuccurrit aut barba promiſſior, aut addita nomina *Severi, Britannici, Germanici*, tum epocha iis inſcripta litem non raro reſecat.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	R.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. et II. formæ	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formæ	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Aenei urbium liberarum, et coloniarum.	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	C.

VXORES ELAGABALI.

Harum plures Elagabalum per vices duxiſſe, ex numis conſtat, et ſcriptoribus, eſt hi alteri in omnibus cauſis non ſatis conſentiant, ut docebunt ſequentes commentarii, quos poſteaquam conſcripſi, incidi forte in diſſertationem cl.

Belleyi, ^{a)} qua is earum ſibi ſuccedentium ordinem ſigere inſtituit, quem cum in hoc conatu vix unquam a me diſſentire viderem, licuit ea, quæ ſcripſeram, relinquere intacta.

a) B. L. T. XLII. p. 60-
(Vol. VII.)

IVLIA CORNELIA PAVLA.

Eam nobilissimo fatu editam refert Herodianus, a) atque id jure, si ex vetere gente Cornelia originem traxit. Certe Corneliam eam appellant Dio, b) et numi externi. Tulliae nomen, quod ei numi passim tribuunt, nihil ad generis claritudinem confert, quoniam Augustae hac aetate a Domna usque ad Mamaeam, id nomen adfectabant, perinde ac Augusti appellationem Antonini, ut jam observavit Spanhemius, c) Teste Dione d) illam duxit Elagabalus, quo celerius, ut ajebat, pater fieret. Ex quibus verbis, tum et Herodiani, eam in uxorum catalogo primam recitantis, e) atque etiam numis Graecis, quos infra proferemus, certum sit contra Tristinum, et Spanhemium, f) Paulam nostram nequaquam ordine movendam, eique tempore, quod volebant, praeferendam Anniam Faustianam, quam revera fuisse postremam mox docebimus. Augustam continuo appellavit maritus, nuptiasque eximia in omnes liberalitate, et magnificis ludis celebravit. g) Factum istud V. C. 972, haud dubie paullo postea, quam ex Bithynia Romam pervenit. At quoniam malo suo occultam in corpore maculam habuit, ut testatus est autopta Elagabalus, factis causae visum moroso marito, cur repudiata illa ad alias nuptias transiret, h) Huic illam calamitati non ante autumnum V. C. 973 fuisse involutam, mox ex numis Graecis demonstrabo. Iussam

deinceps adeptis omnibus Augustae honoribus privatam vitam agere, testatur ibidem Herodianus. Ejus reliquum factum ignoratur.

Numi :

IVLIA. PAVLA. AVG. *in omni metallo et forma.*

IVLIA. PAVLA. AVGVSTA. *in AE. I.*

CONCORDIA. *vel:* CONCORDIA. AVG. *vel:* CONCORDIA. AETERNA. *Concordia sedens. In aliis: Elagabalus et Paula stantes, et dexteris jungentes, adstante nonnunquam in earum medio figura velata.*

Numi alii cum typis obviis: VENVS. GENITRIX. — FELICITAS. AVGVSTA. etc.

Numi commatis peregrini.

Ejus generis complures in museis servantur. In Graecis saepe legitur: ΙΟΥΛΙΑ. ΚΟΡΝΗΛΙΑ. ΠΑΥΛΑ. Illustriores sunt ii, qui per inscriptos annos ejus tempora copiosius illustrent. Diximus fuisse nuptam V. C. 972. Cum hoc anno facile componuntur numi Alexandrini non infrequentes inscripti Λ. Γ. Ex eorum cognito calculo coepit annus ΗΙ. exeunte Augusto ejusdem anni. Alium citat Vaillantius, Alexandrinum item cum anno Δ. Ergo exeunte Augusto anni 973 adhuc Augustum thorum occupa-

a) in Elagab. b) L. LXXIX. § 9. c) Tom. II. p. 298. d) l. c. e) l. c.
 f) l. c. g) Dio, Herodian. ll. cc. h) Dio l. c.

vit. Ampliat terminum numus cum ejus capite signatus apud Tripolin Phoenices cum anno ΒΑΦ, quem edidit Pellerinius. Coepit hic in autumno anni ejusdem 973, ergo hujus initio Augustae hono-

res adhuc obtinuit. At paullo post illis eam excidisse, persuadent numi Aquiliae, quae eam excepit, cum anno item Δ. Numos alios hujus commatis vide in laudata dissertatione Belleyi.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	O.
Aenei I. et II. formae	R.

Commatis peregrini

Vrbium liberarum, coloniarum, et Alexandrini	RR.
--	-----

IVLIA AQVILIA SEVERA.

Repudiata inique Paula huic locum fecit. At gravissime senatum populumque perculere hae nuptiae, quod Aquilia virgo Vestalis esset, matrimoniumque nonnisi per sacrilegium conjungi posset. Maestros eapropter Quirites ut consolaretur, appetiisse se has nuptias agebat, ut ex se pontifice maximo, et ex hac Vestale Maxima divini liberi nascerentur. a) Ita quibus ex rebus illum oportebat in foro caesum verberibus in carcerem conjici, ibique morte multari; de his ille, quasi pulcre factis, gloriabatur. b) Habuit eo commune cum Paula fatum, quod ductam paullo post fastidivit, repudiavitque, sed aliarum quoque, quas deinceps sibi sociaverat, captum taedio postremum in Aquilia

nostra iterum acquievit testatur Dio. c) Infra ex numis externis docebitur, duci eam non potuisse maturius anno V. C. 973 jam ad finem vergente. Quid caelo Elagabalo ea factum, non reperio.

Numi:

IVLIA. AQVILIA. SEV. AVG.

Hujus caput.

IMP. M. AVR. ANTONIN. PIVS. AVG.

Caput Elagabali. AV. (Vaillant Num. praest. T. II. p. 271. et 276. edit. Rom.)

Praestantissimus est hic numus, etsi accurate utriusque faciei epigraphen proditam dabitem.

IVLIA. AQVILIA. SEVERA.
AVG. Hujus caput.

a) Dio L. LXXIX. §. 9. Herodian.

b) Dio l. c.

c) l. c.

AEQVITAS. PVBLICA. — CONCOR-
DIA. — LAETITIA. — VESTA. etc.
cum suis typis. AR. AE. I. II.

Numi commatis peregrini.

Rariores sunt hujus classis numi. Inter hos praestant, qui annos praeferunt. Horum unus Caesareae Paniados exhibet annum CKF. 223. (Pellerin.) Coepit hujus aera in autumno V. C. 751, ergo numus, de quo agimus, signatus est ab autumno V. C. 973. Idem tempus exigit numus Alexandrinus inscriptus L. Δ. (Mus. Theup.), qui annus coepit eodem anno 973 exeunte Augusto. Sed exstant etiam numi cum anno posteriore, quales sunt Alexandrini L. E., qui annus coepit V. C. 974 fine Augusti, quos ergo signari oportuit inde ab hoc tem-

pore usque ad Martium anni sequentis V. C. 975, quo caesus est Elagabalus. Ergo et his numis juvatur testimonium Dionis supra adductum, Elagabalum post ductas per intervallum alias ad Aquiliam redidisse. Vulgavit Pellerinius numum Gabalorum Syriae cum hujus capite, et anno CĒH. 268. Si verum est, aeram hujus urbis coepisse V. C. 707, quod nunc a plerisque creditum, erit numus signatus inde ab autumno V. C. 974, et conspirabunt tempora. Verum obstat, quod ex numis serius re-
pertis probabile sit, ejus urbis aeram nonnisi in autumno V. C. 708 coepisse, quo posito annus CĒH. saltem anno dimidio imperium Elagabali excedit, ut dicemus in Addendis ad numos hujus urbis.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, coloniarum, Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
---	---	---	---	---	---	---	---	---	-----

ANNIA FAVSTINA.

Hujus Augustae genus ac fortunam paucis attingunt scriptores, sed nomen reticent, quod sufficiunt numi. De hac Dio: ^{a)} *Basso crimen fuit, quod uxorem haberet formosam, et nobilem. Erat enim*

Claudii Severi, et M. Antonini neptis, (ἀπογογος) quam quidem ipse uxorem duxit, nec ei, ut mariti lugeret casum, injecto metu permisit. Paulo infra: ^{b)} ne hanc quidem (Aquiliam Severam) diu retinuit,

^{a)} L. LXXIX. § 5.

^{b)} § 9.

sed aliam postea, et hinc aliam atque aliam duxit, ac deinde rediit iterum ad Severam. Denique Herodianus: ^{a)} *sed eam quoque (Aquiliam) mox repudiavit tertio ducta uxore, quae referre genus suum ad Commodum dicebatur.* Ex his testimoniis constat, Anniam Faustinae, quam numi Elagabali uxorem constituunt, eandem esse cum anonyma, quam citati scriptores M. Antonini neptem; aut, quod perinde est, referre genus ad Commodum dixere. Nam utrumque hujus Augustae nomen ex Marci familia est, qui ex gente Annia oriundus fuit, uxoremque Faustinae habuit, ex quibus natae neptes, et abneptes utrumque nomen collegere. Sane et Iuliae Fadillae proneptis Antonini, quae desponsata fuit Maximo Caesari, meminit Capitolinus. ^{b)} Suspiciatur Fabricius, fuisse hanc Faustinae Lucillae filiam ex Claudio Pompejano altero ejus marito. ^{c)} At nulla istud veri specie conjectat. Caesa est Lucilla V. C. 936. Esto, Anniam nostram postremo hoc anno natam fuisse, anno V. C. 974, quo eam junctam cum Elagabalo dicemus, egit annum aetatis XXXVIII. An verisimile, Elagabalum decem et septem tum annos natum appetiisse mulierem ejus aetatis, aut illi hac adhuc aetate illecebras constituisse adolescenti damnosas, quasque in ea praedicat Dio? Verius igitur fuit Marci ex hujus filiarum una abneptis; nam ἀνεπτογος, qua voce utitur Dio, in pluribus generationes porrigitur. Ductam eam V. C. 974, infra ex numis commatis peregrini probabimus. Repudiata per-

inde ac priores, et fuisse matrimonium perexigui temporis, probat non modo paucitas ejus numorum, sed etiam quod Elagabalus intra modicum tempus, quod inter has nuptias et mortem intercessit, alias adhuc uxores duxit, ac denique suam iterum Aquiliam respexit, ut ex Dione docuimus. Ea sola ex coaevis feminis Augustis arcesito Iuliae nomine abstinuit, nimirum cui opus non fuit alienum gentis decus affectare, cum factis per gentem Anniam, cujus furculus fuit, se nobilitatam existimaverit.

Numi:

Rarissimi sunt hujus Faustinae numi. Quare operae pretium fecero, si, quos ipse vidi, et probavi, aut ab idoneis praeconibus promulgatos novi, describero, sepositis in separatam articulum falsis, aut jure suspectis.

ANNIA. FAVSTINA. AVG. *Hujus caput.*

CONCORDIA. *Imperator togatus stans dexteram cum adstante Faustina jungit, in area astrum.* AR.

Numum hunc Baldinus in Romana Vaillantii editione ex museo abbatis Rothelin, nunc regis Hispaniarum, refert, eumque unicum, et singularem vocat, cum quo consentit cl. Beauvais, ^{d)} et Belleyus, qui eundem numum vidit adprobavitque, ut testatur ipse in laulata dissertatione.

ANNIA. FAVSTINA. AVG. *Caput Faustinae lunae impositum.*

a) in Elagab. abr. des Emp.

b) in Maximo,

c) Nota 24 ad Dionis libr. LXXIX.

d) Hist.

PIETAS. AVG. *Mulier velata stans ante aram d. extenta, s. acerram.* AR. maj. mod.

Numus hic ex museo comitis Ariostii, nunc Caesareo, editus est a Khellio, ^{a)} estque ex eorum genere, quos ex majore modulo inde a Caracalla ad Elagabalum usque percussos supra in Caracalla diximus, in quibus Augustarum caput semper lunae impositum conspicitur. Quoniam per omnia Europae musea unicus tantum argenteus hujus Augustae numus est cognitus, meorum esse partem videbatur, ejus probitatem ad omnes artis nostrae regulas explorare. Pars aversa incorrupta certe est, nullique suspicioni obnoxia, ut adeo de numi antiquitate dubitari nullatenus possit. Reliquum ergo totum examen in una antica versatur. Etiam in hac caput, quod nitidissimum est, et fabricae primaevae opus, omni cura liberat. At characteres, quoniam solito majores nitidioresque aut sunt, aut quod evenire circumspicere solet, cum in re singulari in verum inquirunt, tales videntur, scrupulum injecere. At vero cum repetitis curis nullum indicium aut recentis scalpelli, aut excavatae areae, quae meditata Faustinae inscriptionem admitteret, deprehenderem, praeterea pars numi controversa nihil primaevae patinae nigricantis amiserit, qua utraque numi pars obtegatur, absolvendum denique fuit illustrare hoc cimelium, et cum propter raritatem numorum hujus Augustae, et quod unicus item cum hoc typo est, tum propter eximiam conservationem singulari gazae Caesareae ornamento cedit.

ANNIA. FAVSTINA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

CONCORDIA. S. C. *Elagabalus et Faustina stantes dexteris jungunt.* AE. I.

Editus est a Vaillantio, et haud dubie ex museo Christinae, nunc Vaticano, in quo integer olim, ac nitidissimus servabatur, ut vide ipse. Ex eodem editus est ab Havercampo ejus musei praecone. Quare mirum, praeclearum hunc numum ignotum fuisse erudito Beauvais, ut ipse testatur. ^{b)}

Eadem aversa.

PIETAS. S. C. *Typus, ut supra in argenteo cum eadem epigraphe.* AE. I. (Mus. Farnes.)

Numi commatis peregrini.

Et si perrari hi quoque, tamen facilis hujus generis unum reperias, quam commatis Romani. Ephesii aliquot prodiit. (Vaill. num. Graec.) Aliarum urbium varios continet museum Theopoli, modo probae omnes fidei. Nonnullos dedere coloniae Berytus, Ptolemais, Sidon, Troas, quos vide apud Vaillantium et Pellerinium. Exstant denique Alexandrini inscripti L. E., quin et alium cum L. Δ: ex museo Ainslieano adjecit cl. Zoega.

(Numi falsi aut suspecti.)

Faustinae numis, quoniam eximiae sunt raritatis, idem accidit, quod Othonis, Pescennii, aliorumque, quorum co-

a) Subplem. ad Vaill.

b) Hist. abr. T. I. p. 336.

gnitum est propter paucitatem pretium, ut adulteratorum ars falsos pro genuinis obtruderet, ex quibus eos solum memorabo, qui a clarioribus viris editi fidem propter auctorum existimationem possent reperire.

ANNIA. FAVSTINA. AVGV.

STA. *Hujus caput, pone astrum.*

IMP. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput Elagali laureatum.* AV.

Eum Khellius ex illustri museo de France, quod fuit Vindobonae, in genuinorum numero edidit. ^{a)} Ad hunc usque diem aureus hujus Augustae cognitus non est, sed neque praesentis ulla habenda ratio; nam etsi affabre effictus est, magnopere tamen ab ejus aevi fabrica abludit, ut ipse, qui numum diu exploraveram, ejus experimentum feci.

Memorabilis numus *Damasci* cum anno ΕΛΦ, quem ex museo Theupoli, in cujus catalogo binis locis describitur, ^{b)} olim edidit Philippus, a Turre Adriae episcopus, et genuinum judicavit in dissertatione epistolari ad Joannem Astorium, quae deinde occasio fuit litis eruditae, qua ipse et Valsechius in causa trib. potestatis V. Elagabali commissi fuere. De ejus numi suspecta fide jam egi in moneta Damascenorum, quam non minus elevarunt viri alii periti, qui numum ipsi inspexere, ut serius testatus est

ipse a Turre, ejus antea acer patronus. ^{c)}

Geminus huic habendus numus *Raphanae* Syriae cum anno AOC variis eruditis antehac probatus, sed modo spurcius omnibus creditus, de quo vide a me dicta in moneta ejus urbis. Tamen novum rursus vindicem nuperrime nactus est cl. Sanclementium, qui similem alium mufici sui omni prorsus suspicione immunem, et certissimis verae vetustatis signis ornatum adfirmat. At cum is non minus, ac praecedens Damasci numus causa epochae ab antiquariis vapulet, ut sua utrique cimelio constet fides, statuere non dubitat, Faustinae vel nunquam conjugio cum Elagabalo copulatam fuisse, vel certe, si ejusdem uxor exstitit, etiam post repudium, et ipsius Elagabali necem in honore habitam fuisse apud Alexandrum Severum, et apud Orientis populos, quam etiam numis omnni generis honestaverint. Vide haec, atque his plura apud ipsum auctorem. ^{d)} Verum huic iudicio graviter obstat, non modo quod peritissimi quique nostrae aetatis hos Raphanae numos, quorum non pauci circumferuntur, et vidi ego quoque, ad unum omnes condemnant, sed etiam quod de fabro constat, qui cudere solebat numos hos mendaces, quod factum jam obiter indicavi in ejus urbis moneta, et satis etiam indicavit Belleyus. ^{e)}

PRETIUM.

Commatibus Romani:

Aurei

a) Subplem. ad Vaill. vulg. aera p. 241. 242. seq.

b) Pag. 802. et 1017.

c) de ann. Elagab. p. 174 seq.

e) B. L. Tom. XLII. p. 63. seq.

d) de

Argentei	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei II. et III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
<i>Commatibus peregrini:</i>								
Vrbium liberarum	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	RRR.

IVLIA SOAEMIAS.

Maesae ex Iulio Avito filia, Elagabali sive ex Sexo Vario Marcello marito, sive ex Caracalla adultero, nam utrumque ferebatur, mater. (Vide genealogiam in Elagabalo sub initium.) Ei secundum Dionem, et Herodianum nomen *Soaemis*, at in numis tam Latinis, quam Graecis *Soaemias*. Capitolini, et Lampridii *Semiamira* corruptum est. Legè de hujus mulieris nomine varie scripto, ejusque etymo observata Iof. Scaligeri.^{a)} Dicitur et *Iulia* ex adfectione Augustarum ejus aetatis, ut dictum, et *Bassiana* in marmore Graeco, quod supra sub initium vitae Elagabali descripti. De ejus vita, quamdiu privata erat, vix aliquid ex scriptoribus constat. Id certum, eam materterae Domnae favore Romam accitam in aula cum Caracalla circa annum V. C. 957 versatam; nam secus fabula de concepto ex Caracalla Elagabalo, qui anno circiter sequente natus est, fidem non reperisset. Verisimile est, vivo adhuc Caracalla, et non post hujus demum necem in patriam Emesam reversam; neque enim filius Elagabalus intra anni spatium Ro-

manorum religionem dedidicisset, deque suo cognomine tanto furore, qui contemnere eum quaecumque aliud numen jussit, adhaesisset, nisi inde ab infantia animum suum fanatico illo oestro imbuisset. Filio artibus Maesae contra Macrinum imperatore a militibus renunciato, commissoque VI. idus Iunias inter utrumque aemulum praelio magna pars victoriae fuit, cum inclinantem jam suorum aciem precibus ac lamentis proposito etiam filio puero, a fuga inhibuisset.^{b)} Mox Augusta, ut par erat, dicta tantum gratia apud filium valuit, ut is nihil in republica faceret, quod ipsa non probasset.^{c)} Sane prima fuit, nullo hactenus exemplo, quae a filio in senatum vocata in consulum subselliis confedit. Novum etiam senatus genus, id est, mulierum senaculum in colle Quirinali constituit, factaque tum Semiamirica senatusconsulta de legibus matronalibus, nimirum: quo quaeque vestitu prodiret, quae cui cederet, cui accedendi ad osculum venia esset, quae equo, quae asino, quae mulo, quae bove veheretur, et quae fella, eaque

a) in Chronic, Eusebii p. 232.

b) Dio L. LXXVIII, § 38.

c) Lamprid. in Elag. c. 2.

an pelle, an osse, an auro, argentove vestita. a) Ex probrosis his ejus moribus facile creditum, fuisse Caracallae per stuprum cognitam. Filii insanos mores jam nemine ferente, omniumque studiis in Alexandrum converfis, orta militum seditione cum filio, quem mordicus ipsa complexa tenebat, in castris occiditur, corpus primum nudatum, tractumque per urbis vicos, postremo in cloacam abjectum est circiter XI. Martii V. C. 975. b)

Proles. Praeter *Elagabalum* alios quoque habuisse liberos docet marmor bilingue, quod supra sub principium *Elagabali* recitavi, quodque *Iulia Soaemias Bassiana faciendum curavit CVM FILIS marito, et patri amantiſſimo.*

Numi:

IVLIA. SOAEMIAS. AVG. vel AVGUSTA. *Hujus caput.*

VENVS. CAELESTIS. *Dea sedens puellorū adstanti pomum offert. s. hastam. In aliis: Eadem flans cum iisdem attributis. AV. (Vaill.) AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

Obvii sunt in Soaemiade hi typi. Venus Coelestis, seu Vrania, Syris Astarte, numen Syrum, et Soaemiadi adeo domesticum. De ea multa diximus in numis urbium Syriae late sumptae. Haec Venus nunc primum in moneta R. occurrit; nam aureum Agrippinae junioris cum epigraphe VENVS. COELESTIS, quem unus dedit Mediobarbus, negligendum puto. • Deinceps in una adhuc

Mag. Urbica revertitur, scripto: VENVS. CELEST. Cautum tamen fuit, ne Syra haec dea more Syro proponeretur, haud dubie, ne populum offenderet peregrinitas,

In reliquorum averſa: *Caput et epigraphe Elagabali*, vel: IVNO. REGINA. — MATER. DEVM. *cum typis congruis.*

Cl. Beauvais Soaemiadis numum cōtat, in cuius averſa est caput Caracallae. c) Mirum profecto. Vivente illo Soaemias necdum Augustae nomēn, et adeo nullum in monetam jus habuit. Illo ac Marcrino mortuis et ejecto ad imperium Elagabalo tanto minus repugnat conjunctum utriusque caput, quanto impensius hic Caracallae et Soaemiadis filius haberi credique voluit. At tum necesse est adesse consecrationis indicia. Verius igitur videtur, qui Elagabalus est, pro Caracalla habitum, quam suspicionem patienter ferat vir eruditus, cui ipse causam praebuit, quoniam ad faciendam numo tam singulari fidem liberalior ejus mentio facienda fuerat.

Numi commatis peregrini.

Plurium Graecarum urbium habemus numos. Epigraphe: ΙΟΥΑΙΑ, COAIMIAC, rarius COAIMIC, vel etiam COTAIMIC, COTAIMIAC. In numo Sidetum musei Com. Vitzai: ΙΟΥΑ. COAIMΙΑΑ. Rariores sunt coloniarum numi, ut et Alexandrini.

a) Lamprid. *ibid.* c. 4. abreg. T. I. p. 340.

(*Vol. VII.*)

b) Dio L. LXXXIX. § 20. Herodian. in *Elag.* c. 8.

c) *Hist.*

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	=	=	=	=	=	=	=	RRRR,
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	vix R,
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

Commatis peregrini: ut continuo dictum.

IVLIA MAESA.

Domnae soror, Soaemiadis ex Iulio Avito mater, Elagabali avia. Postquam Severus imperium invaserat, ex patriae Emesae latebris sororis beneficio in aulam traducta, futuri non improvida rei pecuniariae operam dedit, quod ei deinceps magno ad perficienda, quae meditabatur, adjumento fuit. Nam caeso Caracalla aula excedere iussa, Emesaeque suae restituta, cum adueta splendori aulico privatas tenebras fastidiret, videretque minus probari militibus Macrinum, didita inter hos fama, tanquam nepos Elagabalus Soaemiadis suae ex Caracalla filius esset, eos non minus Antoniniani nominis superstitione, quam profusis largitionibus impulit, ut Elagabalum Macrino sufficerent, effecitque, ut oblatum imperium relata insigni victoria solidarent, quam ipsa non parum promovit, quando fugientibus jam suis in mediam aciem cum Soaemiade provolans exemplum in se virtutis, et animi intrepidi dedit. ^{a)} Ob collatam illustrem hanc operam aucta quidem subinde honoribus omnibus, et Augu-

stae titulo ornata, verum cum mulier perspicax funestum nepotis exitum propter intractabile ejus ingenium, alteramque rerum suarum conversionem jure metueret, hac ipsa ejus infamia in rem suam usa, persuadet Elagabalo, ut, quoniam ipse dei sui cultu, divinisque caerimoniis distineretur, adoptaret consobrinum Alexandrum, qui pro se terrena curaret. ^{b)} Neque erat ad mulieris salutem consilium opportunius, certiusque; nam cum esset communis et Elagabali, et Alexandri avia, quamcunque deinde fortunam illa experiretur, paratum habuit imperii successorem, alterum ex filia Mamaea nepotem. Revera hic everso propter criminum atrocitatem Elagabalo rerum positus omni observantia aviam est profectus, ipsa vero particeps consiliorum Mamaea non cessavit praeclaris monitis imbuere adolescentiam nepotis, et veteres mores per alterius infamiam corruptos revocare. Denique mortua, ut optaverat, tranquille, et ab Alexandro coelitis inserta est, ut dicitur.

^{a)} Dio L. LXXVIII. § 38.^{b)} Herodian, in Elag.

Numi:

IVLIA, MAESA. AVG. in nonnullis aeneis I. formae AVGVSTAE. Hujus caput.

Aversae cum solitis Augustarum typis: FECVNDITAS. AVG.—PIETAS. AVG.—PVDICITIA etc. AV. AR. AE. I. II.

Diva Maesa.

De ejus consecratione haec Herodianus: ^{a)} *Mortua est Maesa jam senior, consecuta honores, qui Augustis tribui consuevere, et ex instituto Romanorum consecrata,*

DIVA, MAESA. AVGVSTA. Caput velatum.

CONSECRATIO. S. C. *Maesa ab aquila sursum elata.* AE. I. (Vaill.) AE. II. (Patin.) In alio: *Rogus.* AE. (Romae in mus. cl. Vicecomitis.)

De praeclara rogi in postremo hoc numo pictura vide, quae commemorabo in tractatu de numis consecrationum.

Numi commatis peregrini.

Iusto numero suppetunt Maesae numi tam in urbibus liberis, quam coloniis signati, quoniam Augustos honores non modo per totum Elagabali imperium, sed etiam partem Alexandri obtinuit. In numis Alexandrinis dicitur MHT. CTPA. id est: μητηρ στρατοπεδῶ, *mater castrorum*, quod nomen delatum etiam fuit ejus filiae Mamaeae, ut olim quoque Faustinae juniōri, et Domnae. Ipsa vero ante alias honorificum istud nomen promerita, quod in praelio cum Macrino in mediam aciem progressa exemplo suo fugientes revocavit, ut diximus.

PRETIUM.

Commissis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

Commissis peregrini: ut continuo dictum.

M. AVRELIUS ALEXANDER SEVERVS.

Natus parentibus Gessio Marciano, et Iulia Mamaea (Vide genealogiam in Elagabalo) in Phoenice apud Arcam Caesaream Libani in templo ipso Ale-

xandri M., cum forte parentes die festo Alexandri, ut solemnitati interessent, eo venissent. ^{b)} Natum circa annum V. C. 958 P. X. 205 colligitur ex Lamprid.

a) in Alex. Sev. b) Lamprid, c. 13. et 5. Victor.

dio.^{a)} At si verum est, quod refert Herodianus, fuisse eum natum annos decem, quo tempore Elagabalus adclamatus est imperator, et duodecim, cum adoptatus est, natum oportuit V. C. 961, P. X. 208, sed qui peccavit in annis Elagabali, potuit et peccare in annis Alexandri. Natalem Lampridius statuit eum ipsum diem, quo mortuus est Alexander M.^{b)} sed cum de hoc ipso satis certi non sumus, etiam alter ambiguus est. Bucherius Kalendas Octobres ex vetere Kalendario eruit.^{c)} Nato nomen fuit secundum Dionem *Bassiani*,^{d)} secundum Herodianum *Alexiani*, de cuius origine vide plura infra sub *nominibus*. Elagabalo consobriño ad imperium promotus aulam secutus privatus in hac ipsum triennium mansit, dum consiliis Maesae, quae multo ante praeviderat, praesens Elagabali imperium propter quotidiana infaniae monstra durare non posse, ab hoc adoptaretur anno V. C. 974 saltem ante autumnum, ut docet numus Caesareae Libani Phoenices, quem ibi dedimus. Ceterum fuisse et hunc Caracallae filium creditum, diserte Dio,^{e)} et Herodianus, diditamque fuisse passim hanc famam, comprobant non pauca per Gruterum marmorata, in quibus Alexander Antonini Magni filius, Severi nepos praedicatur. Quin et ipse se Caracallae filium tulit, ut patet ex ejus constitutione: *f) et quae a divo Antonino patre meo, et quae a me rescripta sunt*. Item ex lege alia,^{g)} et dixit Zosimus quoque, fuisse eum *ἐκ τῆς Σεβηρη γενεᾶς κατάγομενον*.^{h)}

V. C. 974. P. X. 221.
CAESAR. PRINC. IVV. COS. DES.
PONT.

Grato Sabiniano, Claudio Seleuco cos.

Adoptatus ab Elagabalo *Caesar*, et pro Balsiano *Alexander* dicitur. (Vide infra in nominib.) Consul in sequentem annum cum patre adoptivo designatur. Adoptionis Elagabalum haud multo post poenitet, quoniam ad hujus se mores conformare detrectabat. Quare insidiis Caesarem petit, sed quem avia ac mater ut adversus morum corruptelam, ita et contra vim consilio ac prudentia defendunt.

M. AVR. ALEXANDER. CAES.

Caput nudum.

INDVLGENTIA. AVG. *Mulier gradiens d. florem, f. vestem sustinet*. AV. (Vail.) AR. (Mus. Caes.) In alio: *addito S. C. Caesar paludatus stans d. bacillum, f. hastam, pone duo vexilla*. AE. II. (Seguin, pag. 179.)

Novus ad certum Spei typum inscriptionis modus. Indicat haec, Alexander per unam Elagabali *Indulgentiam* ad Caesaream dignitatem evectum, at typus *Spem* imperio ex ea adoptione adfulgentem. Alterius numi typus principem juventutis designat.

Eadem adversa.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia*. AR. (Mus. Caes.)

Solitus Caesarum typus, quibus ad dignitatem Caesaris pontificatus etiam honos addi consuevit.

a) Cap. 60. b) Cap. 5 et 13. c) Doctrina temp. d) L. LXXVIII. § 30. e) L. LXXIX. § 19. f) Cod. L. II. tit. 1. § 8. g) Cod. L. XII. tit. 36. § 4. h) L. II. c. 11.

V. C. 975. P. X. 222.

CAESAR. PRINC. IVV. COS. PONT.

Antonino Aug. IV. Alexandro Caes. cof.

M. AVR. ALEXANDER. CAES.

Caput nudum.

PONTIFEX. COS. S. C. *Proteffus con-*
sularis in quadrigis d. sceptrum cum aquila.

AE. II. (Mus. Caes.)

Indicatur hoc typo, quod factum anno praesente prodidere fasti.

Eodem anno:

AVG. TR. P. COS. P. M. P. P.

Elagabalus Alexandrum semel atque iterum apertis insidiis ad necem deposcit. Eum avia atque mater, tum favor militum ab interitu vindicant. Desperato consensu, et Elagabalo circiter die XI. Martii a praetorianis interfecto, Alexander unus imperator agnoscitur, atque uno eodemque die a senatu Augustus, trib. potestatis, pontifex maximus, pater patriae dicitur. ^{a)} Severi nomen recusatis Antonini et Magni suscipit, ipse Maesae et Mamaeae consilii obsequens mores urbis emendat, veterem religionem restituit, viros ab integritate, et rerum scientia cognitos rebus gerendis praeficit. ^{b)}

Praemonendum ad primos Alexandri Aug. numos, horum non paucos, qui per inscriptionem certe sunt hujus anni, velut; P. M. TR. P. COS., in area astrum perinde, ac in numis Elagabali ostentare. Diximus in hujus numis, eo notari deum Elagabalum, seu solem imperatori cognominem. Ejus in Alexandri numis explicandi aliam rationem non video, quam ut opinemur, reten-

tum adhuc a monetariis receptum hactenus morem, donec ejectum, quod paulo post contigit, ex urbe peregrinum istud numen ex moneta quoque exulare est jussum. Atque id confirmatur non modo eo, quod multo plures hujus anni numi dicto astro abstinent, nunquam deinceps per reliquorum annorum monetam comparituro, verum etiam quod lineamenta oris perquam juvenilia in his appareant. Cumque eadem aetas observetur etiam in aliis numis astriferis nullo caractere chronologico praeditis, ut: AEQVITAS. AVG. — LIBERTAS. AVG. — SALVS. PVBLICA. — VICTORIA. AVG., dubium non est, eos his quoque principiis Alexandri applicandos.

- A. IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
- B. IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
- C. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*
- D. IMP. CAES. M. AVREL. SEV. ALEXANDER. PIVS. FELIX. AVG. *in AE. max. mod. (Vide infra in nominibus sub Pius Felix.)*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGVSTI. *Liberalitas fians. AV. (Mus. Caes.) In aliis: AVG. AR. (Mus. Caes.)*

Vt lit. C. et D.

LIBERALITAS. AVGVSTI. S. C. *Im-*

a) Lamprid. c. 1.

b) Dio, Herodian, Lamprid.

perator in suggestu congiario praesidens. AE. max. mod. (Harduin Opp. sel. p. §19.) AE. I. (Mus. Caes.)

Prima haec liberalitas, ut moris erat, suscepto imperio.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. addito in aliis P. P. Miles stans d. ramum, s. hastam, in arca AR. (Mus. Caes.) In aliis alii typi praesente astro.

Vt lit. A. et C.

P. M. TR. P. COS. P. P. Processus consularis, in aliis alii typi absente semper astro. AV. AR. AE. I.

Ad hunc etiam annum per oris lineamenta referendi numi: PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P., qui historiae, et chronologiae aperte repugnant, sed de quibus agam in tractatu de trib. potestate.

IMP. MARCO AVR. SE. AL. AV. Caput laureatum.

SACERDOS. VRBIS. Imperator stans ante aram d. demissa ramum, s. hastam. AE. III. (Mus. Caes.)

Singularem hunc, et vere antiquum numum olim edidi, et copiose illustravi. a) Diximus in moneta Elagabali, Augustum hunc stolido consilio spretis Romanorum sacris Syram dei sui religionem, et Coelestis Carthaginiensium deae cultum in urbem infudisse. At constat etiam, Alexandrum statim ab adito imperio abolitis barbaris his sacris aviti cultus nitorem restituisse Herodiano istud diserte testante. b) Ad hoc igitur

factum numi praesentis et inscriptio, et typus adludunt. Ergo Alexander se vocat *Sacerdotem Urbis*, scilicet Romae, quae ipsa dea habita fuit, et cujus numine res Romana regebatur, non vero ejus deae, in cujus tutela fuere aut E-mesa, aut Carthago. Eodem modo quidam Sex. Valerius sese jactavit in marmore SACERDOTEM VRBIS. ROMAE. AETERNAE. c) Numum hunc causa metalli, operis vilioris, et epigraphes in antica, cujus similis in moneta Romana non occurrit, non dubitem extra urbem fuisse signatum.

V. C. 976. P. X. 223.

TR. P. II. COS. P. M. P. P.

L. Mario Maximo II. L. Roscio Aelianosof.

Incertum, ut et saepius deinceps, quae facta huic anno debeantur.

A. IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. Caput laureatum in AV. et AR.

B. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum in AE. II.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. variis typis. AV. AR.

Vt lit. B.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. P. P. S. C. variis typis. AE. I. II.

Vt lit. B.

Eadem epigraphae. Amphitheatrum cum me-

a) Sylloge I. p. 103.

b) in Alex. sub init.

c) Rosi Memoriae Bresc. p. 271.

ta sudante, foris tres figurae togatae, in area duo gladiatores pugnantes. AE. I, (Vaill.) In alio: Amphitheatrum Titi, ab laeva frons templi, a dextera figura togata velato capite, cui adstat miles hastatus, juxta meta sudans, pone colossus capite radiato. Singuli arcus ornantur statuis, ex fastigio amphitheatri per gyrum eminent capita spectatorum. AE. II. solito crasior.

Posteriorem hunc numum recens Romae repertum testatur cl. Baldinus Vaillantii ampliatur. Idem et argenteum amphitheatri typo, eumque hujus anni ex museo abbatis Rothelin adjunxit. Quae causa fuerit, cur amphitheatrum Titi cum omni suo ornatu in praeclaris his numis sit propositum, Alexandri biographi reticent. Solum reperio apud Lampridium, eum lenonum, meretricum, et exoletorum vectigal, quod prius sacro aerario inferri solebat, ad instaurationem theatri, circi, et amphitheatri deputasse. a)

V. C. 977. P. X. 227.
TR. P. III. COS. P. M. P. P.
Iuliano II. Crispino cof.

Vt lit. A. et B.

LIBERALITAS. AVG. II. at in aeneis: AVGVSTI. II. S. C. Liberalitas flans. AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Difficile est, liberalitates Alexandri, quod notae chronologicae desunt, suis annis assignare. Lineamenta in praesentibus annum, in quo sumus, deponere videntur. Ejus causa esse potuit matrimonium forte hoc anno cum Orbiana celebratum.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. sed in aeneis PONTIF. MAX. etc. typis variis. AV. AR. AE. I. II.

V. C. 978. P. X. 225.

TR. P. IV. COS. DES. II. P. M. P. P.
Fusco II. Dextero cof.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. sed in aeneis: PONTIF. MAX. etc. typis variis. AV. AR. AE. I. II.

V. C. 979. P. X. 226.

TR. P. V. COS. II. P. M. P. P.
Alexandro Aug. II. C. Marcello Quintiliano II. cof.

Hoc anno Artaxerxes Persa victo Arface Artabano regnum a Parthis ad Persas transfert.

Vt lit. A. et B.

LIBERALITAS. AVG. III. sed in aeneis: AVGVSTI. III. S. C. Liberalitas flans. AR. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIB. AVG. III. PONTIF. MAX. TR. P. V. COS. II. P. P. S. C. Imperator congiario praesidens. AE. II. (Mus. Caes.)

C. IMP. CAES. M. AVREL. SEV. ALEXANDER. AVG. Caput laureatum.

LIBERALITAS. AVGVSTI. III. Idem typus. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)
Incerta tertii hujus congiarii causa.

D. IMP. SEV. ALEXAND. AVG. Caput laureatum.

a) in Alex. c. 24.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Imperator paludatus gradiens d. hastam, f. tropaeum super humero.* AR. (Mus. Caes.)
Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *in aeneis: PONTIF. MAX. Aedificium elegans elatum, et statuis ornatum, et porticu clausum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.) max. mod. (Reg. Gall.) *Alii aliis typis.*

Communis antiquariorum est opinio, hac substructione exhiberi thermas, quas ipse aedificavit, inducta aqua, quae, ut et ipsae thermæ, *Alexandrina* dicebatur. De iis plura Lampridius. ^{a)} Fecit et basilicam, Alexandrinam latam pedes C., longam pedes M., ita ut tota columnis penderet, cujus imaginem fisci in praesentibus numis credere forte praestaret, nisi adderet idem Lampridius, ^{b)} ab Alexandro morte praevento effici eam molem non potuisse.

V. C. 980. P. X. 227.

TR. P. VI. COS. II. P. M. P. P.
L. Albinus, Max. Aemilia Aemiliana cof.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

V. C. 981. P. X. 228.

TR. P. VII. COS. II. DES. III. P. M. P. P.

Ti. Manilia Modesto, Serg. Calpurnio Proba cof.

Vt lit. D.

LIBERALITAS. AVG. IIII. *Liberalitas stans.* AV. AR. (Mus. Caes.)

E. IMP. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGVSTI. IIII. S. C. *Liberalitas stans.* AE. I. II. (Mus. Caes.)
In alio: *Imperator congiario praesidens.* AE. max. mod. (Mus. Albani.) AE. I. (Mus. Caes.)

Terna tantum congiaria ab Alexandro praebita memorat Lampridius, ^{c)} et jam quartum testibus his numis, et ex his adhuc constabit de quinto. Capto ex lineamentis augurio liberalitas haec anno praesenti debetur.

Vt lit. A. B. D. E.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

V. C. 982. P. X. 229.

TR. P. VIII. COS. III. P. M. P. P.
Alexandra Aug. III. Cassio Dione II. cof.

Consul III. procedit conlega Dione Cassio, celebri rerum Romanarum scriptore, ac toties a nobis per hoc opus laudato.

Vt lit. D. et E.

P. M. TR. VIII. (in nonnullis VII.) COS. III. P. P. *variis typis, quorum unus anni hujus processum consularem sistit.* AV. AR. AE. II.

De tribunatu VII. aliquot hujus anni numis contra legem ordinariam inscripto vide, quae monebimus in tractatu de trib. potestate.

V. C. 983. P. X. 230.

TR. P. IX. COS. III. P. M. P. P.
L. Viria Agricola, Sex. Catio Clementino cof.

a) Cap. 25. b) l. c. c) Cap. 26.

Vt lit. D. et E.

P. M. TR. VIII. COS. III. P. P. *variis typis, frequentius Sol capite radiato stans d. elata, f. globum.* AR. AE. I.

IMP. SEV. ALEXAND. AVG.

IVLIA. MAMAEA. AVG. MA-

TER. AVG. *Capita adversa Alexandri et Mamaeae.*

P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. *Imperator sedens d. Victoriolam, f. hastam coronatur a Victoria retro stante, ante illum figura militaris tenens clypeum super columella, cui inscriptum VOT. X. AE. II. (Mus. Caes.)*

Similem, sed cum TR. P. VIII. et AE. I. recitat Vaillantius.

Vt lit. D.

VICTORIA. AVGVSTI. *Victoria tenens clypeum, cui inscriptum: VOT. X. AR. (Mus. Caes.)*

V. C. 984. P. X. 231.

TR. P. X. COS. III. P. M. P. P.

Civica Pompeiano, Peligniano cos.

Artaxerxes Persa victo Artabano, Arfacidarum postremo Parthiam, quam post Darii clades Alexander M., dein aliquamdiu ejus successores Seleucidae, denique his ejectis Arfacidae Parthi pluribus saeculis tenere, Persis post longum intervallum iterum subjicit. Ea felicitate elatus jam inde a biennio Romanis ipsis infestus omnem Asiam, quae ad se avito jure pertineret, tentavit repetere, bellumque Mesopotamiae, ac Syriae minari. ^{a)} Desperatis pacis con-

siliis Alexander anno praesente, ut mox probare contendam, profectionem in Persas suscipit.

Non una est scriptorum sententia, quo anno Alexander Aug. in Persas exiverit. Ante omnes aspernanda ea, quam Herodianus, etli coaevus, obtrudit, bellum istud anno demum XIV. Alexandri erupisse, qui tamen paullo altius Alexandrum annis non amplius XIV. imperasse scripsit, ex quo sequeretur profectionem in Persas, bellum ipsum, reditum Romam, triumphum de Persis, apparatus belli Germanici, ejus ipsam expeditionem, denique necem Alexandri intra unius anni angustias fuisse peracta. Ex recentioribus Pagius bellum hoc jam anno V. C. 981 inchoat, ^{b)} sed abunde is refutatur a Dione, qui cum facta anni V. C. 982 recenseret, quibus deinde totum suum opus absolvit, solum prava Artaxerxis consilia, et imminetia ab hoc Romanis pericula, necdum vero bellum jam tum gestum, quod sane non reticuisset, commemorat. Accedit, quod satis ex postremis Dionis verbis constat, Alexandrum ipsum ac praetorianos ineunte anno 982, et majore adhuc ejus parte Romae fuisse praesentes. Tillemontius, qui Pagii etiam sententiam argumentis aliis impugnat, belli initium ad annum V. C. 985 vel 986 figit, sed et hunc verisimiliter falsi, mox ostendam. Mediobarbus annum V. C. 983 praehabet, cur istud, cum causam non addat, ignoro. Sane numi, quos ad hunc annum recitat, illud nullatenus persuadent. Qui inscribuntur sim-

^{a)} Dio L. LXXX. § 3. 4. Herodian. Lamprid. ^{b)} Dissert. hyp. p. 176. seq. et Crit. Baron. ad hunc ann. (Vol. VII.) M m

pliciter: PROPECTIO. AVG., quos velis, annos admittunt; nam carent notis chronologicis, ut et ii, qui VICTORIA. AVG. praeferunt, quosque eruditi passim ad stabiliendam suam sententiam advocant. Neque etiam typus Solis, velut certum Orientis symbolum, qui jam in numis anni 983 comparet, quidquam confert; nam dubium non est, jam ante Alexandri adventum propter metum hostis praepotentis, et Romanas ditio- nes, ut refert Herodianus, jam cum armis ingressi coactas in Mesopotamia legiones; verum de hoc non quaeritur, sed de profectioe Alexandri. Enimvero numus, quem Pagius citat: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. PROPECTIO. AVG., *) dubium omne facile dirimeret, at enim hic neque in Occone, quem tamen citat, reperitur, neque ex ullo alio museo descriptum reperire licuit. Alibi idem Pagius numum offert: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. typo Alexandri curru triumphali invecti, b) quo, ait, indicari victoriam alicubi relatam, sed ubi, inquit, nisi in Oriente? Verum et hic mihi numus ignotus, at bene notus alter similis, sed inscriptus: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P., quo adeo typo notatur Alexandri processus consularis tertius.

Videtur annus ejus profectioe propius posse definiri ex numo, sed qui eruditis his viris non videtur fuisse cognitus, aut minus accurate in catalogis propositus. Infra ad annum V. C. 986 numum intuebimur a Vaillantio inter aureos descriptum: P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus in*

quadrigris triumphalibus. Hic typus ad processum consulare referri nequit, cum consul III. annos abhinc quinque processerit, ergo ad triumphum, eumque unicum, quem de Persis egisse constat. Cum igitur certum sit, Persas anno V. C. 986, quo hic Vaillantii numus signatus est, jam victos triumphatosque fuisse, in hunc annum ejus profectioe initium referri nequit, ut existimavit Tillemontius, neque etiam verisimiliter in annum praecedentem, quae fuit altera ejus sententia, quoniam inter profectioem et reditum propter distantiam locorum, et quae interea plura alia secundum Herodianum ab Alexandro peracta fuere, saltem biennium videtur impensum. Ergo secundum citatum numum bellum istud non coepit post annum V. C. 984, quoniam certe finitum jam fuit V. C. 986. Neque tamen dissimulo, nequaquam repugnare huic numo; quo minus dicatur profectus imperator V. C. 983 et reversus 985, at tum dicere oportebit, renovari in hoc numo anno sequente signato memoriam triumpho anni praecedentis.

Atque haec modo disputata docent, hanc, de qua agimus, Alexandri expeditionem anno V. C. 984, aut saltem non citius anno 983 fuisse motam, ex quibus priorem legi, quoniam nonnihil probabile videtur, numum triumphalem eo anno cufum, quo triumphatum.

- A. IMP. SEV. ALEXAND. AVG.
Caput laureatum in AV. AR.
 B. IMP. SEV. ALEXANDER. AVG.
Caput laureatum in AE. I. II.

a) l. c. b) Crit. Baron. ad ann. V. C. 981.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Miles, aut Sol, aut Victoria stantes.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVGVSTI. S. C. *Imperator eques praecedente Victoria, quae in aliis abest.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICTORIA. AVG. *vel AVGVSTI. variis Victoriae typis.* AV. AR. AE. I. II.

Non satis expeditum, sintne hi numi hujus anni, utrum praecedentis cujuspiam, an testes victoriae de Persis, an de altera natione à legatis relatae. Exstant sane numi primo Alexandri imperantis anno percussi cum epigraphe, et typo Victoriae, etsi ipse in urbe tum adhaeserit, neque de externo aliquo bello quid conflet.

Eodem anno

Incipit PIVS.

Vide, quae de hoc titulo sub finem monebo.

IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. I.

Eadem adversa.

VICTORIA. AVG. *Victoria stans d. clypeum, s. palmam, humi captivus sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VOTIS. VICENNALIBVS. *intra coronam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. V. 985. P. X. 232.

TR. P. XI. COS. III. P. M. P. P. PIVS.
Lupo, Maximo cos.

Alexander cum valido exercitu Mesopotamiam ingressus Artaxerxem ingenti praelio superat, et ex imperii finibus ejicit. Haec Lampridius, Eutropius, Victor aliique. Ab his diversus Herodianus exercitum Romanum in tres partes divisum foedis cladibus, ac morbis misere attritum, coactumque Alexandrum magnis detrimentis acceptis inglorium in Syriam remeare. Vtrum verifimilius, dicetur ad numos anni sequentis.

IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum in AV.*
AR. AE. I. *etiam radiatum in AE. II.*

P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. *Sol stans, vel gradiens d. elata, s. aut globum, aut flagellum.*

Alii typi in anni hujus moneta mihi ignoti.

V. C. 986. P. X. 233.

TR. P. XII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.
Maximo, Paternó cos.

Intellectis Germanorum motibus omisso Oriente in urbem revertitur, et de Persis triumphat. (Vide numos.)

A. IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Sol stans d. elata, s. flagellum, in omni metallo et forma.*

Adversa incerta.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus d. hastam, s. parazonium stat inter duos fluvios humi jacentes, et ab accedente retro Victoria coronatur.*

AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Adversa incerta.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus in quadrigis triumphalibus.* AV. (Vaill.)

Uterque numus hic descriptus decus ex bello Persico partum offert. Alterius numi, aurei videlicet, jam anno V. C. 984 memini, quo loco de initio belli Persici disputavi. Exhibetur in hoc triumphus, quem de Persis victis egisse Alexandrum, testatur Lampridius ^{a)} *Post hoc Romam venit, triumphoque pulcherrimo acto apud senatum primum haec verba habuit etc.* addit, orationem hanc ad senatum habitam die VII. Kalend. Octob. Hoc disertius numus prior Alexandri in bello Persico virtutem praedicat, dum is a Victoria coronatus in medio duorum fluviorum proponitur, quibus Mesopotamia, quam Lampridius ex nomine *terras interammanas* vocat, ejus nimirum belli theatrum indicatur. Herodianus, qui, ut ad annum superiorem monui, multus est in commemorandis cladibus, propter quas excedere Mesopotamia coactus est Alexander, cum ex his numis, tum testimonio Lampridii, aliorumque refellitur. Nam si inferior ex eo bello discessisset, perspecta ejus in omni vita moderatione ac prudentia, non admisisset honores, qui conferri non nisi re prospere gesta suat soliti, satisque habuisset dissimulare jacturam. Speciatim et Herodianum refutavit Lampridius,

tanquam diversum ab aliis sentientem. ^{b)} Refert idem, currum triumphalem a quatuor elephantis fuisse vectum, ^{c)} at numus equos exhibet. Quare aut falsum edoctus est Lampridius, aut hic non ipsum triumphum, sed alium processum inter haec solennia peractum intelligit.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. V. *Liberalitas flans.* AV. (Mus. Caes.)

B. IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVG. V. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.) Est fabricae barbarae.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGVSTI. V. S. C. *Idem typus.* In aliis: *Imperator congiario praesidens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Teste Lampridio ^{d)} Alexander eodem die VIII. Kal. Octob. concionem hujusmodi habuit: *Quirites, vicinus Persas, milites divites reduximus, vobis congiarium pollicemur, cras ludos Circeuses Persicos dabimus.* Et paullo infra: *Alia die actis Circeusibus, et item ludis scenicis deinceps congiarium populo R. dedit.* Numus alter argenteus praeter morem nomen *Pii* in antica somittit, et in aversa, quod in nullo adhuc Alexandri numo adverti, AVGG. pro solito AVG. offert. Animadversione utrumque dignum foret in numo consueti cultus, at cum barbarae sit fabricae, legem facere nequit.

V. C. 987. P. X. 234.

TR. P. XIII. COS. III. P. M. P. P. *PIVS.*

Maximo II. C. Caelio Urbano cos.

a) Cap. 56.

b) Cap. 57.

c) l. c.

d) Cap. 57.

Germanis trajecto Rheno Gallias atrociter incurfantibus Alexander cum exercitu in Gallias proficiscitur. *)

IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum in AV.*
AR. AE. I. *etiam radiatum in*
AE. II.

P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. *Sol-
fians d. elata, f. flagellum, in omni me-
tallo et forma.*

Eadem aduersa.

PROFECTIO. AVGVSTI. S. C. *Impe-
rator eques d. hastam praecedente Victoria.*
AE. I. II. (Mus. Caes.)

IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. IVLIA. MAMAEA. AVG.
MATER. AVG. *Capita aduersa*
Alexandri et Mamaeae.

PROFECTIO. AVGVSTI. *Imperator e-
ques d. elata, f. hastam praecedente Victo-
ria, et lauream d. ostentante, aliisque mi-
litibus aut praecedentibus, aut sequentibus.*
AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Hi numi ad praesentem in Germanos professionem revocandi visi, quoniam in horum antica additur *Pii* nomen, quod non occurrit in aliis professionis numis, quos descripsi ad annum V. C. 984, quosque propterea ad professionem Perficam referendos putavi.

V. C. 988 P. X. 235.

TR. P. XIV. COS. III. P. M. P. P.
PIVS.

Severo, Quintiano cos.

Alexander in pago Sicila prope Rhe-
num sui securus a paucis militibus in-

figante, ut creditum, Maximino cir-
cumventus una cum matre interficitur.
Teste Lampridio vixit annos XXIX.
menses III. dies VII. ^{b)} Quare si dies
ejus natalis incidit in Kalendas Octobr.,
necesse est natum V. C. 953, et caesum
V. C. 988 VII. Ianuarii. At eodem te-
ste ^{c)} imperavit annis XIII. diebus IX.
Quoniam Elagabalus caesus est circiter
XI. Martii V. C. 975, secundum alte-
rum hoc testimonium oportebit statuere
caesum Alexandrum circiter XX. Mar-
tii V. C. 988. Sunt, quae ejus necem in
autumnum usque differant, sed cui sen-
tentiae repugnare numeros Alexandrinos,
mox separato articulo docebo.

Ejus mortem senatus populusque om-
nis gravissimo luctu accepere, qui ma-
gis intendebatur metu futuri, cognita
Maximini successoris crudelitate, et mo-
ribus rusticis. In commemorandis ejus
principis laudibus copiosi fuere scripto-
res veteres omnes dempto Herodiano,
sed cujus fatente ipso Capitolino ^{d)} co-
gnitum fuit in Alexandrum ogium. Iam
illud natum ad virtutem animum lucu-
lente probat, quod annum agens XVI.
ad summum fastigium evectus, quae
actas in plerisque seniorum monita fa-
ssidit, ipse matri saluberrima monenti,
quosque illa viros optimos, jurisque
scientissimos in consilium adhibuit, ob-
secutus semper est. Praeclaris his insti-
tutis nativam indolem adjuvantibus fa-
ctum, ut jure iis principibus accensere-
tur, quos eo loco dignissimos imperium
R. nactum est. Vt facilis, comis, atque
affabilis etiam erga infimos erat, sic
ut propterea, accedente insuper formae

a) Lamprid. Herodian.

b) Cap. 60.

c) l. c.

d) in Maximino c. 13.

gratia, in omnium esset amoribus, ita et sobrius, et frugalis in victu, et corporis cultu, in tractanda republica, et administranda tuendaque iustitia assiduus. Acer in restituenda militari disciplina, quam Elagabali vecordia corripit, legiones integras, cum obsequium detrectabant, exauctoravit. Religionem eximie coluit, sed promiscue; nam si fides Lampridio, ^{a)} in larario suo praeter cognita jam numina Christum, Abrahamum, Orpheum, Apollonium Tyanensem repositos habuit, matre Mamaea haud dubie ad Christiana dogmata hortante, quam fuisse Christianam, ut in ejus vita dicemus, passim creditum. Tam praeclaro principi ipsa virtus, sed quae fines excessit, exitium attulit; nimirum cum propter incredibilem in matrem pietatem etiam illis ejus consiliis morem continuo gereret, quae ipse minus e rep. fore intellexit, atque hac suadente parsimoniae intempestive studeret, magnum militum numerum, quorum ea aetate insatiabilis fuit cupiditas, ab se avertit. Sane cum sese ad necem quaeri, neque ullum salutis effugium videret, coepit ipse matrem, cui implicitus haerebat, incusare, sese ejus unius causa extrema pati.^{b)}

Vxores. De his vide, quae dicentur infra in Orbiana, uxore Alexandri unica ex numis cognita.

Numi:

IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum.*
P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P.

Sol gradiens d. elata, f. flagellum, in omni metallo et forma.

Numi cum hac trib. potestate non infrequentes, tamen de alio averfae typo non constat.

Numi vagi.

Horum ingens numerus raris averfae typis, nisi obviis. Quare non nisi illustriores ex omni agmine hoc loco describentur omisis reliquis. Pro horum aetate eruenda non parum conferet observare inscriptiones capitis, quas per intervalla, et certa lege variasse supra in numerum ipsorum descriptione vidimus.

A. IMP. CAES. M. AVR. SEV.
ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.*

AETERNITATIBVS. *Mulier stans d. globum, f. innixa columnae spiculum gestat.* AR. (Vaill.)

Haec averfae epigraphe inter adclamationes imperatoribus fieri solitas reponenda, quarum copiosas, quae huius inscriptioni adplicari possunt, apud Lampridium in Alexandri vita reperies.

FECVND. AVGVSTAE praedicatur in binis AR. musei Caesarei, sed averfa haec pertinet ad Mamaeam matrem. Idem sphaema redibit in moneta Gallieni.

B. IMP. ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum.*
IOVIS. (sic) PROPVGNATOR. *Iuppiter d. fulmen intentans.* AR. (Mus. Caes.)

a) Cap. 29.

b) Herodian.

Iovi Propugnatori frequens est in Alexandri numis inscriptio, rarior IOVIS in casu recto, etsi non primo hactenus exemplō. Habemus in Alexandri moneta etiam *Iovem Conservatorem, Statorem, Vitorem.*

C. IMP. * ALEXANDER. PIVS.
AVG. *Caput laureatum.*

MON. RESTITVTA. S. C. *Moneta stans d. bilancem, f. cornucopiae, pro pedibus massa metalli.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. C. Caput radiatum.

RESTITVTOR. MON. S. C. *Imperator paludatus stans d. extenta, f. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Restitutorem monetae unus Alexander se in numis jactat. Auctore Lampridio^a) is vectigalia publica in se contraxit, ut, qui X. aureos sub Heliogabalo praestiterant, tertiam partem auri praestarent, hoc est, tricesimam partem. Tuncque primum semifses aureorum formati sunt, tunc etiam, cum ad tertiam partem auri vectigal dedisset, tremisses, dicente Alexandro, quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem jam formatos in moneta detinuit, expectans, ut, si vectigal contrahere potuisset, et eosdem ederet. Sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, et tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias, et quaternarias, et denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres quoque et centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi praecipit, neque in usu cujusquam versari, atque ex ea materia nomen inditum est, cum diceret, plus largiendi hanc esse imperatori causam, si, cum multos so-

lidos minores dare possit, dans decem, vel amplius una forma, triginta, et quinquaginta, et centum dare cogeretur. Habes prolixum Lampridii locum, cujus nodos ut evolverent, operam multam, at fere inutilem dedere Causabonus, ac praecipue Salmasius, multum deinde in pari conatu feliciore cl. Dupuy. ^b) At licet mihi a molesto hoc examine curam animumque abstinere, quod mei modo instituti non est, illustrare scriptores veteres, sed monetam veterem. Iam vero observare lectorem velim, memoratas has a Lampridio formas binarias, ternarias etc. tum et tremisses neque in Elagabali, neque Alexandri moneta reperiri, quorum sane numi hodieque obvii ac triti, aliam rationem non sequuntur, quam quae in proxime superiorum Augustorum re pecuniaria observatur. Vnum, in quo a praecedentium Caesarum more discessit, est, quod non perrexit ferire numos argenteos, quos Caracalla majore volumine signare instituit, de quibus vide, quae diximus altius pag. 220. Neque etiam in Alexandri numis probius est argentum, quin potius impurius, ut adeo, nisi haberemus testimonium Lampridii, et numorum praesentium, non sciremus, Alexandrum in re monetaria quidpiam immutasse.

* * *
• *Vt lit. A. et C.*

PERPETVITATI. AVG. *Securitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

POTESTAS. PERPETVA. *Securitas je-*

a) Cap. 39. b) B. L. Tom. XXVIII. p. 683.

dens. AE. I. (Beauvais Hist. Emp. T. III. p. 429.)

Nova prioris numi epigraphe, sed quae deinde quoque recurret. *Perpetuitas* ab *Aeternitate* differre non videtur, nisi quod plus superstitionis huic, quam illi vocabulo tribueretur. Sic in marmore Gruteriano *) Diocletianum et Maximianum videmus dici *Aeternos*, at Caesares Constantium, et Galerium *Perpetuos*. In numis Floriani et Cari legitur PERPETVITÆ. AVG. simili typo. Alterius numi aversa in hoc tantum imperatore occurrit.

D. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. AN. N. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. PIO. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Belley ex mus. Pfau B. L. Tom. XIX. p. 475.)

Explicationem pete ex numo simili Hadriani.

E. IMP. SEVERVS. ALEXANDER. AVG. IVLIA. MAMAEA. AVG. MATER. AVG. *Caput utriusque se respiciens.*

TEMPORVM. FELICITAS. *Imperator globo stellato insidens d. grandem circulum kumi attinet, per quem quatuor puelli nudi ingrediuntur. Ipse a Victoria retro stante coronatur, ad dexteram adstat Iuppiter d. hastam.* AE. max. mod. ex dupl. met. (Mus. Albani.)

Globus stellatus, circulus, puelli tempus; ejusque varias vices indicant, ut

docemur numo Hadriani: SAEC. AVR., et variis numis Commodi.

Divus Alexander.

De ejus consecratione in haec verba Lampridius: ^{b)} *Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romae sepulcrum amplissimum meruit. Dati sunt et sodales, qui Alexandrini appellati sunt, addita et festivitas matris nomine, atque ipse, quae hodieque Romae religiosissime celebratur natali ejus die.*

DIVO. ALEXANDRO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, in aliis: Argo ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Sunt hi ex eorum genere, qui pluribus post ejus consecrationem annis signati sunt, quod ostendam in tractatu de numis consecrationum. Coevos ejus consecrati numos ex quocunque metallo nondum reperio.

Numi commatis peregrini.

Numi hujus classis in Alexandro, ut in aliis hujus aevi imperatoribus abundant.

Nomina, et honores.

Ei privato fuisse nomina *Bassiani* et *Alexiani*, principio diximus.

Alexander. Nomen istud illi ab Elagabalo, et quidem ita praecipiente deo Elagabalo, cum primum adoptatus est, datum refert Dio. ^{c)} Secundum Lampridium istud factum, quod in templo

a) Pag. 161. 3.

b) Cap. 63.

c) L. LXXIX. § 27.

Alexandri natus effct. ^{a)} Probabilius videtur, quod narrat Herodianus, ^{b)} primaevum illi nomen fuisse *Alexiani*, quo nomine fuit avus, dictum subinde *Alexandrum*, ut certius haberetur filius Caracallae, qui Alexandri M. sibi nomen adjecit.

M. Aurelius. Haec nomina traxit ab adoptante Elagabalo, ut patet.

Severus. Binis locis adserit Lampridius, ^{c)} Severi nomen Alexandro a militibus datum ob ingentem vigorem animi contra militum insolentiam. Illud in signiter falsum. Iam enim primi Alexandri Augusti numi Severi nomen constanter addunt, quo tempore nullum adhuc severitatis documentum praestare potuit. Ex quo docemur, Alexandrum una cum Augusti titulo Severi nomen adoptasse. Ejus causa in promptu. Nam cum, ut initio dictum, Caracallae filius haberi voluerit, eo jure Severi nepos necessario fuit. Igitur ab avo pro ejus aetatis exemplo nomen sibi imposuit. Et sane, ut alias dictum, non raro in marmoribus *Magni Caracallae filius*, et *Severi nepos* appellatur. Quid quod propius illud a patre Caracalla trahere potuit, cui Severi quoque fuisse nomen, suo loco diximus.

Pius, Felix. Vtrumque hunc titulum satis mature Alexandro tribuunt numi, sed perpauca, iique rarissimi, omnes maximi moduli. En illos:

IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. PIVS. FELIX.
AVG. *Caput laureatum*.

LIBERALITAS. AVGVSTI. *Imperator dqt populo congiarium*. AE. max. mod. (Harduin Opp. sel. p. 819.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Imperator ante templum sacrificans cum pluribus figuris*. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. *Victoria in quadrigis triumphalibus*. AÆ. max. mod. (Num. max. mod. reg. Gall. tab. 22.)

Ex his numus prior hand dubie ad annum I. imperantis Alexandri pertinet, quia Liberalitati numerus non additur; alter est anni V. C. 981, tertius 982. Vtrumque etiam *Pii Felicis* titulum conjunctum legimus in marmoribus jam in TR. POT. VII. ^{d)} et in TR. POT. III. ^{e)} quin et in ipso aditu imperii secundum certas notas chronologicas: P. M. TR. P. COS. P. P. ^{f)} Numi Alexandrini ETCEBΣ, *Pii* titulum jam in numis cum anno Δ ostentant. At in reliquo copioso numerorum Alexandri agmine alia lex obtinuit. Et ad *Pii* nomen quod attinet, in nullo alio cujuscunque metalli seu formae, demptis paucis maximi moduli, illud reperias ante trib. potestatem X., seu annum V. C. 984, ac tum quidem in monetam inductum non amplius deinceps omittitur, demptis numis aliquot aut semibarbaris, aut de permutatione matricum suspectis. At titulus *Felicis*, si citatos maximae formae numos demas, in nullo alio seu comatis Romani, seu peregrini legitur.

a) Cap. 5. p. 190. 13.

b) L. V. c. 7.

c) Cap. 12. et 25.

d) Muratori p. 459. 4.

e) Gruter

f) Gruter p. 1078. 8. (Vol. VII.)

Nolim cum Harduino numos omnes et marmora, quae Alexandrum *Felicem* appellaut, suspecta putare. ^{a)} Nam nimis gravibus utriusque testimoniis nituntur, et fuit sane Alexandro in utrumque nomen jus, tractum quippe ab adoptante Elagabalo, et, ut credi voluit, patre naturali Caracalla, quae sane ratio vera prae altera, quam statuit Lampridius, qui ab aliis *Pium* appellatum refert, sed potius ex opinione vulgi. ^{b)} At vero anno demum V. C. 984 peculiari quodam modo illi fuerit decretus *Pii* titulus, et haud dubie per spectatam in matrem pietatem, atque is propterea non amplius deinceps intermissus. *

Caesar. Notandus iterum geminatus Lampridii error, qui Alexandrum mox mortuo Macrino *Caesarem* a senatu appellatum statuit. ^{c)} Aliud docent Dio, et Herodianus, ut suo loco est indicatum.

De tempore mortis Alexandri.

Ex disertis verbis Lampridii, qui Alexandrum imperasse annos XIII. dies IX. adserit, ^{d)} necesse est, ut jam supra ad annum V. C. 988 adverteram, bonum hunc principem caesum ejusdem anni mense Martio. At Herodianus annos XIV. imperii Alexandro tribuit. Veterum scriptorum alii cum Lampridio, cum Herodiano alii consentiunt. Medium inter hos tempus definiunt Glycas et Cedrenus, qui imperasse annos XIII. menses VIII. statuunt. Recentiores plerique Lampridio adhaerendum putant, qui

adeo mense Martio interfectum Alexandrum conficiunt, quos compendiositate citatos vide apud Mazzolenum. ^{e)} Quam sententiam cupide amplexi sunt ii, qui trib. potestatem natali imperii renovatam contenderunt. Nam si statuatur Alexander in autumno mortuus, quod sensisse alios mox videbimus, modum non reperere, quo successoris Maximini tribunatum IV. extunderent.

At enim sunt argumenta in speciem gravia, quae differre Alexandri mortem saltem usque in autumnum anni V. C. 988 cogunt. Exstat lex data ab Alexandro Aug. die XIII. Augusti Severo et Quintiano cos., qui fautorum omnium consensu processerunt V. C. 988. Ergo Alexander mense Augusto hujus anni adhuc superstes fuit. Hoc codicis Iustiniani oraculum ^{f)} tanti visum est erudito Dodwello, ut jam de tempore caesi Alexandri dubitari non posse audeat adserere. ^{g)} Eodem, opinor, ex capite Mediobarbus Alexandri mortem in Octobrim differt. Advertit is nodus Pagium, cumque jam mensis Martius ejus animum occupasset, maluit mendum in lege suspicari, et adserere, pro *idib. Aug.* legendum *idib. Ian. vel Febr.* ^{h)} At enim aliud argumentum priore multo validius ad differendam in autumnum Alexandri mortem ex numo Amasiae Ponti, et inscripta huic epocha reperit Mazzolenus. ⁱ⁾ Coepit aera Amasiae, ut in ejus numis demonstravimus, in autumno anni V. C. 747. Exstat apud Vaillantium numus Mamæae Amasenus

a) Opp. sel. p. 819. 823.

b) Cap. 4.

c) in Alex. c. 1. et 2.

d) Cap. 60.

e) Animadv. in mus. Pif. Part. II. p. 146.

f) L. II. de offic. praetor.

g) Dissert. XI. Cy-

h) Critic. Baron. ad ann. 235.

i) l. c.

cum anno CMB, 242, quem adeo signatum oportuit ab autumo V. C. 988, verum qui istud, si Mamaea, filiusque jam in Martio ejus anni per vim occubere? Ergo quo tempore iniiit annus 242 Amisenorum, Alexander aut vixit adhuc, aut ejus illis mors nondum intellecta fuit.

Verum adversus hanc usque in autumnum moram insurgit Aegyptus offensatis suis cum Alexandri, tum Maximini numis. Ad Alexandrum quod attinet, si is exeunte adhuc Augusto superstes fuit, oporteret existere ejus numos commatis Alexandrini inscriptos L. IC. Nam secundum cognitum Aegyptiorum calculum anno V. C. 988, quo mortuus est Alexander, valuit annus IA usque ad diem XXIX. Augusti, quo die inivisset annus Alexandri IC., sed quem in nullo adhuc catalogo reperi, anno postremo tam in numis Alexandri, quam Mamaeae constanter IA notato. At minus valeat istud argumentum, cum evenire facile possit, ut aliquando ex terrae sinu, aut museo adhuc ignoto eruatur numus anno IC insignis. Acrius urgebunt numi Maximini inscripti L. A. B. Γ. Δ. Ex his necesse est, numos L. A. signatos fuisse vel ante diem XXIX. Augusti V. C. 988, vel post. Istud postremum certe dici nequit; nam tum neque pro anno Maximini Γ, multo minus pro anno Δ locum reperiemus, ut patebit in moneta Maximini. Ergo necessario ante. At qua tum ratione Alexandrum adhuc vivum die XIII. Augusti praestabimus, ut docent hujus sententiae patroni ex subscriptione legis ab

hoc imperatore hac die facta? Esto, Alexandrum uno alterove post hanc subscriptionem die caesum. An verisimile, potuisse nuncium caedis, et evecti ad imperium Maximini, ejusque a senatu confirmati intra XII. circiter dierum spatium ab ultimo Rheno ad Nilum usque pervenire, ei mox ab Alexandrinis haberi fidem, et adhuc signari numos inscripto L. A., antequam orta dies XXIX. Augusti literam A in B commutaret? Ab his igitur Aegyptiorum numis invicte docemur, non quidem, quod aliis placuit, Alexandrum jam mense Martio diem obivisse, sed tamen justo anted diem XIII. Augusti spatio, nimirum quantum requirebatur, ut agnito per provincias novo imperatori numi ferirentur. Qui memoratae subscriptionis testimonium volet regerere, ei probare incumbet, majorem esse subscriptionem, quas saepissime fallere deprehendimus, auctoritatem, quam numorum synchronorum. Earum intuta fides jam pridem cognita eruditis, ut pluribus locis, ac cum primis in nota XII. in Maximinum probavit Tillemontius. Quod ad numum Amasiae attinet, qui Alexandri necem adhuc longius differt, hunc certe, etsi genuinum demus, atque in eo revera annum CMB extare, insigniter fallere, facile ex jam dictis demonstramus, quoniam si Maximini annus A coepit post diem XXIX. Augusti, ut in hac doctrina evenire necesse est, annis Maximini Γ et Δ locus non relinquatur. Ex quo liquere manifeste arbitror, Alexandri mortem non posse longius, nisi fere sub mensis Iulii principium differri.

PRETIUM.

Commatia Romani:

Aurei et Argentei	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatia peregrini:

Vrbium liberarum, coloniarum, Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	C.
---	---	---	---	---	---	---	---	----

° VXORES ALEXANDRI SEVERI.

Tres a scriptoribus Alexandri uxores produntur, at quo illae ordine ductae; et utrum nati ex his liberi, reticent.

I. *Anonyma*. De hac Dio: ^{a)} *duxit Mamaea et filio uxorem, quam tamen Augustam appellari passa non est; quin aliquanto post a filio avulsam in Africam relegavit, quam etsi Alexander diligebat, tamen matri, in cuius erat potestate, refragari non est ausus*. Acerbius istud persequitur Herodianus, qui addit praeterea, patrem uxoris, pertaesum injuriarum, quas sibi, ac filiae intulit Mamaea, confugisse in castra, eamque vehementius inculasse. Quare indignata

mulier interfici eum iussit, et uxorem in Africam ejecit. At Lampridius ex Dexippo narrat, ^{b)} fuisse eam Martiani cujusdam filiam, eundemque ab Alexandro Caesarem appellatum, at cum hic insidias imperatori compararet, his detectis eum interemptum et uxorem abjectam.

II. *Memmia* Sulpicii consularis viri filia, Catuli neptis, cujus obiter meminit Lampridius. ^{c)} Ex hoc indicio numquam confinxit Goltzius: SVLPICIA. MEMMIA. AVGVSTA, quem videre adhuc, nisi spurium, alteri non licuit.

III. SALLVSTIA BARBIA ORBIANA,

De hac ex scriptoribus nihil constat, ejus nomina solis numis, ac marmoribus debemus. Esse eam diversam ab anonyma, quam primo loco memoravi, eo conjicitur, quod in numis Augustae nomine decoratur, quem honorem ano-

nymae illi fuisse negatum supra vidimus. Ad tempus matrimonii quod attinet, id unum ex numo Alexandrino per epigraphen L. E. tenemus, eam Alexandro anno ejus imperantis V. convixisse.

a) L. LXXX. § 2.

b) in Alex. c. 49.

c) Cap. 20.

SALL. BARBIA. ORBIANA.

AVG. *Hujus caput.*IMP. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput Alexandri laureatum.* Quin.

Hunc quinarium Khellius ex museo comitis Ariostii edidit, eumque praestantissimum numismation gemmae facile suppar appellavit. a) Probat enim, Orbianam Alexandro fuisse matrimonio junctam, cum adhuc saeculo superiore crederetur, fuisse eam Decii uxorem. Hoc ut multum ad historiam imperatorum valet, ita vereor, ut quinarium praefens eam lucem possit praestare. Nam pridem dubium mihi movit epigraphae capitae Alexandri IMP. SEV. ALEXANDER. AVG., quae quidem, ut vidimus, valuit in numis aeneis I. et II. formae, in denariis aureis, et argenteis nunquam, in quibus semper legitur contractius ALEXAND. Si hoc compendio usi sunt monetarii in numis formae ordinariae, et majoris, multo magis usi essent in quinario. Vnito postea cum gaza Caesarea museo Ariostiano numus hic a me sollicitate exploratus etiam per literarum formam suspectus visus est, ut adeo ad faciendam historiae fidem ejus quoque testimonium sit suspectum. Ceterum existisse similem alium in museo cardinalis Buoncompagni, Gotifredus apud Spanhemium testatur, in cujus una superficie esset caput Alexandri, altera Orbianae. b)

IMP. SEV. ALEXANDER. AVG.

SALL. BARBIA. ORBIANA. AVG.
Capita utriusque adversa.

IVLIA. MAMAEA. AVG. MAT. AV-

GVSTI. *Caput Mamaeae.* AE. max. mod.
(Mus. Theup. p. 804.)

Hoc numisma si genuinum, qua suspitione saepe laborant numi maximi moduli, controversiam, cujus uxor fuerit Orbiana, plene dirimit.

SALL. BARBIA. ORBIANA.

AVG. *Hujus caput.*CONCORDIA. AVGG. *Mulier sedens d. pateram, s. cornucopiae.* AV. (Mus. Theup.)
AR. (Mus. Caes.)*Eadem adversa:*CONCORDIA. AVGVSTORVM. S. C.
Idem typus. In aliis: *Alexander et Orbiana stantes jungunt dexteras.* AE. I. II.
(Mus. Caes.)

Iam advertit Spanhemius, in his numis magis integris etiam ex tenui pictura satis perspicui, imperatorem in parte aversa stantem nullo pacto Decium, at Alexandrum facile referre, c) quod et ipse in meis observavi.

*Eadem adversa.*MINERVA. VICTRIX. *Minerva stans d. Victoriolam, s. hastam, pro pedibus clypeus.* AR. (Mus. Caes.)

Ignotus fuit hic numus, antequam eum vulgarem in mea Sylloge I. p. 104.

*Eadem adversa.*PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. faciem velat, s. hastam.* AR. (Vaill.)*Eadem adversa.*TEMPORVM. FELICITAS. *Mulier sedens inter tres puellos, quorum unius ca-*

a) Subplem. ad Vaill. p. 147.

b) Tom. II. p. 299.

c) Tom. II. p. 300.

piti sinistram imponit, adstat Felicitas d. caduceum oblongum tenens. AE. max. mod. (Vaill.)

Numi commatis peregrini.

Horum non pauci notis jam *Sallustiae Barbiae Orbianae* nominibus aliadunt, ut:

• FN. CEI. EPE. CAAA. BAPB. OPBIAN. CE. in numis Aegyptiacis apud Haym, ^{a)} et Pellerinium. ^{b)} Haec nomina a marmore Gruteriano in hunc modum expleuntur: GNAEAE. SEIAE. HERENNIAE. SALLUSTIAE. BAR-

BIAE. ORBIANAE. AVG. CONIVGL. DOMINI. NOSTRI. AVG. ^{c)}

F. CEP. CEI. CAA. BAP. OPBIANH. ATT. in numo Prusae ad Olympum, quem olim edidi. ^{d)} Alterum nomen lego *Sergia*. Istud etiam praefert numus Sidetum max. mod. apud Theupoli. ^{e)}

In Alexandrinis Orbianae numis legitur L. E. (Arigoni, Haym.) et L. S. (Pellerin l. c.) certissimo argumento, eam Decio, aut quod alii opinati sunt, Hostiliano conjunctam non fuisse; nam horum imperium nequaquam in annum V., nedum VI. duravit, ne quidem in Alexandrinorum calculo.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Coloniarium	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.

IVLIA MAMAEA.

Iuliae Maesae ex Iulio Avito filia, Domnae Aug. neptis, Alexandri Aug. mater ex marito Gelsio Marciano Syro. (Vide stemma genealogicum in Elagabalo.) Vivo adhuc Severo in urbem ex patria Emesa traductam, Domnae ni-

mirum indulgentia, in eaque circa annum V. C. 958, quo Alexandrum enixa est, versatam, eo liquet, quod et haec, ut supra in Alexandro probaveram, filium ex Caracalla concepisse credita est, qui per illud tempus pedem ex

a) Thef. Brit. T. II. p. 352. p. 189.

b) Mel. I. p. 232.

c) Pag. 274. 2.

d) Num. vet.

e) Pag. 804.

urbe non extulit. Sequens ejus fortuna incerta, et obscura, donec admoto ad imperium nepote Elagabalo coepit clarescere. Cum hoc Romam profecta filium, qui triennio post a consobriano Elagabalo adoptatus est, maternis plane curis protexit, ne aut prava imperatoris exempla ejus animum perverterent, aut hujus infidiis, quas is Alexandro mox post adoptionem struere coepit, e medio tolleretur. Filio per Elagabali necem ad imperium vocato ipsa jam *Augustae* nomine insignis ^{a)} omnem dedit operam, ne augustus adolescens a virtute ad vitia deslecteret, fuitque eo, quod rari est exempli, fortunata, quod filium, quoad vixit, praeceptis suis obsequentem habuit. Atque praeclaro huic matris sapientissimae instituto debebat orbis administratum per annos fere XIV. sancte atque integre imperium. Inter praeclaras has virtutes suis laboravit vitiis, quorum maxime foedum fuit arrogantia muliebris, qua ferre mulierem aequalem non potuit. Quam atrociter primam filii uxorem infectata fuerit, supra exposuimus. Regendae vero reip. partes adeo ipsa praecepit, ut adferre non dubitaverit Herodianus, penes Alexandrum nomen, et insignia imperii, at potestatem penes mulieres fuisse. Immoderatum faciendae pecuniae studium ipsi filio, qui omnia in matre tulit, improbatum est, ^{b)} fuitque intempestiva haec parsimonia non postrema causa ejus calamitatis, cui ipsa demum in Gallia una cum filio succubuit, ut dictum in Alexandro. Adfectam immerito hoc sup-

plicio senatus non minus, quam filium luxit, fecitque participem honorum, quos Alexandro defuncto publice constituit. Fuisse eam Christianis sacris addictam, et Christianam ab illustribus ecclesiae nostrae scriptoribus passim creditam, vide apud Tillemontium. ^{c)}

Liberi. Praeter Alexandrum habuisse filiam Theocliam, quam is Maximo Maximini parricidae sui filio elocare constituerat, refert Capitolinus. ^{d)}

Numi:

- A. IVLIA. MAMAEA. AVG. *Hujus caput in AV. AR. rarius in AE. II.*
 B. IVLIA. MAMAEA. AVGVSTA. *Hujus caput in AE. max. mod. I. II.*
 C. IVLIA. MAMAEA. AVG. MATER. AVG. *in aeneis, in quibus ejus caput in antica jungitur cum capite filii.*
 D. IVLIA. MAMIAS. AVG. *in aeneo. (Elect. Woltereck p. 352.)*

*
Vt lit. B. Protome Mamaeae alata cum loto in capite, et lunabicorni in occipite d. cornucopiae, s. taedam cum spicis.

FELICITAS. PERPETVA. *Augusta sedens s. hastam ab accedente muliere aliquid accipit; adstant mulier velata, et alia caduceum tenens. AE. max. mod. (Mus. Pisan.)*

Insignem hunc numum facit antica, in qua Mamaeam plurium dearum attributa Pantheon faciunt.

a) Dio L. LXXX. §. 1.
 d) in Maximo c. 3.

b) Dio L. LXXX. §. 2. Herodian.

c) in Alexandro p. 288.

Vt lit. A. et B.

IVNO. AVGVSTAE. *Iuno sedens d. florem, f. infantem fasciis involutum.* In omni metallo et forma. Vide typum hunc explicatum in moneta Lucillae Veri.

Vt lit. B.

MATER. AVGVSTI. ET. CASTRORVM. (in AE. II. legitur AVG. et S. C.) *Mamaea sedens d. porrecta, ante eam Pietas stans d. porrecta, f. acerram, pro pedibus ara, retro duo signa militaria.* AE. max. mod. duplicis metalli. AE. II. (Mus. Caes.)

Neque matris castrorum nomen novum

post Faustinae juniorem, et Domnam. Sic etiam compellatur Mamaea in maremore Gruteri,^{a)} et frequenter in Alexandrinis perinde ac Maesa, ΜΗΤΗΡ CΤΡΑΤΟΠΕΔΩ.

Reliqui Mamaeae numi, etsi copiosi, typos memorabiles, aut novos non offerunt, qui fere sunt: *Fecunditas Augustae, Felicitas Aug., Iuno, Pietas, Venus, Vesta.*

Numi commatis peregrini.

Sunt obvii, et saepe in his Mamaea jungitur cum capite filii.

PRETIUM.

Commatibus Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatibus peregrini:

Vt continuo dictum.

V R A N I V S A N T O N I N V S .

S V L P I C I V S A N T O N I N V S .

Teste Zosimo^{b)} duo imperante Alexandro purpuram arripuerunt a militibus ipsis adversus imperatorem sollicitati, Horum unus Antoninus motus rei periculo fuga sese subduxit, neque amplius comparuit. Alter Vranus servili ortus

genere in ejus locum suffectus, sed paulo post captus ad Alexandrum perductus est. Horum posteriori, nisi forte Zosimus in hujus aetatis historia parum accuratus ex tyranno uno binos fecit, tribuitur numus aureus singularis:

L. IVL. AVR. SVLP. VRA. ANTONINVS. *Caput laureatum modeste barbatum.*

FECVNDITAS. AVG. *Mulier stans d. gubernaculum, f. cornucopiae.* AV.

Suspectus hic numus per partem aversam videri posset, quoniam *secunditas* inscriptio est ab Augustorum numis aliena, typus vero fortunam, non fecunditatem sistit. At cum Baro Bimardus, quem in hunc numum prolixè commentantem cum primis consule, ^{a)} suo suorumque iudicio indubitatae antiquitatis mercem spondeat, ipse, qui numum non viderim, nihil habeam, quod opponam, libenter insignium virorum suffragio subscribo.

Commemorato Sulpicii Vranii Antonini numo exemplo Bimardi conjungo alium Graecum *Sulpicii Antonini.*

ΑΤΤΟΚ. ΚΟΤΑΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΚ. ΚΕΒ. *Caput laureatum.*

ΕΜΙCΚΩΝ. ΚΟΛΩΝΙ. ΕΞ Φ. *Templum sex columnarum, intra quod lapis conoidiscus.* (Haym. T. I. p. 292. Pembroek P. III. tab. 58.)

Addo alium, quem Mazzolenus a se Venetiis in museo Apostoli Zeno visum describit: (Animadv. in mus. Pis. P. II. p. 279.)

ΑΤΤΟΚ. ΚΟΤΑΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΚ. ΚΕΒ. *Caput laureatum.*

δημαρχ. ἐξ ὈΥCΙας. *Aquila.* AE. II.

Hunc Antoninum suspicatur Haymius esse eundem, cujus meminit Zosimus his verbis: ^{b)} *Gallienus in Italiam Scythas expulsurus rediit ea tempestate, qua Ce-*

rops Maurus, Aureolus, et ANTONINVS, aliique multi rebellarunt, at omnes unico Aureolo excepto seditionis suae poenas dederunt. Verum aetas numi non satis congruit cum narratione Zosimi; nant annus ΕΞ Φ, qui est aerae Seleucidarum, incipit ab autumno V. C. 1006 exiturus in autumno anni sequentis, quo Emisenorum anno labente coepit annus primus Valeriani et Gallieni, Zosimus autem Antonini seditionem pluribus annis serius constituit, quanquam et istud excuset Bimardus, ^{c)} qui Haymii de hoc numo iudicium ipse approbat. Sunt tamen praeterea adhuc alia non levia, quae contra pugnent. Facies ectypi Haymiani Elagabalum non diffitetur, ut et ea numi alterius teste ipso Apostolo Zeno, quem citat Mazzolenus. Atque etiam haec ipsa imberbis magis convenit Elagabalo, quam tyranno; nam nunquam pueri, sed longiore armorum usu spectati arripuerunt imperium, inde vero ab Hadriano Augusti omnes, nisi cum aetas obstitit, barbam alebant. Ad haec non exstat numus coloniae Emisae cum alterius imperatoris capite, quam Caracallae et Elagabali; mirum vero, obscuro tyranno dedicatam ab hac monetam, cum istud, quod adhuc conflet, non praestarent Alexandro, Gordiano, aliisque. Quod si valet iudicium ex fidei Haymii typo captum, certe fabrica nitidior magis Elagabali, quam Valeriani aetati congruet, quod etiam de fabrica numi sui aperte profitetur Zeno. Quibus omnibus ad trutinam vocatis necio, an numi hi non Elagabalo potius,

a) in Iobert. T. II. p. 348.

b) L. I. c. 38.

c) l. c.

aut etiam Caracallae sint tribuendi. Fa-
teor, utrique omnino obfata annum e-
pochae, fed non defunt exempla erro-
rum a monetariis in notanda epocha ad-
mifforum. Atque etiam hic epochae au-
nus unica fiducia eft, qua Antonini ty-
ranni caufa nititur. Nam quod ad no-
men Sulpicii attinet, poterat hoc efle
praeditus aut Caracalla, aut Elagaba^a

lus, etfi iftud ignoremus. Numi tantum
Graeci Caracallae dederunt nomen Se-
veri, Etrufcillae nomen Cuprefseniae,
Gallieno Egnatii, Saloninae Chryfogo-
nes, quibus appellationibus abftinent
numi Romani. Ceterum vide prolixiora
de his numis iudicia apud Haymium, et
Bimardum, ^{a)} Mazzolenum, ^{b)} et Maf-
feium. ^{c)}

C. IVLIVS VERVS MAXIMINVS.

C. Iulius Verus Maximinus, quae hu-
jus imperatoris funt nomina teftibus mar-
moribus, natus eft in Thracia paren-
tibus barbaris, quorum alter e Gothis,
mater ex Alanis fuit. Ejus prima vita
paftoritia, at cum liberaliorem fibi for-
tunam a corporis robore, quo fupra ho-
minis modum valebat, auferret promit-
tere, Romam venit, ejusque cum pro-
ceritatem; tum vires miratus Severus
militiam fequi iuffit. Sub hoc, et filio
Caracalla cum varios ordinis fui gra-
dus pervafiffet, fubinde taedio Macrini
in patriam rediit, quo caefo reverfus in
caftro paullo poft ab Alexandro, igna-
ro tum, quem efferret, ad maximos
honores propter laborum tolerantiam,
et difciplinæ militaris fcientiam pro-
motus eft, et praefectus fupplementis,
quae ipfe in Pannonia confcripferat. V.
C. 988 Alexandrum ad bellum Germa-
nicum fecutus, fretus legionum in hunc
odio recente, fuorumque adfectu impe-
ratorem de fe egregie promeritum per-
fide e medio fuffulit, forte circa initium

Iulii, certe non ferius, ut fupra in Ale-
xandro probavi.

V. C. 988 P. X. 235.

TR. P. COS. DES. P. M. P. P.

Severo, Quintiano cof.

Caefo Alexandro Maximinus ab ex-
ercitu imperator adclamatus probante
mox fenatu refiftere non aufo. Filium
Maximum Caefarem creat, omnesque
Alexandri amicos aut loco movet, aut
interimit. Rhenum transgreffus Germa-
nos bello impetit.

IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG.
Caput laureatum, etiam radiatum
in AE. II.

P. M. TR. P. P. P. Imperator paludatus
ftans inter duo figna militaria d. elata, f.
hauftam. AV. AR. AE. I. II. (Muf. Caef.)
Eadem adverfa.

LIBERALITAS. AVG. Liberalitas ftans.
AV. AR. In aliis: Imperator congario
praefidens. AE. I. (Muf. Caef.)

a) ll. cc.

b) de trib. pot. p. 181. et 279.

c) Ant. Gall. p. 118.

Eadem aduersa.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AV. AR. AE. I. II.

Ad hunc annum, et partem sequentis referendi numi Maximini omnes, qui appellatione *Germanici* abstinere, quae illum in trib. potestate II. fuisse ornatum, ex sequentis anni moneta patebit.

V. C. 989. P. X. 236.

TR. P. II. COS. P. M. P. P.

Maximino Aug., Iul. Africano cof.

Germanos saepe vincit, magnisque incommodis adficit eorum agris late introrsum vastatis.

IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG.

Caput laureatum.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Processus consularis. In aliis alii typi, iique obuii.* In omni metallo et forma.

Eadem aduersa.

VICTORIA. GERMANICA. S. C. *Imperator paludatus stans d. elata, s. hastam coronatur ab adstante Victoria, humi captivus sedens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

Incipit GERMANICVS.

MAXIMINVS. PIVS. AVG.

GERM. *Caput laureatum, etiam radiatum in AE. II.*

P. M. TR. II. COS. P. P. *Imperator stans inter signa militaria.*

Eadem aduersa.

VICTORIA AVGVSTORVM. S. C. *Maximinus, et Maximus paludati stantes dexteras jungunt, et simul Victoriolam tenent.*

Adfunt milites, et captivi. AE. I. (Mus. Caes.)

Quod ex monumentis veteribus confluit, Augusti honos in Maximum collatus nunquam fuit. Quare in hoc numo, aliisque similibus tantum propter consortium cum patre in ejus honoris partem venit.

Deinceps numi cum titulo Germanici, cum trib. potestatem non addunt, per reliquos Maximini annos nullo certo criterio vagantur, ut: FIDES. MILITVM. — PAX. AVGVSTI. etc.

V. C. 990. P. X. 237.

TR. P. III. COS. P. M. P. P. GERM.

Perpetuo, Corneliano cof.

Pacata Germania Sirmium in hiberna concedit.

MAXIMINVS. PIVS. AVG.

GERM. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Imperator stans inter signa militaria.* In omni metallo et forma.

V. C. 991. P. X. 238.

TR. P. IV. COS. P. M. P. P.

An. Pio, Pontiano Proculo cof.

Dum bellum in Sarmatas meditatur, in Africa Gordiani duo Augusti acclamantur, in quorum nomina continuo omnis Roma, ac pleraeque provinciae juravere. His haud multo post caesis senatus Maximum Pupienum, et Balbinum Augustos, et Gordianum junio-rem Caesarem sufficit. Quo intellecto Maximinus furore amens, et vindictam spirans profectionem in Italiam edicit,

In ultionem ruenti obstitit Aquileia, ad quam pertinaciter sese defendentem dum longius adhaeret, a militibus propter crudeles mores et annonae penuriam sibi iratis una cum filio Maximo occiditur. Cur omnia haec facta contra chronologorum omnium sententiam in hunc annum conjecerim, infra ratio expeditur.

Hujus principis mores magis ex belluae, quam hominis ingenio fuere. Iam istud ex belluarum more, quod montibus inutritus per diu intra haec latibula vitam egerat, antequam in loca plana, cultaque emergeret. Neque vero per corporis molem, et virium incredibilia experimenta belluam est inficiatus, quae tantae fuere, ut vulgo Milo Crotoniates, Hercules, Antaeus vocaretur, quas non raro in die vini Capitolina amphora, et sexaginta libris carnis sustentavit. ^{a)} Atque hoc corporis sui modo cum in risum aequae jocumque, ac sui commendationem uteretur, brevi effecit, ut non modo gratiosus apud principes, et contubernaes, sed propter fortitudinem utilis etiam reip. esset, fieretque indies in re militari magis spectabilis. Tamen haec ferenda, partim etiam laudanda fuissent, nisi membrorum feritas in mores etiam transivisset. Quam ille ingratus in Alexandrum sibi beneficum, ac crudelis fuerit, supra exposuimus. Mox audito, imperium ab eo fuisse occupatum, tanta Romae propter cognitam ejus feritatem trepidatio fuit; ut passim vota in templis conciperentur, ne urbem unquam istud monstrum videret. Neque frustratus est com-

munem orbis opinionem vexatis propter inexhaustam cupiditatem provincialis, caesis nullo discrimine, quorum aut suspectior fides, aut pinguior fortuna, aut quibus primaeva sua ignobilitas cognita fuisset, nimirum cui persuasum fuerat, ut professus est ipse, imperium nisi crudelitate teneri non posse; quo factum, ut, quae dirissima vetus aevum habuit nomina, Cyclopi, Bufiridis, Phalariadis, sibi promeretur. At nunquam lulentior bellua apparuit, quam cum factum de se senatusconsultum accepit, quo hostis imperii judicatus est. Illissem tum caput parieti, nonnunquam in terram se abjecisse, clamasse incondite, conscidisse vestem regiam, proximum quemque excepisse verberibus, auctor est Capitolinus. ^{b)} Quare cum urbs extrema quaeque ab irritata hac furia timeret, nullus unquam nuncius majore gaudio ac gratulatione acceptus est, quam qui caesum tyrannum promulgavit, cujus fidem primum ambigam paulo post comprobavit adlatum utriusque patris ac filii, caput, quod aliquamdiu publice propolitum, subinde in campo Martio insultante populo flammis exustum est. ^{c)}

Vxor *Paulina*, de qua infra.

* * *

MAXIMINVS. PIVS. AVG.
GERM. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *Imperator paludatus stans inter signa militaria.*
In omni metallo et forma.

MAXIMINVS. ET. MAXIMVS.
AVGVSTI. GERMANICI. *Capit-*

a) Capitolin. c. 4.

b) Cap. 17.

c) Capitolin. in Maximo c. 5.

ta aduersa, Maximini laureatum, Maximi nudum.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Maximus paludatus inter signa militaria stans ante aram coronatur ab Hercule retro stante; ex aduerso stans Maximus paludatus d. pateram, s. hastam, cui adstat Apollo nudus s. arcum tenens. In horum medio stat mulier globum juncta utraque manu tenens.* AE. max. mod. ex duplici metallo. (Mus. Caes.)

Vide, quae de hoc numo infra in moneta filii monebo.

De annis et trib. potestate Maximini, ut et de terminis imperii Gordianorum, Balbini, et Pupieni.

Nusquam alias hac parte implexior historia Romana, adeo discordibus ipsis veteribus, ut dubium videatur, sitne magis miranda eorum ignorantia, cum historiam summorum orbis principum, quorum aevum non magnopere a suo distabat, scribere meditarentur, an oscitantia, cum omissa crisi temere omnia, ac fortuito mandasse literis viderentur. Ex horum praeconiis imperavit Maximinus annis II. vel III. vel ipsis VI. Imperavere Gordiani Afri jam dies C. jam annum I. menses VI., jam annos adeo VI. At Balbinus et Pupienus jam dies XXII., jam menses III., jam annum I. jam II. Reliquae notae, quas adferunt, aut non cohaerent cum aliorum dictis, aut aperte sunt mendaces. Nolo brevitatis causa commemorare singula, quod ea explicata jam habentur in Tillemontii ad Maximinum

notis, tum apud Mazzolenum. ^{a)} His testimoniorum monstris cum nitendum esset eruditissimis aetatis nostrae chronologis, istud denique obtinere, ut quanto plus indagarent, tanto plus ignorarent, et quamcunque demum sententiam amplecterentur, sibi diffiderent ipsi. Quare satius fore existimo, si, quaecunque ab his angustae mentis hominibus, quos inter Capitolinus omnium forte primus locandus, conscripta sunt, aspernabimur, et ex numerorum fide, quibus testes incorruptiores non habemus, hujus aetatis chronologiam metiemur. Atque secundum hoc institutum lubet varia hujus aevi capita expendere, non quo sperem, me tenebras omnes depulsurum, sed quo pateat, quid in uniuersa hac causa habeamus certum, et quae difficultates singulis sententiis opponantur.

I. *Caesús est Maximinus V. C. 991 P. X. 238.*

Viri omni laude majores, Onuphrius, Petavius, Calvisius mortem Maximini Octobri anni V. C. 990 P. X. 237 adfixerunt, opportunius alii anno V. C. 991. Abstineo argumentis, quibus posteriori opinionem stabilire conatus est Tillemontius. ^{b)} Numis rem agam.

Istud evincunt numi Romani tam argentei, quam aenei senatusconsulto signati, in quibus notatur trib. potestas IV. Horum fidem in dubium vocaverunt Tillemontius, ^{c)} aliique viri praestantissimi. At existere ejus generis non paucos, testatur vel solum museum Caesareum, in quo non adnumeratis

a) Animadv. I. de trib. pot. p. 149.

b) Nota V. de Maximinum.

c) l. c.

duplicibus servantur quatuor diversi hoc tribunatu inscripti, ut praeteream alios, qui in catalogis adcuratis recitantur. Quantumcunque mature imperium Maximini ordiaris, quod ii, qui plurimum anticipant, saltem a Martio anni V. C. 988 ducunt, et quacunque renovati tribunatus sententia utare, necesse est, Maximini tribunatum IV. in annum V. C. 991 differri. Quam graviter per hunc tribunatum laborent ii, qui eum natali imperii instauratum adferunt, satis ex terminis ejus imperii apparet.

II. *Defectio Gordianorum in Africa non potuit contingere nisi eodem anno V. C. 991. P. X. 238.*

Hanc Petavius, et Calvisius inchoant anno V. C. 989 P. X. 236, Tillemon-tius V. C. 990 P. X. 237. ^{a)} Vtrique sententiae canore adversantur numi. Vocemus in judicium sententiam Tillemon-tii; nam hac eversa multo magis laborabit Petaviana.

Diximus articulo praecedente, exstare numos Maximini cum tribunatu IV., quorum alii notam S. C. praeferunt, eosque sine dubio V. C. 991 percussos. At qua id ratione verum esse posset, si jam anno praecedente defecissent Gordiani? Testibus Herodiano et Capitolino, cum primum Romam nunciatum est, Gordianis in Africa imperium fuisse delatum, continuo Maximinus hostis a senatu judicatus est datis ad omnes praesides literis, ut illam belluam omni vi persequerentur, mox inverfae, et confractae ejus imagines, et in amico's

omni crudelitate saevitum. An patres, qui Maximinum ex S. C. de summa potestate dejecerant, altero senatusconsulto ejus nomine pecuniam feriundam curaverint, quod semper summae potestatis confessio habitum est? An iidem patres, qui mox sua in Gordianos studia signatis horum imagine numis testata fecere, uno eodemque tempore et novis his Augustis, quos conservatores suos agnovere, et judicato patriae hosti monetam dedicaverint? Cui istud unquam sano persuadebitur? Sed venia danda viris illustribus, qui annum praecedentem maluere, quoniam numos Maximini cum tribunatu IV. aut ignoraverunt, aut in dubiorum loco habuerunt.

III. *Caedes Balbini et Pupieni serius non potuit contingere, quam ad summum exeunte Julio V. C. 991 P. X. 238.*

Frequentes habentur numi Gordiani III. in Aegypto signati, qui annum imperii VII., nempe L. Z. offerunt. Cum constet, Gordianum caesum circiter mense Martio V. C. 997, et Aegyptios ut annos civiles, sic et annos imperii die XXIX. Augusti renovare solitos, necesse est, ut annus VII. locum habeat, anno I. Gordiani ante diem XXIX. Augusti V. C. 991 stationem adsignandam, quo die exorto continuo scribi coepit L. B. Hunc Gordiani annum I. eximie fuisse macilentum, colligitur vel ex ipsa raritate numerorum Alexandrinorum, cum tamen aliorum annorum numi abundant.

a) Nota IV. in Maximin,

IV. *Anticephalaeosis rerum anno V. C. 991* mi Alexandrini L. A. usque ad proximum diem XXIX. Augusti.
P. X. 238. secundum praecedentia gestarum.

Maximinus V. C. 990 domitis Germanis in Pannoniam regressus apud Sirmium hiemavit, et omnia ad vernam expeditionem, gentibus in septemtriones positus facturus bellum, comparavit. V. C. 991 sub ipsas Kalendas Ianuar. occoepit trib. potestatem IV. Forte initio Martii Gordiani in Africa imperatores adversus Maximinum salutantur. Afrorum suffragia gestiens laetitia senatus adprobat, et Maximinum hostem iudicat. Die quinto, ex quo motum hunc intellexit Maximinus, Sirmio cum omni exercitu Italiam versus proficisci incipit. a) Factum istud circiter initio Aprilis. Paulo post caesi in Africa a Capelliano Mauretaniae procuratore Gordiani. Senatus in re trepida Balbini et Pupienum Augustos appellat, et huic bellum in Maximinum mandat. Maximini iter, quia improvisum et festinatam, ob rerum necessariorum defectum saepe impeditur, retardante etiam flumine in Aquileiae vicinia, quod solutis verno tempore nivibus late restagnabat. Exeunte Aprili Aquileiae obsidionem orditur Maximinus, Pupienus apud Ravennam exercitum comparat. Nulla propter propugnatorum pertinaciam deditiois spe Maximinus ab irritatis militibus cum filio occiditur forte medio Majo. Pupienus in urbem redit, et cum conlega Balbino remp. procurat. Vterque exeunte circiter Iulio caeditur, Gordianus imperium orditur, unde nu-

En probabilem hujus anni rerum gestarum seriem ex invicto numerorum testimonio, multum quidem abludentem ab ea, quae secundum historicorum testimonia contexitur, ac vel ideo minus perturbatam ac fallacem, quoniam horum quisquilias et pinguem Minervam fastidivimus. Istud certum, optime eam convenire cum eo ordine, quem tenuit Herodianus coaevus scriptor etsi non accuratissimus, tamen ex malis optimus.

Consul.

Maximinum processisse consulem V. C. 989, nimirum ex recepto more proximis Kalendis Ian. electionem consequentibus, numiac fasti docent, quibus quoque testibus hic fuit consulatus primus, nullo antea altero huic terrae filio delato. Serius iterum processisse consulem; ignorat numi fastique; verum his plus vidit oculatissimus Capitolinus, quo teste sic a senatu Pupieno et Balbino fuit adclamatum: *praesentem annum (V. C. 991.) consules vos ornetis, in locum Maximini Gordianus sufficiatur.* Non vacat, hanc quaestionem longius agitare, quam abunde decidunt ejus anni numi, quos attulimus, in quibus praeter trib. potestatem IV. legitur COS. simplex. His si fidem habuisset Tillemontius, necesse non fuisset, hunc Capitolini locum, ut inepte propositum et absurdum, ita suaapte mendacem, explicatione mollire. b) Numos Maximini inscriptos COS. II. sinceri catalogi ignorant.

a) Herodian.

b) Nota V. in Maximin.

Germanicus, Dacicus, Sarmaticus.

Delati Maximino tituli *Germanici* meminimus in numis anni V. C. 989. At nonnulla marmora eum non modo *Germanicum Max.*, sed et *Dacicum Max.*, et *Sarmaticum Max.* appellant addita trib. potestate III., quale videre est apud Gruterum pag. 158 n. 6., et in columna milliaria ante annos non multos prope Essekinum reperta. ^{a)} Ex quo

apparet, Maximinum post victos Germanos anno V. C. 990 dimicasse cum Dacis, et Sarmatis, antequam Sirmium in hiberna concederet. Capitolinus, ^{b)} et Herodianus belli jam tunc cum his gentibus gesti non meminere, sed solum commemorant, habuisse eum in animo, Sarmatas, et omnes Germaniae barbaras nationes Oceano tenus subjugandi.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, et coloniarum.	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

PAVLINA.

De Maximini uxore haec Ammianus Marcellinus; ^{c)} fuisse eam moribus placidis, et saepe ferum maritum ejus mansuetudine ad mitiora consilia fuisse revocatum. Ejus nomen neque ille, neque alter quisquam prodidere. Censent eruditi, ei adjudicandos numos, qui *Paulinae* nomine inscribuntur, etsi certam ejus judicii rationem non teneant. Nimum subtiliter abbas Fontenu Pauli

nam Maximini uxorem statuit propterea, quod eam Maximus Caesar facie multum referat, nempe ut matrem filius. ^{d)} *Vivae* numismata defunt, consecrationis notam omnia hactenus reperia praeferrunt. Ex quo constat, si modo fuit hujus Augusti, vivo marito diem obivisse. Si fides Syncello, et Zonarae, ab ipso Maximino ad mortem adacta est.

* * *

a) Schönwischer *Iter Rom.* per Pann. p. 67. L. Tom. X. p. 467.

b) Cap. 13.

c) L. XIV. sub init.

d) B.

DIVA. PAVLINA. *Caput velatum. ferens.* AR. AE. I. In aliis: *Diana luci-CONSECRATIO. Pavo stans.* AR. In *fera in citis bigis manibus oblongam fa-* aliis: *Pavo Paulinam hastatam sublime ef-* *cem tenens.* AE. I. (Muf. Caef.)

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei II. et III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Commatis peregrini:	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

C. IVLIVS VERVS MAXIMVS.

Filius Maximini, et forte Paulinae secundum ea, quae paullo ante in hujus moneta observavimus. Vt egregia forma, ita moribus improbilissimis fertur fuisse, ac cum primis superbia non ferenda, cujus exempla plura memorat Capitolinus in ejus vita. A patre in imperii aditu dictus Caesar patris in bellis adfecta honorificum etiam nomen Germanici, et secundum marmora etiam Dacici et Sarmatici accepit. ^{a)} Postremum ei factum cum patre commune, saeviente in hunc quoque in Aquileiae obsidione militum furore, ut supra in patre exposuimus. Caesus aliis aetatis anno XXI., aliis XVIII. perhibetur. ^{b)} Capitolinus, qui eum non Maximum, ut numi ac marmora, sed Maximinum dicit, inscitiam suam propalam profitetur.

Desponsata illi fuit *Iunia Fadilla* pro- neptis Antonini teste Capitolino. Ejus

numum edidit celeb. Heyne ex museo Bentinck inscriptum: IVNIA. FADILLA. AVGVSTA. ꝫ PIETAS. AVG. S. C. *Mulier stans cum puello.* AE. I. ^{c)} Eum tanto minus vereor accensere spuriiis, quoniam vir illustris profitetur ipse, numum ipsum sibi nunquam, sed solam tantum picturam fuisse exhibitam.

V. C. 988. 989. P. X. 235. 236.

CAESAR. PRINC. IVVENT.

IVL. VERVS. MAXIMVS. CAES.
vel: C. IVL. VERVS. MAXI-
MVS. CAES. *Caput nudum.*

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* In aliis: PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans inter signa militaria, d. bacillum, s. hastam.* AR. AE. I. II. (Muf. Caef.)

^{a)} Gruter p. 158. 6. (Vol. VII.)

^{b)} Capitolin. in Maximo c. 1.

^{c)} Comment. Gotting. Vol. IV. p. 113.

V. C. 939. P. X. 236 et deinceps.
CAESAR. PRINC. IVVENT. GERM.

MAXIMVS. CAESAR. GERM.

Caput nudum,

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.*
AV. (Mus. Caes.)

Hunc numum solum metallum com-
mendat; nam praeter hunc aureus hu-
jus Caesaris cognitus non est.

Eadem adversa.

*Eadem pars aversa, sed in segmento infe-
riore S. C. AR. (Mus. Caes.)*

Numus singularis propter notam S. C.,
quae, ut constat, a moneta aurea et
argentea abesse constanter solet. Malim
lapsum monetarii suspicari, quam vanis
conjecturis indulgere. Atqui neque spon-
dere velim, numum hunc vere esse ge-
nuinum, etsi eandem notam in nonnul-
lis etiam aureis Diocletiani observarim.

Eadem adversa.

VICTORIA. AVGVSTORVM. S. C.
Typum vide ex simili numo patris. AE. I.
(Vaill.)

MAXIMINVS. ET. MAXIMVS.
AVGVSTI. GERMANICI. *Capit-
ta adversa Maximini laureatum,
Maximi nudum.*

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. etc. AE.
max. mod. (Mus. Caes.)

Illustre hoc cimelium jam descripsi in
moneta patris. In hoc Maximus nonnisi per
confortium cum patre dicitur Augustus,
quo ipse honore ornatus nunquam fuit,

ut vel ex praesente numo apparet, in quo
capite nudo proponitur. Sic et in numo
Cibyrae Phrygiae: AT. K. F. I. OTH. MA-
ZEIMEINOC. K. F. I. OTH. MAZIMOC.
KAICAP. CEBB., etsi et CEBB. utrum-
que complectatur; tamen solus pater
est capite laureato, filius, quia Caesar
tantum fuit, nudo. Quod si in binis nu-
mis musei Caesarei Magnesiae Ioniae,
et Phocaeae signatus laureato est capite,
istud Augustum non arguit, nam et in
his cum hoc ipso ornamento dicitur tan-
tum KAICAP., atque etsi demus, fuisse
a patre dictum imperatorem, quod tes-
tatur Capitolinus,*) vidimus tamen ex-
emplo Titi, et saepe videbimus alias,
potuisse aliquem esse imperatorem, non
Augustum. Eum tamen recentiores scri-
ptores omnes Augustum dictitavere, non
tam fide historicorum, quam duorum
numorum, quos unus Goltzius vidit,
probavit, promulgavit, at nos, quia
videre similes nemini adhuc concessum,
una cum ipso praecone jure contemni-
mus. Esto ergo Maximus una Caesaris
dignitate contentus, neque se Augustum
existimet, nisi quod hoc cum tempora-
rio honore praefens pater adflavit, cu-
jus exemplum jam vidimus in Diadume-
niano, et deinceps plura videbimus in
Tetrico juniore, Carino, aliisque, ac
praecipue Vol. VIII. in Observatis gen.
sub titulo *Augusti*.

Typus numi alterius exhibet Maxi-
mum, cui adstat Apollo conservatoris
more. Non noverat tum, perfidum hunc
deum vadimonium deserturum. Nam,
ut refert Herodianus, et ex eo Capi-

a) in Maximino.

tolinus, *) Belenus, five Apollo in Aquileiae obfidione pro oppidanis fletit, vi-
susque est a Maximini militibus defuper
pro urbe pugnare.

Numi reliqui: PRINC. IVENTV-
TIS obvii.

PRETIUM.

Commatis Romani :

Aureus in museo Caesareo, forte	•	-	-	-	-	-	unicus.
Argentei	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	.	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini :

Vrbium liberarum et coloniarum	-	-	-	-	-	-	RR.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	RR.

T. QVARTINVS.

Tycum, vel Titum quempiam Capi-
tolinus in Maximino, et Trebellius Pol-
lio in Tyranno XXIX. ab Osrhoenis in
Germania militantibus contra Maximi-
num adclamatum imperatorem tradunt.
Eum Quartinum appellat Herodianus, b)
Quarcinum Mediobarbus. Paulo post
purpura et vita exiit.

Huic Mediobarbus post Stradam nu-
mum argenteum tribuit: DIVO. TITO.

Caput radiatum. X CONSECRATIO. Ara.
Verum satis apparet, eum esse Titi Ves-
pasiiani, et ex eorum numero, qui cir-
cum tempora Treboniaui in honorem
Caesarum consecratorum percussi sunt,
quod jam vidit Valefius. c) Huc si ani-
mum advertisset Apostolus Zeno, non
sibi gratulatus fuisset, sibi hujus tyran-
ni numum, etsi caro emptum, in ma-
nus venisse. d)

GORDIANVS I. AFRICANVS PATER.

Natus ex illustri genere patre Metio
Marullo, matre Vlpia Gordiana, eum-
que cum Herode Attico sanguine jun-
ctum conjicit Olearius. e) Reipublicae

muniis mature admotus magnam a mo-
deratione reliquisque virtutibus famam
est adeptus, praecipue a magnificentia,
et liberalitate, quam in aedilitate per

a) in Maximino c. 22.

b) L. VII. c. 1.°

c) B. L. T. XII. p. 310.

d) Lettere

Tom. II. p. 282.

e) Philostr. vitae Soph. p. 479.

ingentes paternae domus opes edendis muneribus comprobavit. Maximis in urbe magistratibus, et duplici consulatu perfunctus ab Alexandro in Africam proconsule missus est addito filio legato. Ea in provincia cum in omnium esset amoribus, utramque fortunam repentino casu expertus est. Etenim Maximini quidam in Africa procurator, cum ab opulentioribus pecuniam omni acerbitate atque injuriis exigeret, a nobilibus aliquot adolescentibus conspiratione facta occisus est. Gravius hoc facinus cum esset, quam ut a Maximino, cujus satellites petebatur, veniam dignum haberi posset, continuo ad Gordianum, qui Tysdri tum agebat, advolant, eumque reluctantem, et octogesimum aetatis annum praetexentem per vim purpura amiciunt, et una cum filio Augustum proclamant circiter initio Martii V. C. 991, ut supra in Maximino verisimile dixi. Ea res non modo ab universa provincia, sed statim a senatu quoque, et universa urbe odio Maximini gratanter

accepta, factumque senatusconsultum, quo abrogatum tyranno imperium, et maturatus in Africa honos Gordiano utriusque confirmatus est. At non diu supremo honore perfrui novis Augustis licuit. Nam Capellianus Mauretaniae procurator iratus Gordiano, quod successorem sibi miserat, cum magna militum manu Carthaginem advolat. Quare audita Gordianus, cum imparem se tantis resistendo copiis videret, ne atrociora ab hoste pateretur, laqueo se suspendit, ipso quoque filio in tumultu, et promiscua multitudine caeso, postquam, ut colligi potest, mensem unum ac dimidium in principatus imagine eminuissent. Caesorum desiderium, qua potuit ratione mitigavit senatus, utrumque inter divos referendo.

Vxor *Fabia Orestilla* Antonini proneptis. ^{a)} Ejus numi defunt.

Prolis: *Gordianus II.* in imperio conlega, de quo proxime. *Metia Faustina* nupta Iunio Balbo consulari. ^{b)}

GORDIANVS II. AFRICANVS FILIVS.

Gordiani superioris ex Fabia Orestilla filius. Ejus liberalem formam, literarum studia, et praeclaram indolem collaudat Capitolinus, etsi vitam nimium delicatam, et mulierum amores carpat, ut qui cum concubinis XXII. consuevisset, sic ut temporis sui Priamus per ludibrium diceretur. Quaesturam sub Elagabalo, praeturam et consulatum sub Alexandro meruit. Ab hoc legatus patri proconsuli in

Africam misso additus eo, quo in patre exposuimus, modo imperium ibi, necemque reperit, cum annum ageret sextum et quadragesimum. ^{c)}

Vxor incerta.

Filius *Gordianus III.* Augustus. Atque hos tres Gordianos novit historia vera, numique, quibus adeo invitis nonnulli olim antiquarii intrudere Gordianum quempiam quartum, sed quem jam nemo in Caesarum conlegium admittit.

a) Capitolia. c. 17.

b) Capitolin, c. 4.

c) Capitolin. c. 15.

Vide de his copiose disputantem Spanhemium, ^{a)} et Bandurium. ^{b)}

Animadversio

in numos utriusque Gordiani.

Cum utriusque Gordiani numi eandem praeferant capitis epigraphen, et easdem, dempta unica, aversas, solum discrimen, ad utrum singuli pertineant, a capitis peristasi pendet. Observavi post alios, senioris vultum esse nonnihil oblongum, et macilentum, naso modice gibboso, nimirum aevo pinguiora partes exedente, atque secundum hoc verum esse potest, quod ex Vulcatio Terentiano recitat Capitolinus, ^{c)} Gordianum seniore[m] repraesentasse Augusti vultum, nimirum jam in senium vergentis. Contra junioris vultum magis contractum, ob quam causam Pompeji similis a nonnullis habitus fuerit, ut eodem loco refertur, pinguiorem, (nam et ibidem obesi fuisse corporis proditur) fronte recalvastra, forte ob amoris intemperiem. Haec criteria in numis aliis satis sunt luculenta, in aliis difficiliter discrimen, quorum facies pleraque habet Gordiani senioris praeter aetatem nimis juvenilem, quae referre octogenarium nullo pacto potest. Secundum regulam Vaillantii numi inscripti P. M. TR. P. CQS. P. P. ad Gordianum seniore[m] pertinent, quae, ait, inscriptio in Gordiano filio non reperitur. ^{d)} Credo, virum insignem non modo propter oris linearmenta, quae hos numos esse Gordiani senioris persuaferint, in eam

propendisse sententiam, sed etiam, quoniam constante hactenus lege nonnisi Augustus senior, cum duo tresve essent Augusti, pontificatum maximum obiverit. At enim post dies non multos a Gordianorum obitu certum est, binos una fuisse pontifices maximos, Balbinum atque Pupienum, cur idem honos non poterat etiam deferri utrique Gordiano? Ad haec, si hi numi propter additum P. M. adimendi sunt Gordiano juniori, iidem propter additum simplex COS. adimendi erunt seniori; nam teste Capitolino, ut infra in titulo *Consulis* videbimus, senior adhuc privatus processit consul iterum, junior semel; quod si verum, tam parum in Gordiano patre omissus fuisset obitus ejus consulatus duplex, quam parum duplex consulatus Balbini et Pupieni, quem privati obiverunt. Atque haec causa fuit, cur olim in descriptione musei Caesarei suadente praeterea juveniliore vultu numum inscriptum P. M. Gordiano juniori tribuendum putaverim. At postquam secundis curis video, rationem, propter quam Balbinus et Pupienus uno tempore pontifices maximi dicti fuere, non posse valere ad Gordianos, et longiore usu edoctus sum, non semper Capitolini oracula fidem mereri, quae cedere continuo debent, cum vera historiae ratio aliud suadet, veritatis amor profiteri cogit, veram esse Vaillantii sententiam hos numos uni seniori tribuentis, reliquos vero ex descripto supra capitis modo definiendos, quamvis hic non raro dubius sit, quod evenire necesse fuerat,

a) Tom. II. p. 243.

b) Bibl. num. artic. CL. sub Ioanne du Bos.

c) in Gordiano II.

e. 21.

d) Num. praef. T. I. p. 152. edit. Rom.

quia Maximino hoste iudicato deprope-
rabantur Gordianorum numi, neque li-
cebat monetariis veras horum imagines
exprimere, cum plures jam annos Ro-
ma abessent.

Vt Othonis et Pescenii, ita utriusque
etiam Gordiani copiosa habentur numis-
mata a falsariis ad vetus exemplar ef-
fecta, a quorum fraude cum primis ca-
vendum.

Numi Gordiani I.

IMP. C. M. ANT. GORDIA-
NVS. AFR. AVG. *Caput laurea-*
tum.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Vir togatus*
stans d. ramum, s. scipionem, AR. AE. I.
(Mus. Caes.)

Numos cum hae averfa ad unum Gor-
dianum seniore pertinerent, in animad-
versione praecedente dixi

Numi Gordiani I. et II.

Cum reliquorum numorum averfae
utriusque principi aut sint communes, aut
non adversentur, placuit utriusque nu-
mos eodem titulo complecti.

Eadem averfa.

CONCORDIA. AVGG. *Mulier sedens d.*
pateram, s. cornucopiae. AR. (Vaill. Be-
ger in Gord. sen.)

Eadem averfa.

PROVIDENTIA. AVGG. *Mulier stans d.*
bacillum, s. cornucopiae, et simul columnae
innixa, humi globus. AR. AE. I. (Mus.
Caes.)

Eadem averfa.

ROMAE. AETERNAE. *Roma super scū-*
to, aut juxta hoc sedens d. Victoriolam,
s. hastam. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem averfa.

SECVRITAS. AVGG. *Mulier sedens d.*
sceptrum. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem averfa.

VICTORIA. AVGG. *Victoria gradiens,*
AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Ab his numis docemur, non semper
ob victoriam relatum, sed etiam tan-
tum speratam Victoriae typum a mone-
tariis fuisse adhibitum. Gordianis et tem-
pus, et occasio referendae victoriae de-
fuit. Laeti igitur ominis rationem hic
typus habet velut vincendi propediem
Maximini, quem certum erat bellum in
novos Augustos parare.

Eadem averfa.

VIRTVS. AVGG. *Miles galeatus stans d.*
clypeum humi attinget, s. hastam. AR. AE.
I. (Mus. Caes.)

Numi commatis peregrini.

Coloniatarum numi cum Gordianorum
capite nondum comperti, etsi horum u-
num Edessae, sed plus quam suspectum
dederit Sestinius, quem paulo infra sub
Nominibus obiter attingemus, neque *ur-*
bium liberarum dempta Samo, cujus nu-
mum cum capite Gordiani senioris et
typo Fortunae recens repertum ex mu-
seo abbatis d' Ennery recitat cl. Beau-
vais. ^{a)} Si fides Arigonio, habebis ejus-
dem alium signatum Antiochiae Cariae.
Horum defectum suppleant *Alexandrini*,
etsi hi quoque perrari.

a) Hist. abreg. des Emp. T. I. p. 347.

Consul.

Gordianum seniore bis processisse consulem, primum cum Caracalla, deinde Alexandro, disertè refert Capitolinus, ^{a)} quod si verum, necesse est, fuisse consulatus suffectos, nam in factis non memorantur. At in ejus numis simplex tantum consulatus proditur, quo fit, ut dubitare hic quoque de veritate hujus testimonii liceat, ut in praemissa animadversione monui. Filium mature consulata ornatum idem testatur. ^{b)}

Nomina.

Antonius. Cui non stomachum moveat denique, toties atque ad fastidium disputans, et ambigens Capitolinus, fuerintne Gordiani dicti *Antonini*, an *Antonii*? ^{c)} Si pro futilibus suis auctoribus consulisset marmora, ac numos Graecos Gordiani III., in quibus plene scribitur ANTONIVS, facile fuisset verum reperire. Fuerintne ex veterum Antoniorum profapia, iterum alibi suspicatur, ^{d)} at vix cuiquam persuaserit.

Africanus. Ait Vaillantius, nomen Africani Gordianis nequaquam inditum, quod pater Africae praeesset, sed quod originem a Scipione Africano se habere ambo gloriarentur. ^{e)} Miremur, virum eruditum hanc sententiam tanquam certam sequi, cum tamen Capitolinus, ex quo eam excerpserit, ^{f)} nihil decidat, sed varias tantum variorum opiniones proponat, ipse verò disertè alibi adserat,

originem paternam Gordiano a Gracchis fuisse, et si, ut erat auctor minime morosus, neque aspernatus est eorum testimonia, qui eum ab Antoniiis, Antoninis, Pompejo etc. oriundum dixere. Cur non omisis hujus nugis placuit sequi Herodianum coevum, qui loquens de Africanis Gordianos ad imperium vocantibus haec de illis: ^{g)} τῶν δὲ κυρίων αὐτῶν ὀνομασίᾳ προσθεντες ΑΦΡΙΚΑΝΟΝ ἐκαλεσαν ΑΦ' ΕΑΥΤΩΝ, proprio vero ejus nomini AFRICANI nomen A SE addidere. Ergo nomen istud a Gordiano antehac alienum inditum est ab Afris.

ΣΕΜΝΟΣ. In numis Alexandrinis legitur: A. K. M. AN. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. ΣΕΜ. ΑΦΡ. ΕΤ. ΣΕΒ. (Mus. Caes. Pellerin Mel. I. p. 215.) Pro ΣΕΜ. non intellecto antiquarii priores, quos inter et Vaillantius, legerunt ΣΕΒ., ut adeo in eadem inscriptione duplex esset ΣΕΒ., quod absurdum ut evitarent alii, ex posterioribus vocibus ΕΤ. ΣΕΒ. unam fecere, nempe ΕΤΣΕΒης, Pius. At enim literae ΣΕΜ. sunt ἀρχαῖαι vocabuli σεμνος, quod Graecis est venerabilis, qualem fuisse Gordianum seniore docet Capitolinus: ^{h)} Hic enim vita venerabilis cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, ceterisque veteribus agens alium, quam merebatur, exitum passus est. Non inique censet Pellerinius, numos Alexandrinos, in quibus dictum ΣΕΜ. legitur, esse Gordiani senioris, nempe cui istud elogium per senium et gravitatem morum accesserit, in quibus omittitur, esse junioris. SEMNOS etiam

a) Cap. 4. b) Cap. 18. c) in Macrobio e. 3. in Gordianis e. 4. 5. 17. d) Cap. 17.
e) Num. praef. T. I. p. 155. edit. Rom. f) in Gordian. e. 9. 17. g) in Maximino.
h) in Gordian, c. 7.

appellatur Caracalla in numo coloniae Cassandreae, ^{a)} et *CEMνη* est Syedra urbs Ciliciae, ut suo loco dictum, idemque nomen tribuitur concilio seniorum in marmore Oxoniensi CLXVII. *τω σεμνο-ματω συνεδριω των εν Συμυρη γεροντων.*

ETCεης, *Pius*, dicitur uterque Gordianus in citatis numis Alexandrinis.

ΚΑΛΟC, *Pulcher*, si fides haberi posset numo Edessae Mesopotamiae, quem promulgavit Sestinus, ^{b)} in quo legitur:

M. A. K. Γ. ΑΦΡ. ΚΑΛΟC. Sed cum ob multas causas videri falsum, jam monui in moneta ejusdem Edessae. At modo, cum certo nuper auctore compererim, numum hunc esse confictum, ut docebo volumine postremo in *Addendis ad Tomi III. pag. 510*, omnis tollitur suspicio arcessitae a principe Romano laudis, quae vel mulierem in monumento publico, et adeo serio dedeceret.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	O.
Nullum genuinum ex hoc metallo sibi cognitum contra Bergerum testatur Vaillantius. ^{c)} Subinde ille aureum suum Gordiani senioris numum adversus Vaillantium tuetur, ^{d)} et continuo aureum alium Gordiani junioris addit. ^{e)} Senioris alium edidit Khellius ex museo Vindobonensi Franciano, ^{f)} sed qui spurius certe est, ut ipse <i>αυτοπηης</i> testari possum.								
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Horum unum majoris molis ex museo com. Ariosii edidit Khellius, ^{g)} sed quem confidenter inter spurios locandum putavi.								
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei II. et III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aeneos III. formae, etsi summae raritatis, exflare tamen testatur cl. Beauvais. ^{h)} Non credo, ab eo intelligi numos S. C. notatos, quales inde ab Antonino Pio usque ad Decium non habentur. Si sunt animae subaeratorum, ab argenteorum classe non sunt separandi.								

Commatis peregrini:

Urbium liberarum. Vide dicta supra in numis commatis peregrini.

Coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	O.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	RR.

^{a)} Wilde tab. XX. ^{b)} Lettere T. IV. p. 130.
^{d)} Thef. Brand. T. II. p. 720. ^{e)} l. c. p. 722.
^{h)} Hist. abr. T. I. p. 374.

^{c)} Num. praef. T. II. p. 295. ed. Rom.
^{f)} Supplem. Vaill. p. 154. ^{g)} l. c.

BALBINVS ET PVPIENVS.

Audito Romae Gordianorum in Africa interitu, et Maximino cum valido exercitu Italiae imminente senatus trepidus in templum Iovis Capitolini advolat, novoque exemplo duos Augustos aequatâ potestate creat Claudium Balbinum, et Maximum Pupienum. Erat ille genere nobilissimus, iterumque consul, et multarum antea provinciarum rector, ac praeter vetustam profapiam (nam genus ducere a Cornelio Balbo Theophane credebatur, qui per Pompeium M. civitatem meruerat) a moderatione, sanctimonia vitae, facundia, tum et opibus domesticis, et rerum forensium scientia commendatus. At Pupieno nullus imaginum splendor, verum infimo loco natus per militiae laudem crevit, quo nomine summos in rep. magistratus, atque ipsum etiam consulatum est adeptus. Ceterum per incorruptos mores, et innatam severitatem populo amatus aequè, ac formidatus. Vulgato senatus iudicio non quievit populus, dum Gordianus puer senioris nepos (tantus erat ejus in Gordianos adfectus) Caesaris nomine insigniretur. Quo facto Pupienus ad bellum Maximino faciendum egressus Balbino ad urbem remanente, gravesque seditiones, quae milites inter ac populum exortae fuerant, perpeffo. Caeso inter haec apud Aquileiam Maximino Pupienus, qui ad parandum bellum Ravennae hactenus resistit, reversus in urbem, et incredibili laetitia a conlega Balbino, patribusque, ac populo exceptus est. At non multo

(Vol. VII.)

post milites aegri, quod novi Augusti non a se, sed senatu lecti essent, cum neque ipsi inter se satis conspirarent, capta occasione ludorum Capitolinorum ambos omni prius contumelia adfectos interficiunt V. C. 991 exeunte Iulio, postquam imperium in mensem tertium tenuere, ut supra in Maximino verisimile dixi. Vide Herodianum, et Capitolinum.

Numi BALBINI.

V. C. 991 P. X. 238^o.

• TR. P. COS. II. P. M. P. P.

An. Pio, Pontiano Proculo cos.

- A. IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS. AVG. *Caput radiatum in AR. maj. mod. et AE. II.*
- B. IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS. AVG. *Caput laureatum in AR. min. mod. et AE. I.*
- C. IMP. C. D. CAEL. BALBINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

*
*
*
Vt lit. A. et B.

AMOR. MVTVVS. AVGG *Duae dexterarum junctae. AV. (Beger Thef. Brand. T. II. p. 723, sed cujus mihi suspecta fides.) AR. (Vaill.)*

Eadem aduersa.

CARITAS. MVTVA. AVGG. *Duae dexterarum junctae. AR. (Vaill.)*

Eadem aduersa.

FIDES. MVTVA. AVGG. *Duae dexterarum junctae. AR. (Mus. Caes.)*

Eadem aduersa.

PIETAS. MVTVA. AVGG. *Duae dexterarum junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Communes hi typi, ut omnes alii, utrique Augusto, sed *Amor et Caritas* perrari sunt in Balbino, ut *Fides et Pietas* in Pupieno. Optandum sane fuerat, ut mutuus hic amor perpetuo utrinque constitisset, quem principio sincerum, sublato subinde a Maximino metu mutua suspicio, ad extremum utrique fatalis, inquinavit.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGVSTORVM. *Liberalitas flans.* AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.) In aliis: *Balbinus, Pupienus, Gordianus Caesar congiario praesidentes.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PATRES. SENATVS. *Duae dexterarum junctae.* AR. (Vaill.)

Rarissima averfa in Balbino, etsi obvia in Pupieno. Uterque a senatu electus se se *Patrem Senatus* profitetur, et hoc typo perpetuam cum hoc concordiam spondet. Iam Commodus in numis dicitur PATER SENATVS, quos vide ad annum V. C. 940.

Vt lit. C. et B.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. et A.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AV. (Vaill.) AE. I. II. (Mus. Caes.)

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum usque modo repertum tantum Mileti, Tarfi, Thessalorum,

(Vaill. Theupoli.) et Siphni. (Arigoni.) *Colontiarum* numi desiderantur. Sed habentur *Alexandrini* inscripti L. A., iique perrari.

Numi PVPIENI.

Idem cum Balbino tituli.

Pupieni numismata, ut altius dixi, communes cum Balbino averfas habent, nisi quod aliae in hoc ratios sunt, aliae in alio magis obviae. Quare necesse non est, ea in Pupieno rursus describere, demptis duobus, quorum unum in Balbini moneta ignotum, alterum propter historiam commemorandum.

A. IMP. CAES. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput radiatum in AR. maj. mod. et AE. II.*

B. IMP. CAES. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput laureatum in AR. min. mod. et AE. I.*

C. IMP. C. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR.*

D. IMP. CAES. PVPIEN. MAXIMVS. AVG. *Caput laureatum in AR.*

E. IMP. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput laureatum in AR.* (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

BALBINVS. AVG. GORDIANVS. CAES. *Capita adversa, Balbini laureatum, Gordiani radiatum.* AR. (Mus. Caes.)

Illustris numus, quae trium eodem tempore imperantium capita sistit. Eadem visuntur etiam in numo Mileti. *) Gord-

*) Pellerin Rec. III. p. 237.

diani, etſi Caefaris, caput radiatum ta-
men eſt, quo cultu Diadumenianus quo-
que in nonnullis numis comparet.

*Vt lit. * A. et C. **

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *variis ty-
pis.* AV. AR. AE. I. II. (Muſ. Caef.)

Memorandi hi numi propter COS. II.
de quo infra ſub titulo *Conſul.*

Numi commatis peregrini.

Aliquot item *urbium liberarum* habe-
mus numos, inter quos eximius is, qui
ſignatus eſt apud Aegas Ciliciae cum an-
no epochae CIAΔ, qui incipit in autumnō
V. C. 990. *Coloniae* unius, nempe Tyri,
numum protulit Pellerinius, *) *Alexan-
drini* admodum rari ſunt, quorum nul-
lus cognitus fuit Beauvaiſio. Duo ſunt
in muſeo Caefareo, plures alios repe-
rit cl. Zoega.

Nomina.

BALBINI. *Decimus Caelius Balbinus.*
In inſigni Alexandrino muſei Caefarei:
A. K. ΔEK. K. AN. BAABINOC. CEB.
Nomen AN. aenigma eſt, quod an ex-
plendum ſit legendo *Annus*, vel *Anto-
ninus*, vel aliter, ab aliis edoceri cupio.

PVPIENI. *M. Clodius Pupienus Ma-
ximus*, numis perſpicue docentibus tam
Latinis, quos vidimus, quam Graecis,
in quibus M. ΠΟΥΠΗ. ΜΑΞΙΜΟC. in
numo Siphni, (Theupoli) et ſimiliter in
Alexandrinis. Capitolinus, cum in aliis
ſcriptoribus Maximum, in aliis Pupie-

num adverſus Maximinum bellaffe lege-
ret, mire perturbatur, et neſcire ſe pro-
tetur, unde error hic natus ſit, *nifi for-
te*, ait, *idem eſt Pupienus, qui et Maxi-
mus.* Quod ideo teſtatum poſui, ne quis
*me hoc neſciſſe crederet, quod revera ma-
gnum ſuporem, ac miraculum creat.* ^{b)} Idem
dubium renovat in Maximo et Balbino. ^{c)}
Tandem ſibi *abolitum ſuporem* gratula-
tur, cum legeret in Fortunatiano, Pu-
pienum dictum nomine ſuo, cognomine
vero paterno Maximum. Dubitare in re
obvia potuiſſe hominem, qui in Con-
ſtantini Aug. gratiam vitas imperatorum
ſcripſit, iſtud *reveram magnam ſuporem ac
miraculum creat.*

Trib. poteſtas.

Recitatur in muſeo Farnesiano aeneus
I. formae, et a Mediobarbo argenteus,
in quibus Balbino conſertur trib. pote-
ſtas II., qui adeo favent eorum ſenten-
tiae, qui imperaſſe illum cum conlega
annum unum, quin et duos adſeruere.
At jam ſupra in Maximino probavimus,
tres circiter meſes, neque amplius, ho-
rum duraſſe imperium. Quare praefat,
hos numos aut ſpurios, aut male lectos
ſuſpicari. Certe mihi ſimiles videre non-
dum licuit.

Conſul.

Balbinum in numis dici conſulem II.,
nequaquam mirum, nam bis eum pro-
ceſſiſſe revera teſtantur Herodianus, et
Capitolinus. Sed et Pupienus in numis

a) Rec. II. p. V.

b) in Maximino jun, cap. ult.

c) Cap. 16.

obviis dicitur COS. II., cum tamen Capitolinus ei non nisi simplicem consulatum tribuat. *) Et vero si bis processisset, eum honorem commemorasset sane Herodianus, quem non reticuit in Balbino. Tamen quis non videt, potio-rem esse numerorum auctoritatem, quam utriusque historici.

Pontifex maximus.

Hactenus, cum duo vel tres una essent Augusti, is tantum erat pontifex maximus, qui dignitate praestabat, reliquis inferiorum sacerdotiorum honore

contentis. En novum in Balbino et Pupieno exemplum, quorum utrumque pontificatu maximo fuisse insignem comprobant numi. Eum in ambos collatum refert etiam Capitolinus, b) etsi nihil de infracto more vetere praecipiat. Dubitari nequit, istud patribus visum, ut aequata utrinque tam potestate, quam dignitate major in utroque animorum esset consensus, quam invidia facile potuisset corrumpere. Sed de novo hoc geminati in utroque hujus honoris instituto agemus plura in tractatu de Pontifice maximo.

PRETIUM numerum BALBINI.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	R.
Aenei I. formae	R.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini, ut dictum altius.

PRETIUM numerum PVPIENI.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	R.
Aenei I. formae	R.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini, ut dictum.

a) Cap. 15.

b) Cap. 8.

M. ANTONIVS GORDIANVS III.

Gordiani senioris ex filio Gordiano juniore, aut secundum alios ex filia nepos. De anno, quo natus est, non satis constat, sed natalem XIII. Kal. Febr. evincunt bina Kalendaria apud Bucherum. *) Vtroque Gordiano V. C. 991 violenta nece in Africa magno urbis luctu extincto, suffectisque in eorum locum a senatu Balbino et Pupieno, cum populus Pupieni severitatem pertimesceret, et per incredibile in Gordianos adfectum, qui in causa reip. a Maximino atrociter vexatae vitam abjecere, ex horum gente principem mallet, obsidere patres in Capitolio non desistit, dum arcessitus domo Gordianus puer, quem alii tum undecim, alii tredecim, qui plurimum, sedecim annos natum dixerent, positusque in concione, Caesar appellaretur.

V. C. 991. P. X. 238.

CAESAR. PRINC. IVVENT.

An. Pio, Pontiano Proculo cos.

Pupienus ad bellum adversus Maximinum exit, Balbinus et Gordianus Romae resistunt. Orta ingente inter praetorianos ac populum seditione sublato in altum Gordiano puero, et utrisque ostentato mitigantur animi, et pax coalescit. Maximinus cum filio Maximo apud Aquileiam interemptus novis Augustis imperium firmat.

M. ANT. GORDIANVS. CAES.

Caput nudum.

PIETAS. AVGG. *Instrumenta pontificalia.*
AR. AE. I. (Mus. Caes.).

Soli hi sunt Gordiani tantum Caesaris numi, si demas numos Balbini et Pupieni cum typo Liberalitatis, cui Gordianus una cum Augustis praesidet, item numum Pupieni, in cuius averfa sunt capita Balbini laureatum, Gordiani radiatum. In antica variorum numorum Graecorum comparent etiam omnium trium imagines. In his omnibus Gordianus constanter tantum *Caesr* appellatur. In numo coloniae Parianae Mythiae dicitur NOBIL. CAE. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

AVGVSTVS TR. P. COS. P. M. P. P.

Balbino et Pupieno a praetorianis circiter exeunte Iulio caesis Gordianus unanimi consensu tam praetorianorum, quam senatus Augustus renunciat.

Ex numis, quorum per mentionem trib. potestatis, et consulatus certa est aetas, apparet, a Gordiano nomina primum *Pii*, deinde *Felicis* in tribunatu II. esse adoptata, quae semel suscepta in numis omissa nunquam fuere, si Liberalitatis numos demas, de quibus infra separatim agetur. Quare numi omnes, qui his titulis carent, ad annum praesentem, et partem sequentis jure pertinent.

A. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. AE. I. II.*

a) Doctr. temp. p. 276.

- B. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput radiatum, in AR. maj. mod. et AE. II.*
- C. IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput laureatum, in Quinar.*

V. C. 992 P. X. 239.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.
Gordiano Aug. M. Acilio Aviola cof.

Nihil certi ad hunc annum memorat historia.

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans d. pileum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Dubium non est, exhiberi liberalitatem aditi imperii causa repraesentatam. At cur inscriptio liberalitatem, typus libertatem ficit? an id factum vitio monetarii? Numus subaeratus non est, ejusque duplex exemplar integerrimum est in museo Caesareo.

Vt lit. B.

P. M. TRI. P. CON. P. P. *Imperator velatus stans ante aram d. pateram, s. scipionem.* AR. (Mus. Caes.)

De singulari hoc numo agetur in tractatu de trib. potestate.

Vt lit. A.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AR. et addito S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Numus memorandus videbatur propter vota decennalia mox ab aditu imperii concepta.

Numi reliqui obviis typis: *Abundantia, Pax, Victoria, Virtus Aug.*

Notandum, nondum mihi inspectum Gordiani numum cum simplice TR. P., etsi copiosissimi existent, qui consequentes tribunatus inscriptos offerunt. Numus quidem loco II. descriptus TRI. P. eloquitur, sed dubia, quae illum premunt, in tractatu de trib. potestate proponam.

- A. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput radiatum in AR. maj. mod.*
- B. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AE. I. II.*

Vt lit. A. et B.

LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Causam hujus congiarii ignoramus.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Processus consularis; aliique typi mire varii in omni metallo et forma.*

Incipit PIVS.

IMP. CAES. GORDIANVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AE. I., radiatum in AR. maj. mod. et AE. II.*

LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas stans.* AV. AR. (Mus. Caes.)⁶

Vide, quae ad liberalitatem proximam observabo.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

In numis reliquis: *Abundantia Aug. — Aequitas Aug. — Virtus Aug.*

Incipit PIVS. FELIX.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator velatus stans ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 993. P. X. 240.

TR. P. III. COS. DES. II. P. M. P. P. PIVS. FELIX.

Sabino II., *Venusto* cos.

Hoc aut sequente anno Sabinianus in Africa imperium invadit, sed a Mauretaniae praefide victus suorum proditione capitur. Gordianus Viminacium coloniam deducit, quae ab hoc anno aeram suam ducit. Vide ejus numos.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AV. AE. I. II. item in AR. soliti moduli, radiatum in AR. maj. mod. Plenum FELIX in AE. max. mod.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *typis variis in omni metallo et forma.*

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Apollo eminudus sedens forma plane muliebri, d. tenens lauri ramum, s. lyrae innixus. In aliis alii typi in omni metallo et forma.*

De singulari phaenomeno iterati sub eodem tribuatu consulatus agetur in tractatu de trib. potestate. Apollo hoc cultu deinceps in Gordiani numis perfrequens. Stolatam iam vidimus in moneta Augusti, nempe Actium. De Apolline, formae ad mulierem accedentis vide in *Description des pierres du Duc d'Orleans T. I. p. 197.*

V. C. 994. P. X. 241.

TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P. PIVS. FEL.

Gordiano Aug. II., *Civica Pompejano* cos.

Sapor Perfarum rex, filius ejus Artaxerxis, qui everlis Arsacidis Parthiam iterum Persis subjecit, ut dictum in imperio Alexandri Severi, omnibus copiis Mesopotamiam Romanis subjectam aggressus non Orientem modo, sed ipsam Italiam terrore implevit. Ingentes Gordiani adversus hostem praepotentem apparatus. Hoc anno Sabiniam Tranquillinam uxorem ducit.

Adversa, ut anno praecedente.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. *Protome Gordiani laureata cum toga picta d. sceptrum cum aquila.*

PONTIFEX. MAX. TR. P. III. COS. II. P. P. *Imperator in quadrigis equorum d. lauri ramum, s. sceptrum cum aquila, pone insistit Victoria, praecedit miles, et figurae aliae cum palmae ramis.* AE. max. mod. dupl. met. (Mus. Albani.)

Illustris hic numus proponit Gordiani processum consularem hoc anno actum. Qui in eo triumphum viderunt, refutabuntur in tractatu de consulibus Caesaribus. Alioqui de hujus anni triumpho nihil constat.

V. C. 995. P. X. 242.

TR. P. V. COS. II. P. M. P. P. PIVS. FEL.

C. Vettio Attico, C. Asinio Praetextato cos.

Gordianus urbe egressus per Moesiam Thraciamque in Asiam, atque inde in Syriam contendit. Annum hunc

definit Capitolinus. ^{a)} Collatis signis faepe victor Saporem Mesopotamia submovet.

Adversa, ut in praecedentibus.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *typis variis in omni metallo et forma.*

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. LIX. AVG. *Protome laureata, TRAIECTVS. AVG. Navis praetoria, in cujus puppi sedet imperator adstante turba militum. Navim comitantur tres delphini.* AE. m. m. (Mus. Farnes.) AE. II. (Mus. Caes.)

Ex Thracia in Asiam transivisse Gordianum refert Capitolinus, quod facta commendat typus, nimirum cum Hellespontum trajiceret. Conjicit Tillemontius, his numis indicari posse tractum Euphratis, ^{b)} at laxior navis compages, tum praecipue delphini fluvio adversantur. Tamen ad Euphratem pertinebunt aenei II. formae, quos sic describit Vaillantius: TRAIECTVS. AVG. *Super navigia pons, quem transit imperator paludatus cum militibus praesunte Victoria.* Fluvii facto ex navibus ponte jungebantur. An post Xerxem alius Hellespontum sic junxerit, mihi ignotum.

Liberalitates Gordiani reliquae.

A. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.* LIBERALITAS. AVG. III. *Liberalitas flans.* AR. (Mus. Caes.) *Alii capite laureato, et addito S. C.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

B. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVG. III. *Liberalitas flans.* AR. (Mus. Caes.)

C. *Eadem epigraphe. Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGVSTI. III. S. C. *Imperator congiario praesidens.* AE. I. (Mus. Caes.)

D. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVG. III. *Liberalitas flans.* AR. *Alius capite laureato, et addito S. C.* AE. I. (Mus. Caes.) *In aliq. typus congiarii.* AE. I. (Vaill.)

Quatuor ex numis Gordiani liberalitates cognitatas habemus, quarum omnium neque occasionem, neque tempus satis cognitum habemus. At in his liberalitatum numis inscriptiones capituli negotium in speciem faceffunt. Diximus ad annum V. C. 991, Gordianum non nisi altero imperii anno titulis *Pii Felicis* uti coepisse, eosque in numis annorum confectionem non amplius fuisse omiffos. Revera foli liberalitatis III. numi hanc legem infringunt, in quorum aliis, ut videre est litera A, habetur epigraphe capituli huic aetate conveniens, nimirum nomina *Pii Felicis*, in aliis sub B et C epigraphe, quae primo imperii anno valuit, cum tamen numi liberalitatis II., quos anno 992 exhibuimus, saltem nomen *Pii* jam addant. Nolo propter solos hos numos refingere legem, sed difficultatem ajo elevandam dicendo, liberalitatem III. humorum B et C re ipsa eandem cum II. esse, et a monetariis aliis additam liberalitatem, cui

a) Cap. 26.

b) ad ann. 242. artic. IV.

ipse una cum Balbino et Pupieno praefedit, ut in Balbini numis vidimus, ab aliis eam neglectam, quo modo et Macrini consulatus varie numeratos diximus, quin et liberalitates Caracallae, et Getae.

V. C. 996. P. X. 243.

TR. P. VI. COS. II. P. M. P. P. PIVS.
FEL.

L. Annio Arriano, C. Cervonio Papo cof.

Gordiano ob res belli praeclare gestas triumphus in bigis elephantorum decernitur. Moritur Mithreus praefectus praetorio, Gordiani focer, cujus praeclara consilia secutus juvenis imperator remp. recte, ac feliciter administravit. In ejus locum suffectus Philippus Arabs captus imperandi desiderio, ut invidiam Gordiano conciliaret, derivato perfide aliorum commeatu exercitum adversus principem irritat,

Adversa ut anno 993.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma,*

V. C. 997. P. X. 244.

TR. P. VII. COS. II. P. M. P. P. PIVS.
Peregrino, Aemiliano cof.

Gordianum jam palam militibus exosum Philippus interfici jubet mense Februarii, aut aliquanto serius, de quo vide Belleyum. ^{a)}

Hic fuit exitus Gordiani, cui ad praefantissimi principis dignitatem nihil de-

fuit, nisi vita longior. Studio populi ob avi patrisque merita dictus primum Caesar, subinde Augustus adeo per formae venustatem, et comitatem morum amatus fuit, ut eum senatus militesque filium, populus delicias suas appellaret. Insigne praefantis ac rectae indolis argumentum, quod aetate adeo lubrica non animi impetum, sed Mithreum suum audivit, quo doctiorem, facundiorem, clarioremque belli pacisque consiliis imperium non habuit, quemque non modo praefectum praetorio, sed et soecorum suum ducta ejus filia Tranquillina sibi delegerat. Vt felix erat, quamdiu tanti viri consiliis uti licuit, ita in successore deligendo infelicissimus. Nam dum Philippum barbaro genere ortum, cujus artibus Mithreus ipse periisse credebatur, in defuncti locum suffecit, ea ab homine ingrato passus est, quae in annalibus memoravimus. Defuncto milites sepulcrum apud Circesium castrum in finibus Perfidis constituere, quod adhuc Iuliani aetate a se visum, et longe conspicuum testatur Ammianus Marcellinus. Ejus vitam uberius descripsit Capitolinus,

Vxor Sabinia Tranquillina, de qua infra.

Numi:

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL.

AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Miles gradiens d. hastam, s. clypeum.* AR.
(Mus. Caes. Mediob.)

Eadem epigraphae. Caput laureatum.

a) B. L. T. LXXXV. p. 636.
(Vol. VII.)

Eadem averſa addito S. C. AE. I. (Ibid.)
IMP. GORDIANVS. PIVS. FE-
LIX. AVG. *Protome laureata.*

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Cir-
cus maximus cum obeliſcis, bigis, luctato-
ribus, militibus, curru triumphali, in quo
imperator comite Victoria.* AE. m. m.
(Muſ. Albani, Theupoli, Buonarroti.)

Eadem adverſa.

VIRTVS. AVGVSTI. TR. POT. VII.
*Imperator armis inſidens coronatur a Vi-
ctoria adſtantibus militibus.* AE. m. m.
(Num. max. mod. Reg. Gall.)

Diligentior fui in deſcribendis hujus
anni numis propter ea, quae in tracta-
ta de trib. poteſtate docebuntur.

Numi vagi
ab anno V. C. 992, quo tituli Pius Felix
invaluere.

A. IMP. GORDIANVS. PIVS. FE-
LIX. AVG. *Caput laureatum in
numis max. mod. ſeu AR. ſeu AE.,
rarius in AV. et AE. II.*

B. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL.
AVG. *Caput laureatum in AV.
AR. AE. I. II., radiatum in AR.
maj. mod., rarius in AR. modu-
li ordinarii, et in AE. II.*

Vt lit. B.

FELICITATEM. PO. R. *Mulier ſtans d.
caduceum, ſ. cornucopiae.* AE. I. (Vaill.)

Ob inſcriptionis modum numus me-
morandus videbatur.

*Vt lit. A. Protome laureata cum
haſta et clypeo.*

FIDES. EXERCITVS. *Imperator palu-
datus ſtans coronatur a Victoria retro ſtan-
e, et ſunul dexteram jungit cum milite,*

in imo duo fluvii ſedentes. AR. m. m. (Muſ.
Caef.)

Fluvii infra poſiti Meſopotamiam, ut
jam in Trajani moneta vidimus, ſigni-
ficant, in qua decerptae lauri. In aliis
Gordiani numis etiam comparet ſol in
quadrigis, quo notatur domitus Oriens.

Antica incerta.

MART. VICTOR. *Figura velata ſubſe-
quentibus duabus aliis ſacrificans eorum
templo, in cujus peristylio ſcriptum: ΘΕΟΥ.
ΟΠΛΟΦΟΡΟΥ, ante imperatorem popa
cum victima.* AE. II. (Vaill.)

Vt lit. A.

VICTORIA. AVGVSTI. *Mars haſtatus
ſtans in templo rotundo, cujus peristylio
inſcriptum: ΘΕΟΣ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ, an-
te illud hinc imperator ad aram ſacrificans
ſtantibus pone duabus figuris aliis, illinc
popa taurum feriente, alio victimam atti-
nente.* AE. m. m. (Muſ. Caef.) In alio
ſimili tantum legitur: ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ.
(de Camps.) In ſimili fertur inſcriptum
peristylio: ΠΕΡΙ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΥ, nullo
ſenſu. (Numi max. mod. reg. Gall.)

Vt lit. B.

VICTORIA. AVG. *Templum, in cujus
fronte: ΝΕΙΚΗ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ, intus
idolum ſtans, hinc imperator ſtans vela-
tus ad aram ſacrificat, pone alia figura,
inde victimarius ſecuri tauro ictum intentat.*
Medaglionicino. (Muſ. M. Ducis, a me
editus in meis Num. vet. p. 313.)

En tres varios Gordiani numos bilin-
gues, nullo, quod ſciam alio in impe-
ratorum moneta exemplo, ſi barbaros
Byzantios infimi aevi demas. Argumen-
tum victorias in Oriente relatas eloqui-
tur, fingiturque in his vel Mars armiger,
vel Victoria armigera. Quae cauſa fu-

erit, cur utrumque numen hoc nomine appellaretur, et cur inscriptione potius Graeca, quam Latina in numis commatis Romani uti placuerit, incertum, ut ejus aevi pleraque alia. Idud certum, illi, qui typum hunc imperavit, quandam antiquitatis imitationem fuisse propositam, quod apparet ex elemento Σ, qua forma illud inde ab Hadriano raro, inde ab Antonino Pio nunquam, quod sciam, in certo monumento vetere occurrit, de quo vide plura Vol. I. p. CIII. in Prolegomenis.

Antica incerta.

MVNIFICENTIA. GORDIANI. AVG. *Amphitheatrum Flaviorum, in quo taurus et elephas committuntur, hinc et illinc duae aedes, ad latus dexterum figura togata stans.* AE. m. m. (Vaill. Albani.)

De vocabulo MVNIFICENTIA, et conjuncto tum typo elephantum jam egi in numis Antonini ad annum V. C. 902. Elephantos, in ludis Circensibus anno V. C. 586 primum progressos scripsit Livius.^{a)} Aucto cum opibus luxu saepius in scenam vocati ut illustre spectaculum, sic aliquoties miserandum dedere. Eorum omnino XVIII. Pompejus M. in suo consulatu II. induxit, quos per ludum caecos laniatosque ipse populus est miseratus, cum illi acceptis vulneribus a pugna desisterent, circumeuntesque, et elatis in altum proboscibus opem viderentur spectatorum implorare, tessarique superos, et commoneere ejus jurisjurandi, quo persuasi ex Africa sese ac-

ciri passi sunt. Haec Dio.^{b)} Addit Plinius haec eadem narrans,^{c)} tanto ad hoc spectaculum dolore exarsisse populum; ut is oblitus imperatoris, ac munificentiae honori suo exquisitae fens universalis confurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur. Et scripsit Cicero, qui spectator adfuit;^{d)} magnam tum admirationem vulgi atque turbae, delectationem nullam exstitisse, quin etiam misericordiam quandam consecutam, atque opinionem ejusmodi, esse quandam illi belluae cum genere humano societatem. Libenter equidem hunc populi animum collaudarem, qui sese vel belluarum aerumnis ac laboribus tangi est passus. Verum invitus ego cogor detrudere has laudes, cum venit in mentem praeposterae in eodem hoc populo misericordiae, qui, dum bestiarum sanguini parci cupit, hominum in arena caedibus animum oculosque pascit. Ad numum revertor. Sifit hic amphitheatrum Flaviorum, et intra hoc praeter elephantum taurum quoque, nempe animal utrumque secum commissum, vetus dimicationis genus; nam similem inter utrumque pugnam jam descripsit Martialis.^{e)}

Vt lit. B.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Imperator paludatus stans d. globum, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nondum hactenus vidimus in moneta vetere, titulum principis juventutis cum

a) L. XLIV. c. 18. epif. 1.

b) L. XXXIX. § 28. e) Spectac. epigr. XIX.

c) L. VIII. § 7.

d) ad Famil. L. VII.

Augusteo sociari, et si istud deinceps frequentius, de quo agam latius in tractatu de princ. juv. Singularis hic numus haud ita pridem repertus est, et in museum Caesareum illatus, et certae antiquitatis.

Antica incerta.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens dextera faciem velat.* AR. (Vaill.)

Typum pudicitiae in Augustarum moneta tritum vidimus etiam in moneta Hadriani.

Divus Gordianus.

Inter divos fuisse relatum a senatu et milite, ipso etiam parricida Philippo callide adprobante, refert Capitolinus,^{a)} Eutropius, et Ammianus.^{b)} Numi istud factum non confirmant. Exstat quidem in museo Caesareo numus: IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum.* X CONSECRATIO. *Pavo.* At is luculente est subaeratus, et peccat utraque facie, priorè, quae divi mentione abstinet, posteriorè, quae pavonem cum Augusti consecratione conjungit.

De numis Gordiani aureis barbaris.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELT.

(sic) AVG. *Caput radiatum.*

MLETHRM. PROPVGNATOREN. PII. *Mars gradiens d hastam, s. clypeum.* AV. m. m. adpendens drach. 6. grana 10. (Mus. Caes.) Alius similis drachm. 4. (Mus. olim de France.)

Fabrica rudis tam quod ad typum attinget, quam ad characteres et linguam, caput radiatum, quod in aureis Gordiani insolens, pondus item non modo ab hujus aevi monetae aureae pondere abluens, sed etiam inter ipsos hos numos inaequale abunde comprobatur, numos hos ne quidem in provincia quae iam Romana, nedum in urbe fuisse signatos, sed a barbaris quibusdam imperio finitimis, quibus neque pulcri ratio; neque lex monetaria fuit cognita. Et vero Gotos sive Getas jam Caracallae aetate provincias Rom. incurfasse, ex Spartiano constat. c) Imperantibus Balbino et Pupieno pugnatum a Carpis contra Moesos, et a Scythis eversa Iffrus. d) Ipse Gordianus, cum per Thraciam in Orientem tenderet, dimicavit cum Alanis. e) Fortasse per tumultuariam quandam pacem circa istud tempus agri barbaris in Dacia, sive Moesia, quod subinde frequenter, concessi, atque hi per quandam observantiae, et concordiae speciem hos cum imperantis capite numos percussere. Non parum sententiam hanc juvat, quod id genus numi copiosius in museis provinciarum Austriacarum reperiuntur, nimirum propter viciniam parables. Sanè hic musei Caesarei numus repertus est anno 1713 in Transilvania una cum pluribus aliis barbaris aureis. Confer etiam aureos Philippi senioris ejusdem argumenti.

De numis argenteis maximi moduli.

Gordiano imperante novae rationis numismata frequentius feriri coepere,

a) in Gord. c. 31.
e) Capitolin. c. 26. 34.

b) L. XXIII. c. 5.

c) in Carac. c. 10.

d) Capitolin. c. 16.

nimirum argentea maximae formae eo volumine, et crassitie, qua aenea, probitate argenti varia, duravitque satis per proximos imperatores. Aversaplerumque inscribitur AEQVITAS. AVGVSTI, vel MONETA. AVGVSTI typo *trium mulierum stantium cum bilance et cornucopiae, adstituta ad singularum pedes massa metalli cudendae monetae destinata*, quo de typo jam pauca memoravi Vol. I. Proleg. gen. cap. 1. Cum his aversis sub sequentibus etiam imperatoribus numi maximi moduli, sed toti aenei signati sunt. Argentei hujus formae numi cum aliis aversis rarius occurrunt. Vnum Philippi senioris dedit Vaillantius: VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens.* ^{a)} Observavi, non paucos ex his *Aequitatis*, seu *Monetae* numis sive argenteis, sive aeneis esse deauratos, aut tenuissima auri bractea vestitos, et quidem etiam more emblematum, sic ut paludamentum imperatoris fuerit obductum auro, immunibus reliquis numi partibus. Satis apparet, numos hos propter formam extraordinariam, et artis ostentationem pecuniae rationem non habuisse, sed signatos, ut fervirent liberalitati principum, aut qualicumque alia de causa nobis ignota. Confidenter adferit Vaillantius, ^{b)} id genus numos fuisse percussos in Syria, additque: *Romae numos ex argento maximos non observari signatos, quod hac forsitan moneta non uterentur Romani.* At nimium temere istud statuitur. Enimvero in moneta Augusti, et sequentium imperatorum animadverti, numos argenteos communem modulum excedentes, etsi Latine inscriptos, ta-

men in urbibus Graecis esse signatos; verum istud statuendi causae erant plures, quas tum commemoravi. At hi, de quibus agimus, numi neque spectata inscriptione, neque typo, neque aliorum quidquam peregrini ostentant, sed fabricam urbis aperte profitentur. Aejham principio, hujus formae argenteos inde a Gordiano frequentius cufos. Iam enim ante illum, etsi perpauca, observantur. Quippe Vaillantius memorat unum Severi: VICTORIAE. AVGVSTI. ^{c)} Alius in museo Florentino Mamaeae: AEQVITAS. PVBLICA typo trium monetarum. Duo Maximini in museo Caesareo; AEQVITAS. AVGVSTI eodem typo.

Numi commatis peregrini.

Hujus classis numos tam urbium liberarum, quam coloniartum, et Alexandrinis magna copia superesse singuli catalogi docent, ceterum speciatim de his nihil observandum.

Nomina, ac tituli.

Antonius. Ita hunc quoque Gordianum vocatum, non Antoninum, in Gordianis Africanis disputatum.

Pius; Felix. Quo tempore his titulis uti coeperit, dictum supra ad annum V. C. 991.

De consulatu, trib. potestate, et terminis ejus imperii opportunius agetur in Tractatu de trib. potestate.

^{a)} Num. praef. T. II. p. 316.

^{b)} l. c.

^{c)} Num. praef. T. II. p. 22.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Argentei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei maj. mod. capite radiato	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Argentei soliti moduli capite plerumque laureato	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
<i>Commatis peregrini: ut mox dictum</i>	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

SABINIA TRANQVILLINA.

Misthei praefecti praetorio, cujus laudes in Gordiano peregrimus, filia teste Capitolino, qui tamen nomen disimulat, sed illud prodit Eutropius, quin et copiosi numi Graeci ejus caput cum capite mariti sociantes. Nuptam fuisse V. C. 994, colligitur ex numo Alexandrino musei Caesarei inscripto L. Δ., quem annum sistunt etiam numi Caesareae Cappadociae. Habueritne proles, et quod illi caeso marito fatum, ignoratur.

Numi:

SABINIA. TRANQVILLINA.

AVG. *Hujus caput.*

CONCORDIA. AVGG. *Gordianus togatus stans dexteram jungit cum adstante uxore.* AV. unicus, modo genuinus. (olim in museo de France.) AR. AE. I. (Vail.) AE. II. (Baldini.)

Eadem adversa.

CONCORDIA. AVGG. *Mulier sedens d. pateram, s. duplex cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) AE. I. (Theupoli.)

Eadem adversa.

FELICITAS. TEMPORVM. S. C. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AE. I. (Harduin Hist. Aug.)

Eadem adversa.

PVDICITIA. AVG. S. C. *Mulier sedens d. faciem velat, s. hastam.* AE. I. (Baldini, Theupoli.)

Numi commatis peregrini.

Paucitatem numerorum commatis Romani suppleant peregrini, quorum insignis copia tam urbium liberarum, quam coloniarum, et Alexandrinorum.

Nomina.

Furia. Istud nomen reticent numi Romani, sed non raro usurpant Graeci scripto ΦΟΥΡΙΑ. pro quo nonnunquam corrupte legitur ΦΡ. ΦΡΟ. ΦΡΟΥ., ut videre est apud Haymium, et Pellerinium, Latina quoque marmora constanter praeponunt FVRIA.

Sabinia. Sic nomen istud scriptum legitur in numis Romanis accurate inspectis. Sed CABEINA habent complures numi Graeci, et marmora pleraque, si modo rite lecta, offerunt SABINA. Quae causa fuit, cur Spanhemius dictam potius *Sabinam*, quam *Sabiniam* cen-

ret. ^{a)} At nunc artis nostrae periti numerum Romanorum auctoritate nixi in lectione *Sabinia* acquiescunt. Lego in lapide, quem vulgavit Sponius: ^{b)} C. FVRIO. SABINIO. AQVILAE. TEMESITHEO. PROC. etc. cujus forte filia, aut neptis fuerit Tranquillina, ut colligi potest ex nominibus *Furii Sabinii*. Illud si verisimile est, non minus etiam videatur verisimile, pro *Misitheus*, quo nomine Capitolinus iterum iterumque Gordiani socerum notat, legendum *Timisitheus*, iuvante nonnihil Zosimo, cui is in dignendi casu dicitur *Τιμησιθεος*. ^{c)} Atqui habemus et *Τιμησιθεον* Trapezuntium apud Xenophontem, ^{d)} Cleomenis Spartani fratrem apud Herodotum, ^{e)} et *Timasitheum* Dorice apud Val. Maximum, ^{f)} et Livium. ^{g)} Non me magno pere turbat marmor, quod sic recitat Gruterus: ^{h)}

MISITHEO
 EMINENTI. VIRO
 PARENTI. PRINCIPVM
 PRAEF. PRAETORIO
 ET. TOTIVS. VRBIS
 TVTORI. REIP.
 S. P. Q. R.
 VICEM. REDDIDIT.

Confictam hanc inscriptionem dejerat Harduinus, quia insulsam, quae parentem principum P. R. socerum principis vocet. i) Nequeo iudicium illud refellere auctoritate Capitolini, quo teste Misitheus Gordianum vocavit filium, Gordianus Misitheum patrem. Nam quid proficerem adversus hominem, qui Capitolinum cum sociis scriptoribus tanquam confictum abjicit? Alia mihi causa, cur inscriptionem hanc adulterinam putem. Nimirum translata a falsario in marmor ex Capitolino ipso suspicor, qui eandem iisdem paene verbis recitat.) Ergo si hunc Gordiani generum pro *Misitheo* malimus dictum *Timisitheum*, minuetur invidia nominis, et pro *osore deorum* habebimus nomen magis pium *cultoris deorum*. Enimvero ad nomen tam malignum sic obstupuit Casaubonus, ut exclamare non dubitaret: *quis est vir bonus, qualis hic fuit, qui Misosdes nomen gestare velit? quis qui non abhorreat?* et quod magis mirum, jam ipse in lectionem *Timisitheus* propendebat. ¹⁾ Credam, hanc eum lectionem plane fuisse adprobaturum, si laudatum Sponii marmor sibi jam fuisset cognitum.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aureus, de quo supra, forte	•	•	•	•	•	unicus.
Argentei	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei I. et II. formae.	•	•	•	•	•	RRRR.

a) Tom. II. p. 302. b) Miscell. p. 148. c) in Gord. III. d) de exped. Cyri L. V. e) L. V. c. 72. f) L. I. c. 1. g) L. V. c. 28. h) Pag. 439. 4. i) Hist. Aug. (p. 329. k) in Gord. III, c. 27. l) ad Gord. III. c. 23.

Commais peregrini:

Vrbium liberarum	R.
Coloniaram	RR.
Alexandrini	RR.

M. IVLIVS PHILIPPVS I.

Ex Arabia Trachonitide secundum Victorem, *) ex colonia Bosfra Arabiae propriae secundum Zonaram oriundus, natus patre latronum duce. Variis per gradus militiae muneribus fuisse conspicuum, etsi istud historicorum compendia dissimulent, dubium non est; nam mortuo, et quidem, ut fama tulit, ipsius Philippi fraude, Misitheo praefecto praetorio, cujus praeclaris consiliis Juventus Gordiani regebatur, in ejus locum, ac amplissimam dignitatem evectus est. Quam continuo perfide principem optimum, ac de se tam insignite meritum interfici iusserit, diximus in proximo Gordiano.

V. C. 997. P. X. 244.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Peregrino, Aemiliano cof.

Caeso Gordiano circiter mense Februario, aut aliquanto serius Augustus ab exercitu dicitur adprobante senatu. Filium Philippum Caesarem appellat. Pace cum Sapore Persa facta Romam revertitur. Philopopolin Arabiae condidit. (Victor alter, Zosimus.)

A. IMP. IVL. PHILIPPVS. AVG.

Caput laureatum in AV. AR. AE.

I. II. radiatum in AR. maj. mod.
B. IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS.
 P. F. AVG. P. M. *Caput radiatum in AR.*

C. IMP. IVL. PHILIPPVS. P. F.
 AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

*Vt lit. * A.*

ADVENTVS. AVGG. *Imperator eque pacificatoris habitu.* AR. AE. I. (Muf. Caes.)

CONCORDIA. AVGVSTORVM,
Capita adversa patris laureatum, filii nudum.

ADVENTVS. AVGVSTORVM. *Tres figurae equestres, praest Victoria d. lauream gestans, humi decumbunt duo barbari, sequuntur milites quinque.* AE. m. m. (Vaill.)

Haec antica saepe occurrit in numis hujus et sequentium proxime imperiorum, praecipue ex maximo modulo. Saepe etiam occurrit caput tertium, nempe Otaciliae jugatum cum capite mariti, ut videbimus. Tres equites partis averfae divinandi materiem praebent. Vaillantius tertium ait esse Priscum Philippi fratrem memoratum Zosimo. Verum cum hic referat, Priscum a Philippo, quo securitati suae magis con-

a) in Caesarib.

fuleret, legionibus Syriacis fuisse praefectum, verisimile, eum principio imperii, cum res adhuc intactae essent, in Oriente relictum, neque fratrem in urbem adsecutum. Quid quod non constet, Priscum hunc Caesaris dignitate fuisse ornatum. Quare propter hanc ipsam trium equitum causam, qui praefenti imperio minus quadrant, lubentius adsentior Buonarroto, qui numum plane similem in imperium Valeriani differt, quo tempore principes fuere Valerianus, Gallienus, Saloninus. Vide, quae ad similes numos monebimus in numis vagis Valeriani, tum et Treboniani ad annum V. C. 1005.

* * *
 CONCORDIA. AVGVSTORVM.
Capita jugata Philippì et Otaciliae una cum aduerso nudo filit.

EX. ORACVLO. APOLLINIS. *Templum rotundum, in cuius apice aquila, intus idolum, vel idola tria.* AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill. Albani.)

Vtrum ex oraculo Apollinis acceptaverit imperium, aut templum, quod averfa exhibet, curaverit aedificandum, aut aliud quid praestiterit, incertum, et alio opus Apollinis oraculo. Quidquid erit, sinistrum numus hic omen est eorum sententiae, qui Philippum Christianam religionem professum adseruere, de quo agetur infra. Venutus in suo musei Albani numo idola videt tria, quae censet esse Capitolina, Iovis, Palladis, Iunonis.

* * *
 CONCORDIA. AVGVSTORVM.

Capita aduersa patris laureatum, filii nudum.

LIBERALITAS. AVGG. *Duo imp. congiario praesidentes.* AE. m. m. (Vaill.) In alio, sed ut lit. C. AE. I. (Vaill.) In aliis tantum AVG. typo *Liberalitatis stantis.* AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.)
Vt lit. B.

* PAX. FVNDATA. CVM. PERSIS. *Mulier stans d. ramum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eloquitur numus, quod narrat Zosimus, Philippum mox caeso Gordiano pacem amicitiamque cum Sapore constituisse.

* * *
Vt lit. A.

PIETAS. AVGG. *Capita duo aduersa filii nudum, et Otaciliae.* AR. (Mus. Caes.)
Vt lit. A.

VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra lauream.* AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 998. P. X. 245.

TR. P. II. COS. P. M. P. P.

Philippo Aug., Iunio Titiano cos.

Carpis, populo sive Scythico, sive Gothico, provincias Istro aditas infestantibus, contra eos exit Philippus, et aliquoties victos ad pacem compellit. a) Quo anno coepta haec expeditio, et quamdiu duraverit, non satis constat, certe intra annum hunc, et sequentes binos compingenda. Ex eo bello una cum filio dictus *Germanicus Maximus Carpicus Maximus* (V. numos anni 1001.)

a) Zosimns.
 (Vol. VII.)

- A. IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. m. m.*
- B. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. AE. I. II. radiatum in AR.*

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator paludatus stans d. hastam, circumstantibus tribus, in aliis quatuor figuris militaribus. AE. m. m. (Mus. Caes. M. Ducis, Theup.)*
 In alio: *Vterque Philippus stans paludatus adstantibus tribus praetorianis. (Mus. Albani, de Camps.)*

De numis his, in quibus omissus numerus trib. potestatis, agemus in tractatu de hac dignitate.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator sedens d. globum, s. scipionem. AR. AE. I. (Mus. Caes.)*

V. C. 999. P. X. 246.

TR. P. III. COS. DES. II. P. M. P. P. *Praesente, Albino cof.*

Continuatur haud dubie expeditio Carpica.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. radiatum in AR. et AE. II.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)*

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita jugata laureata utriusque Philippi, adversum tertium Otaciliae.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Typus dubius, seu congiarium, seu proles altimen-*

tarias exhibens. AE. m. m. (Buonarroti Offerv.)

De hoc numo, qui jam ad annum praesentem caput Philippi filii laureatum sistit, agetur infra in hujus moneta.

V. C. 1000. P. X. 247.

TR. P. IV. COS. II. DES. III. P. M. P. P.

Philippo Aug. patre II. Philippo Aug. filio cof.

Anno millesimo urbis conditae Philippus filium Augustum dicit collata trib. potestate. Ab hoc anno Dacia provincia annos suos numerare incipit. Vide hujus numos.

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. II. radiatum in AR.*

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. radiatum in AR.*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. II. *Liberalitas stans. AR. AE. I. (Mus. Caes.)*

Verisimile, congiarium II. ad praesentem annum pertinere, collatum per causam communicati cum filio imperii.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae. AR. AE. I. II. In aliis:*

P. M. TR. III. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae. AR. (Mus. Caes.)*

Omissum in posteriore hoc numo contra morem consulatus numerum docebitur in tractatu de trib. potestate.

Vt lit. B.

VICTORIA. CARPICA. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Numus explicandus ex iis, quae in annalibus ad annum V. C. 998 monui. Harduino hoc bellum gestum non cum Carpis trans Istrum, sed cum Carpis Africae urbecula visum.^{a)} Acute! Multa Dacos a Carporum incursionibus passos confirmat marmor repertum Albae Iuliae Daciae urbe, quod Serapidi posuit G. Valerius A. CARPIS. LIBERTVS. ^{b)} Non satis Gorius aevi hujus historiam consuluit, cum ait, ex hoc marmore nos discere, C. Valerium Serapidis auxilio liberatum fuisse a chira-gra, quae cum manuum articulos, tum carpos intercipit. ^{c)}

V. C. 1001. P. X. 248.

TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.

Philippo Aug. patre III. Philippo Aug. filio II. cos.

Ludos saeculares summa cum magnificentia celebrat.

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. II.*

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum in AR. et AE. II. laureatum in AE. I.*

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita jugata Philippi patris laureatum, et Otaciliae, et aduersum laureatum Philippi filii.*

GERM. MAX. CARPICI. MAX. *infra, III. ET. II. COS. Currus triumphalis, super quo hinc Victoria, inde Mars in aere libratus duobus Augustis currum conscensuris manum porrigunt, humi duo captivi sedentes.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Insigne cimelium, quo docemur, Philippum non modo cum Carpis, de quo jam ex numis constabat, sed et Germanis dimicasse, atque ex utraque victa gente se filiumque *Germanicum Maximum, Carpicum Maximum* fuisse dictos. Vide typum plane geminum in numo Valeriani inscripto PONTIF. MAX.

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. III. *Duo imp. congiario praesidentes.* AR. (Mus. Caes.) AE. I. II. (Vaill.)

Hoc congiarium haud dubie occasione ludorum saecularium est collatum.

PIETAS. AVGVSTORVM. III. ET. II. COS. *Capita aduersa laureata patris et filii.*

MARCIA. OTACILIA. SEVERA. AVG. *Caput Otaciliae.* AE. m. m. (Mus. Pisani.)

Adludit antica ad pietatem Augustorum celebrandis ludis saecularibus impensam.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Ludi saeculares.

Annus rei Romanae millesimus, grande aevum imperii ex tenui initio profe-

^{a)} Hist. Aug.

^{b)} Grut. p. 85, 9.

^{c)} Mus. Florent. T. I. P. 115.

cti, et ad summum fastigium, quo tenere conditio mortalis potest, virtute ac tolerantia enixi. Tam memorabilis fortuna nulli imperio tam liberaliter ac profuse concessa omnibus orbis cogniti gentibus aut servire coactis, aut ad nomen R. trepidare, merebatur omnibus caerimoniis, gratulatione, ac ludorum magnificentia celebrari. Coeperat is annus a parilibus, sive die XXI. Aprilis anni proxime elapsi, qui fuit post Christum natum 247, et exivit eodem die anni praesentis. In ludorum omnis generis copia et ingente apparatu conspirant quidem, qui supersunt, auctores veteres, verum in anno dissentiant, quo celebrati hi ludi. Eorum D. Hieronymus ad annos post Christum 245 et 246 meminit. Orosius et Iornandes constitutos adserunt exacto Philippi triennio, quod revera in annum P. X. 247, seu ipsum annum millesimum cadit. Capitolino acti dicuntur in consulatu Philipporum, a) oratione dubia, nam duobus annis continuis, nempe P. X. 247 et 248 una processere consules. At Caesiodoro consulibus Aemiliano et Aquilino, qui processere anno P. X. 249. Si ludos hos ex nominis lege spectes, celebratos oportuit anno P. X. 247, nimirum anno ipso millenario, atque secundum hanc legem actos eos anno V. C. 800 a Claudio constat. Revera Baronius, aliique nonnulli recentiores eundem annum 247 maluerunt. At plerique chronologi alii annum sequentem 248 praetulere persuasi invito numerum testimonio, quorum nul-

lus anno priore signatus horum solennium mentionem facit, at habemus copiosos, qui cum his ludis consulatum III. Philippi patris, aut II. filii conjungunt, quae sunt certa indicia anni post Christum 248. Ceterum neque Victor adversatur anno annum millenarium consequenti, nam queritur, b) sua aetate post annos mille centesimum consule Philippo excessisse, nullis, uti solet, solennibus frequentatum. At hic Fl. Philippi consulatus cadit in annum V. C. 1101 P. X. 348, quod argumentum jam attulit Tillemontius. c) Ex quo apparet, constituisse Philippum nonnisi exactis annis mille hos ludos peragere. Caesiodorus et Hieronymus testantur, ludos theatrales in Campo Martio celebratos tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, quo docemur; acta tum ea esse, quae ludis saecularibus agenda praescribit Zosimus. d) Capitolinus leones, elephantos, aliasque feras enumerat, quas Gordianus III. ad Persicum suum triumphum reservavit, aut congregavit ipse, sed quas subinde Philippus ludis saecularibus vel dedit, vel occidit. e) Lubet in sequente catalogo numerum saeculi milliarii testium propter argumenti concordiam conjungere etiam numos Philippi jun. et Otaciliae ad eosdem ludos pertinentes.

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG.

Caput laur. Philippi I.

MILIARIVM. SAECVLVM. S. C. *Cippus, cui inscriptum* COS. III. AE, I. II. (Mus. Caes.)

a) in Gordiano III. c. 33.
d) L. II. sub init.

b) in Caesariib. sub Philippo.
e) in Gord. l. c.

c) Nota VI. in Philipp.

Epigraphe et caput Otaciliae.

MILLIARIVM. SAECVLVM. S. C. Cippus. AE. I. II. (Vaill.)

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. Caput laur. Philippi I., in AR., in aeneis ut lit. A.

SAECVLARES. AVGG. Cippus, cui inscriptum COS. III. AR. AE. I. II. (Mus. Caef.)

Epigraphe et caput Otaciliae.

SAECVLARES. AVGG. Cippus. AV. (Vaill.) AE. I. II. (Mus. Caef.)

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput laur. vel radiatum Philippi II.

SAECVLARES. AVGG. S. C. Cippus, cui inscriptum COS. II. AE. I. II. (Mus. Caef.)

Vt lit. B. vel A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVGG. Leo, infra I. AR. In aliis sine I. AE. I. (Mus. Caef.)

Vt lit. B. vel A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVGG. Lupa gemellos lactans, infra II. AR. In aliis sine II. AE. I. (Mus. Caef.)

Vt lit. B. et A. Caput rad. vel laur. Philippi II.

SAECVLARES. AVGG. Capra cornibus sursum erectis, infra III. AR. In aliis sine III. AE. I. (Mus. Caef.)

Epigraphe et caput Otaciliae.

SAECVLARES. AVGG. Hippopotamus, infra IIII. AR. In aliis sine IIII. AE. I. (Mus. Caef.)

Vt lit. A. Caput laureatum Philippi II.

SAECVLARES. AVGG. S. C. Hippopotamus. AE. I. (Vaill.)

Vt lit. B. et A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVG. Cervus, infra V. AR. In aliis sine V. AE. I. (Mus. Caef.)

Vt lit. B. et A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVGG. Capra silvestris cornibus versus tergum inclinatis, infra VI. AR. In aliis sine VI. AE. I. (Mus. Caef.)

Numum aeneum cum epigraphe: SAECVLARIA. SACRA citat Mediobarbus ex unis schedis Pedrusianis; ^{a)} quem adeo aeque confictum suspicor, ac alterum Claudii Aug. cum eadem epigraphe, ut loco suo monui.

* MILLIARIVM in his numis fere constanter scribitur, vix aliquando MILLIARIVM, nullo monetarii errore, nam et mille, et mille scriptum veteribus, ut habet Papirianus apud Calsiodorum, et monumenta veterum non pauca. At nunquam in his numis legitur MILLENARIVM, etsi hanc scripturam obtrufere Occo, et numi Arschtani. Est vero *Miliarium saeculum* saeculum magnum, quod decem ordinaria complectitur, fere ut ait Plautus: ^{b)}

Quin mille annorum perpetuo vivunt ab saeculo ad saeculum.

Saeculum vero istud dicitur *miliarium*, quod mille annos collegit, ut Varroni de R. R. *miliarius grex* dicitur, qui fuit mille capitum, et haud dubie Suetonius porticus Neronis dixit *miliarias*, quod mille passus porrigebantur. ^{c)}

Varia alia in posteriores numos ob-

a) Pag. 347.

b) Mil. Act. IV. ft. II. v. 87.

c) in Nerone c. 31.

servanda. Quae animalia sunt in numis Philippi I., (de argenteis tantum sermo, nam aenei, etsi perpauci, huic legi non se adcommodant) non reperiuntur in numis uxoris et filii, et vicissim. Argentei id genus omnes inscribuntur numeris ab I. usque ad VI., idque lege constante; nam infra leonem semper obserbabis notam I, infra cervum V. etc. Fuere, qui censerent, animalia haec esse eadem, quae per hos ludos in spectaculum exhibita sunt, numeris autem indicari dies, quibus certa quaedam animalia in conspectum emissa fuere. ^{a)} Vtrumque adfertur graves premunt difficultates. Nam si placuisset monetariis in erere numis proposita tum animalia, selegissent haud dubie in typum animalia minus obvia, et quae per insolentiam, et quod longe, et cum discriminem, magnisque sumptibus petenda fuerant, magis hac ludorum celebritate digna fuerant. Sane Capitolinus inter feras a Philippo tum productas memorat elephantos, alces, tigres, leopardos, hyaenas, rhinocerotem, camelopardalos etc. ^{b)} At horum animalium nullum in his numis, sed in eorum locum, si hippopotamum et leonem demas, alia minorum gentium, cervi et caprae, quibus amphitheatra parum illustrantur, sese offerunt. Novi, in horum uno a Spanhemio videri alcem, ^{c)} in aliis a variis hyaenam, verum aut nimium sibi indulgere eruditi hi viri, cum viderent vellent in numis, quae Capitolinus memoriae prodidit, aut numos non satis integros prae oculis habuere. Vt igitur

dem, unum alterumve animal, quod cimelia haec sistant, esse ex eorum genere, quae ludos nobilitarunt, ita vix dederò, idem esse de reliquis iudicium nisi velimus Romulum quoque ac Remum, qui in numis cum nota II. lupae suae beneficio fruuntur, venatui tum fuisse expositos, qui idem typus alteram quoque sententiam adfligit, quae, ut dixi, missus diurnos his numeris indicari statuit. Cui sententiae obstat etiam illud, quod inde sequeretur, ludis his impensos fuisse saltem dies VI., nam tot, ut diximus, numeri in his numis exarantur, quin et numerum X., nescio unde acceptum, nobis obtulit Pagius. ^{d)} At vero ludis saecularibus inde ab eorum exortu dies tantum tres, totidemque noctes fuisse praescriptas, apud auctores omnes legimus, ac privatim de Philippeis his saecularibus ait D. Hieronymus: ^{e)} *Regnantibus Philippis millesimus annus Romanae urbis expletus est, ob quam solennitatem innumerabiles bestiae in Circo magno interfectae, ludique in Campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo pervigilante celebrati. Vnde et recte dixit Ausonius: ^{f)}*

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.
Ex quo colligi potest, etsi hi typi docente inscriptione ad ludos saeculares certo pertineant, aliam tamen illorum esse significationem, praecipue cum videamus, alios typos uni, alios alteri principi ex tribus imperantibus fuisse reservatos. Ad numeros quod attinet, in iis nihil aliud video praeterquam notas monetariorum; nam si animalia statim die-

^{a)} Iobert T. I. p. 147. Pagi Critica Bar. ad ann. Ch. 247 § 10.
^{c)} T. I. p. 197.

^{d)} l. c.

^{e)} Chron. Eusebii.

^{f)} Carm. 336. v. 34.

^{b)} in Gord. III. c. 33

bus missa indicarent, causam non video, cur neglexerint monetarii idem docere in numis aeneis. At docebimus infra, imperante Philippo in moneta argentea coeptos signari numeros et literas solitarias, quas subinde successores cum tanto antiquariorum fastidio multiplicare.

*Vt lit. * B. et A. * Caput in aliis
Philippi I. in aliis Philippi II.*

SAECVLVM. NOVVM. *Templum in aliis
sex, in aliis octo columnarum, intra quod
idolum sedens.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem averfa exstat etiam in numis Etruscillae, Treboniani, et Volusiani.

IMP. CAES. M. IVL. PHILIP-
PVS. AVG. *Caput laureatum Phi-
lippi II. In alio caput patris.*

SAECVLVM NOVVM. *Vterque imperator
velatus ad aram sacrificans adstante
tibicine et quatuor figuris aliis; retro tem-
plum octo columnarum.* AE. m. m. (Vaill.)

V. C. 1002. P. X. 249.

*TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.
M. Aemiliano II., Iunio Aquilino cos.*

Iotapianus in Oriente, P. Carvilius Marinus in Moesia et Pannonia imperium invadunt, sed paullo post morte adficiuntur. Philippus ad sopiendam exercitus Pannonici seditionem Trajanum Decium mittit, quem continuo milites, quo poenam evaderent, Augustum salutant. Adversus eum urbe egressus Philippus praelio apud Veronam inferior cadit, mox filius in urbe a praetorianis in castris interficitur. a) Chronicon Ale-

xandrinum exegisse eum annos vitae XLV adserit, at Zosimus debili eum per aetatem fuisse corpore narrat.

Durasse Philipporum imperium usque ad inchoatum saltem autumnum, probatur primum ex numis Alexandrinis inscriptis L. Z, quos necesse est esse signatos inde a XXIX. Augusti anni praesentis, quo Alexandrinorum annus VII. incepit. Deinde numis coloniae Sinopensis cum capite Philipporum, et anno CCCXIX., quem item signari decuit inito jam autumno, ut patet ex calculo aerae Sinopensis. Scrupulum male auspiciatum chronologis iniecit Froelichius ad contrahendum Philippi imperium ex vulgato per manifestum errorem anno aerae Anazarbensis in numo Decii, de quo vide, quae disputavi in numis Anazarbi Ciliciae. Alia argumenta promoti usque in autumnum imperii ex legum subscriptionibus petita vide apud Tillemontium.

Ergo Philippo perfide principatu potito memor sceleris Nemesis pares vices rependit. Hoc unum peccatum si demas, reliqua ejus vita reprehensione videtur caruisse. Christianum fuisse multi veterum, quos inter et sancti patres existere, memoriae prodiderunt, quod examen cum mei instituti non sit, et abunde agitatedum ab historiae ecclesiasticae scriptoribus, ac cum primis, Tillemontio, ipsi vero numi perpetua falsorum deorum mentione contrarium potius doceant, haec relinquere intacta licebit. Inter divos una cum filio relatum tradit Eutropius, numi tacent.

Vxor *Otacilia*, de qua infra:

a) Zosimus.

Numi:

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG.
Caput radiatum.

P. M. TR. P. VI. COS. P. P. *Leo capite radiato gradiens.* In aliis: *Imperator velatus stans ad aram d. pateram, s. scipionem.* In aliis: *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Mediobarbus, cum numos similes ad hunc annum describit, eorum epigraphen sic refert: P. M. TR. P. VI. COS. III. P. P. Numi musei Caesarei hujus generis copiosi atque integerrimi additum consulatui numerum III. prorsus ignorant. Ergo Mediobarbus, aut auctor, ex quo is hos numos descripsit, permissum sibi putabat, quod gravissimum in nostris studiis peccatum, veterem ac veram numi epigraphen interpolare, ac corrigere. Verum est, fuisse Philippum hoc anno consulem III., at verum est etiam, non raro in Philippi moneta numerum consulatus et trib. potestatis esse omissum, quod olim copiosius docebimus in tractatu de trib. potestate.

Numi vagi:

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG.
Caput laur. in AV. *Quin. et AE. II.* radiatum in AR., raro laureatum.

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. Caput radiatum in AR., laur. in AE. I.

C. IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS.
P. F. AVG. P. M. Caput radiatum in AR.

Vt lit. A. et B.
AETERNITAS. AVGG. *Elephas cum re-
tort.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

AETERNITAS. IMPER. *Sol gradiens d.
elata, s. flagellum.* AR. (Mus. Caes.)

En bina aeternitatis symbola, elephas et sol. Elephas propterea, quoniam longissimi aevi ferebatur, ducentorum aut etiam trecentorum annorum, ut ex Aristotele refert Plinius.^{a)} De sole nihil est, quod memorem iterum post numos Trajani: AET. AVG. consulatus V.

Vt lit. B.

FELICITAS. IMPP. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

NOBILITAS. AVGG. *Mulier stans d. ha-
stam, s. globum, in area G* AR. *Sine
hoc areae signo* AE. I. (Mus. Caes.)

Nobilitatem liberalissime jactaverunt ii, quorum genus ignobile fuit ac sordidum, cujus exemplum in Severo vidimus. Quanquam Philippo aliqua saltem, eaque vera nobilitas praesto fuit, nam Victor alter ejus patrem *nobilissimum latronum ductorem* fuisse refert. Legimus in marmore Gruteri: ^{b)} OB. HONOREM. PHILIPPI. IMPERATORIS. NOBILISS. SEMPER. AVGVSTI. ET. PHILIPPI. CAESARIS. NOBILISSIMI.

Vt lit. A. et B.

TRANQVILLITAS. AVGG. *Mulier stans
d. draconem bipedem, s. hastam, in area B.* AR. *Sine nota* B. AE. I. (Mus. Caes.)

a) L. VIII. § 10.

b) Pag. 272. 9.

Mediobarbus illud, quod mulier dextera praegestat, jam delphinum, jam capricornum dicit. Verum cauda oblonga et sinuata, tum caput praeacutum, quod utramque in numis nitidissimis musei Caesarei luculente apparet, certissimum draconem faciunt, atque ejus formae, qua insignia militaria praefixa conspicimus, de quibus infra, hoc uno discrimine, quod draco numerum binos pedes praetendit, quibus carent dracones in signis militaribus. At novimus immoderatam veterum artificum in fingendis animalibus licentiam, cum haec extra naturam quaesita fuere. Ita et dracones alatos sistunt numi Eleusinis, et passim ii alati sunt, qui Cereris aut Triptolemi currum subivere. Tamen et draconem bipedem video in tabula aenea vetere legioni II. Aug. adstitutum, etsi hunc quoque Buonarrotius commentator capricornum dicat. ^{a)} Praesentis numi draco aenigma offert, quod sic expedire tento. Fuisse dracones apud Romanos insignia cohortium, diserte docet, Vegetius: ^{b)} *Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per singulas cohortes a draconariis feruntur ad praelium.* Eos fuisse intextos vexillis, discimus ex Ammiano solennem Constantii in urbem ingressum describere: *alios purpureis subtegminibus texti circumdedere dracones, hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto flutiles, et ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* Dra-

conum hastis aptatorum saepius meminit Ammianus, et dracones in inepta Gallieni pompa inter signa militaria processisse refert Trebellius. ^{c)} Vide, quae plura de his testimonia etiam ex poetis congestit eruditus le Beau Gallus. ^{d)} Dacis etiam ac Parthis multo ante dracones fuisse pro insignibus praefixos hastis, patet cum ex columna Trajani, tum Luciano. ^{e)} Ergo draco in praesente numo a muliere praegestatus indicare facile potest *tranquillitatem* a cohortium fide ac virtute imperio praestitum. Eadem averfa est etiam in numo rarissimo Taciti eodem haud dubie sensu.

Numi commatis peregrini.

Obvii hujus generis numi tam in urbibus Graecis, quam coloniis signati, nihil tamen privatim de iis videtur commemorandum.

De aureis barbaris Philippis.

PHILIPPVVS. FIVS. AVGG. (sic omnia) *Caput muliebri galeatum alatum.*

ENTFLOICKCSS. *Miles stans d. hastam, f. globum.* AV. bini, quorum unus adpendit aureos nostrates tres cum aliquo excessu, alter nonnihil levior. (Mus. Caes.) Alius gran. 195. (Pellerin Mel. I. p. 161.) Alius gran. 161.) (ibid.) Alius gran. 150. (Mus. olim de France Vindob.)

Aureum barbarum similis naturae

a) Offerr. istor. p. XVII. b) L. II, c. 13. XXXV. p. 302.

(Vol. VII.)

c) de conscrib. hist.

e) in Gallieno c. 8.

d) Mem. B. L. T.

jam sub Gordiano vidimus. Praefens item numi barbari numeros omnes implet, seu fabricam spectes, seu inscriptionis modum, praecipue in parte averfa, cujus sensum verifimile est ne ipsi quidem monetario barbaro fuisse cognitum. Ad haec ejus plagia manifesta sunt; nam typum anticae mutuatus est ex numis consularibus, averfam ex numis Philippi jun. inscriptis: PRINCIPI, IVVENTVTIS. Eandem huic numo esse patriam, quam Gordiani numo, indubitatum videtur; nam praeterquam quod eadem utrique est barbaries, ex eodem etiam tractu proveniunt omnes, nimirum ex Dacia vetere, et regionibus conterminis. Iam in Gordiano monui, quae ratione hi numi a barbaris, qui jam tum impressionem in has terras fecerunt, feriri potuerint. Operae pretium videtur describere hoc loco marmor, quod edidit Muratorius, ^{a)} ex quo varia praefens argumentum contingentia possunt colligi:

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P.
 TRANQVILLITAS. AVGG.
 VIRTVS. AVGG.
 PIETAS. AVGG.
 VIRTVS. AVGG.
 NOBILITAS. AVGG.

in area A. Philippi patris.
 in area B. Philippi patris.
 in area Γ. Philippi filii.
 in area Δ. Otaciliae.
 in area Ε. Philippi patris.
 in area Ϛ. Philippi patris.

Habemus ergo sex priores Graecorum numeros, sic ut postrema nota indubitatum sit epifemon, seu senarius, quae adeo notae Graecae plene respondent memoratis supra notis Latinis ab I item usque VI, et quidem sic, ut, quem admodum numeri I. II. V. VI. sunt tan-

D. M.
 ZIAI. TIATI. FIL.
 DACAE. VXORI
 PIEPORI. REGIS
 COISSTOBOCENSIS
 NATAPORVS. ET
 DRIGISA. AVIAE
 CARISS. B. M. FECER.

Costobocarum, qui Scythis adnumerabantur, aliquoties meminit Ammianus.

Notae solitariae in moneta argentea.

Praeter notas arithmeticas I. II. III. IIII. V. VI., quae occurrunt in argenteis cum epigraphe SAECVLARES. AVGG., de quibus egi ad annum V. C. 1001, observo etiam nunc primum in moneta, sed et hac tantum argentea, literas solitarias, sed, ut intuenti manifestum fiet, Graecas, easque item arithmeticas. En horum numerorum catalogum ex uno museo Caesareo.

tum in numis Philippi senioris, sic et in his tantum numeri Graeci Latinis analogi A. B. Ε. Ϛ, quemadmodum numerus IIII est tantum in numis Otaciliae; sic et in his solum occurrunt Δ, denique quemadmodum numerus III est tantum in numis Philippi filii, sic et in his tan-

a) Pag. 1039. 3.

tum comparet Γ. Quo adeo comprobatur, inanes esse conjecturas, quas, ut supra diximus, eruditi ad explicandam numerorum Latinorum causam attulere. Nunc ergo primum solitariae hae notae, etsi parce, occupare monetam incipiunt, quæ deinceps inferioris aevi numos more examinum infedere. Ceterum nullus in iis sensus reconditus, neque aliud fuerint, quam indicia, quibus monetarii opus suum distinxere.

Nomina.

Germanicus Maximus, Carpicus Maximus. De his vide numos anni V. C. 1001.

Parthicus Maximus. In marmore Toletano apud Gruterum ^{a)} dicitur PART. MAX. Praeterquam quod marmoribus Hispaniensibus exiguam habemus fidem, verisimile etiam visum, perperam lectum esse PART. MAX. pro PONT. MAX., qui honos, quando Augustorum tituli in marmoribus recensentur, negligi non solet. At vulgavit nuper cl. Schönwiesnerus columnam milliariam, quae nunc exstat Budae in arce, cum hoc epigrammate: ^{b)}

IMP. CAES.
M. IVL. PHILIPPO
P. F. INVICTO. AVG.
PARTICO, (sic) MAXIMO
TRIB. POTESTATIS.
P. P. PROCOS.

Nisi forte privatum fuit Pannonum ob-

sequium, Parthici titulum inconsulta curia Romana Philippo decernentium, videtur hoc ornatus elogio non quidem ob victos Parthos, sed ob conclusam cum iis pacem, quam ipsam in numis quoque jactavit, inscriptis: PAX. FVNDA-TA. CVM. PERSIS, quos altius indicavimus. In ejus moneta hic titulus relictur.

De trib. potestate.

De hac, et conjunctis consulatibus agemus in tractatu singulari.

Consul.

Numi commatis R., fasti omnes, aliaque monumenta Philippo non nisi consulatus III. tribuunt, soli Antiocheni, neque exiguo hi numero, omnino IV, inscripto ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΗΑΤΟ. Δ. Atque hos Gallandus in epistola ad Grainvillium, quae exstat in Miscellaneis observationib. crit. novis Tomo IV. p. 275, tanti putat, ut omnibus, quas memoravi, auctoritatibus contemptis sibi permittum putaret, Philippo consulatum IV. adferere. Sin istud, nihil obest, quo minus Diadumeniano quoque consulatus IV. tribuamus, quia in hujus etiam numis Antiochenis, iisque obviis, legitur ΤΗΑΤΟΚ. ΤΟ. Δ, ut taceam infanda alia, quae Antiochenorum hujus aevi tétradrachma promulgant. Vide huc pertinentia etiam in moneta Philippi jun.

a) Pag. 273. 1.

b) Iter per Pannon. P. H. p. 172.

P R E T I V M.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Argentei max. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei formae ordinariae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Omnis generis	-	-	-	-	-	-	-	fere C.
---------------	---	---	---	---	---	---	---	---------

MARCIA OTACILIA SEVERA.

Cognita Philippī senioris uxor cum ex marmoribus, tum numis utriusque commatis. Reliqua ejus incerta, nisi quod Christianam fuisse multis veterum est creditum, de quo vide Tillemon-tium.^{a)}

Proles: *M. Iulius Philippus Aug.* de quo infra. Habuisse et *filiam*, docet Zo-fimus, qui Severianum Philippī gene-rum memorat.^{b)}

Numi:

- A. M. OTACIL. SEVERA. AVG.
Ejus caput in AV., idem super lunula in AR.
- B. MARCIA. OTACIL. SEVERA.
AVG. *Ejus caput in AE. m. m. et AE. I. II. idem super lunula in AR.*
- C. OTACIL. SEVERA. AVG. *Ejus caput in AE. I. II. idem super lunula in AR. et AE. II.*
- D. MARC. OTACIL. SEVERA.

AVG. *Ejus caput super lunula, in AR.*

Vt lit. D.

FECVNDITAS. TEMPORVM. *Mulier humi sedens ramum extendit versus adstantes duos puellos, f. cornucopiae.* AR. (Pellerin Mel. I. p. 193.)

Vt lit. B.

PIETAS. AVGVSTAE. *Mulier sinistra elata stans inter quatuor puellas, quarum unam dextera adprehendit.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

Hoc typo dubium non est indicari puellas alimentarias, de quibus saepe agunt numi Augustarum inde ab Antoino Pio.

Numi, in quorum aversa:

SAECVLARES. AVGG., *recitati jam sunt in numis Philippī I. similis argumenti ad annum V. C. 1001.*

Numi reliqui: CONCORDIA — IV-

a) Tom. III. P. II. p. 562.

b) in Philippe.

NO — PIETAS — PVDICITIA etc.
argumenta trita in moneta Augustarum.

Numi commatis peregrini.

Hujus classis numi, ut mariti, ita Otaciliae quoque, sunt frequentes.

Si Pellerinium audias, dicta fuit CEM-
νη, *Venerabilis*, in numo Alexandrino
perinde ac Gordianus Afr. senior, (Mel.
I. p. 226.) verum hanc sententiam sa-
tis refutavi in tractatu de num. Alexandr.
Certior in his titulus ΜΗΤΗΡ CΤΡΑΡΟΝΕΔΩ,
mater castrorum, ut ibidem dictum.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	••	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	•	C.
Aenei max. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	•	RRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	•	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	•	O.

Commatis peregrini:

Vt dictum.

M. IVL. PHILIPPVS II.

Natus Philippo et Otacilia Augg. Caes-
fo Gordiano a patre Caesar appellatur,
cum annum tum aetatis nonnisi septimum
ageret, si verum est, quod refert Vi-
ctor alter, fuisse duodennem, cum ad
mortem adigeretur.

V. C. 997 — 999. P. X. 244 — 246.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

- A. M. IVL. PHILIPPVS. CAES.
Caput nudum in AV. et Quin. et
AE. I. II. radiatum in AR.
- B. M. IVL. PHILIPPVS. NOBIL.
CAES. Caput nudum in AR. max.
mod. et AE. II.

Vt lit. B.

CONCORDIA AVGVSTORVM. *Capita
adversa Philippi patris, et Otaciliae.* AR.
m. m. (Mus. Caes.)

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENT. *Caesar paludatus
stans d. globum, vel signum militare, s.
hastam.* In omni metallo et forma.

Reliquae averfae obviae, et jam ex
numis patris cognitae.

V. C. 1000. P. X. 247.

AVGVSTVS TR. P. COS. P. M. P. P.

Consul procedit patre conlega consu-
le II. Imperator appellatur collatis om-
nibus Augusti honoribus, ipso etiam pon-
tificatu maximo. Vide infra animadver-
siones.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVGG.

Caput radiatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *Mulier flans d. caduceum, f. cornucopiae.* AR. (Mus. Caef.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Imperator sedens d. globum; f. parazonium.* AE. I. (Mus. Caef.)

Similes averfarum inscriptiones occurrunt etiam in numis patris anni praesentis. Nemo non videt, Philippo filio neque tribunatum IV., neque consulatum II. hoc anno competere. At ego hoc loco uniuersim monitum volo, de quo agam copiosius in tractatu de trib. potestate, in moneta filii, satis istud quidem perverse, titulos patris fuisse exaratos.

V. C. 1001. P. X. 248.

TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.

Consul II. procedit patre conlega consule III. Ludos saeculares cum patre celebrat.

A. IMP. PHILIPPVS. AVGG. *Caput radiatum in AR.*

B. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVGG. *Caput laur. in AE. I. II.*

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. III. *Ambo impp. sedentes d. extenta.* AR. (Mus. Caef.)

Antica incerta.

PONTIFEX. MAX. TR. P. V. COS. III. P. P. *Victoria insidens clypeo f. alium clypeum tropaeo imixum tenens, in clypeo*

VICTORIA. AVGG. AE. m. m. (Mediob.)

Epigraphen averfae ad patrem pertinere, planum est. Ceterum in numo simili gazae Mediceae Vaillantius legit TR. P. IV. COS. II., in eodem Gorius TR. P. V. COS. II. P. P. Turbata omnia.

Vt lit. A. et B.

PRINCIPI. IVVENT. S. C. *Typi varii.* AE.

Tres hujus generis commemorat Mediobarbus, et quidem unum ex museo suo. Iam et Gordianum III. simul Augustum, simul principem iuventutis vidimus.

Numi, in quorum averfa:

SAEVLARES. AVGG. *enarrati etiam sunt in moneta patris ad annum V. C. 1001.*

V. C. 1002. P. X. 249.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

- Patre prope Veronam in pugna adversus Decium caeso ipse paulo post Romae a praetorianis occiditur circa autumnum anno aetatis XII. a)

Delejus indole nihil proditur, nisi fuisse naturam severum ac tristem, sic ut jam inde a quinto aetatis anno nullo cuiusquam commento potuerit ad ridendum permoveri, patremque ludis saecularibus petulantius cachinnantem vultu averfato notaverit, ut refert idem Victor.

Numi:

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVGG. *Caput radiatum.*

a) Victor alter.

P. M. TR. P. VI. COS. P. P. *Leo capite radiato gradiens*. In aliis: *Imperator velatus stans ad aram d. pateram, f. scipionem*. In aliis: *Mulier stans d. caduceum, f. cornucopiae*. AR. (Mus. Caes.)

Easdem averfas in numis patris ad eundem annum descriptas vidimus. Vide de his plura in tractatu de trib. potestate.

Numi vagi.

Sunt hi, ex quo Augustus dictus est, ejusdem cum numis patris argumenti. Quare cum ad historiam nihil amplius conferant, ab his describendis abstinemus.

Numi commatis peregrini.

Vt Philippi patris, ita filii quoque non infrequentes habentur numi huic classi subjecti.

Nomina.

Habuit haec cum patre communia. Vnus Victor alter eum *C. Iulium Saturninum* dictum refert nullo alio adstipulante. Vocatum eum quoque *Germanicum Max.* et *Carpicum Max.*, docet numus, quem in Philippo sen. ad annum 1001. dedi.

Severus, nempe ducto nomine a matre Otacilia *Severa*, dicitur in numis Perge Pamphyliae. ^{a)}

Consul.

Bis processisse consulem, primum V.

C. 1000, deinde 1001, conspirant fasti. Singulare est tetradachmum Antiochenum musei Caesarei.

MAP. IOYAI. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ΚΕ-
CAP. (sic) *Caput radiatum.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. ΤΥΠΑΤΟ. Γ. ΑΝ-
ΤΙΟΧΙΑ. S. C. *Aquila stans.*

Cum Philippus jun. nunquam processerit consul III., certum est, a moneta-rio averfam patris monetae destinatae filii numo fuisse applicatam. Ceterum satis jam vidimus, in ipsis numis Romanis tam consulatus, quam tribunatus patris filio fuisse applicatos. Exstant in museo Caesareo numi similes Philippi patris, et filii jam Augusti omnino tres, in quibus hi palam dicuntur ΤΥΠΑΤΟ. Δ, cum tamen neque pater saepius quam ter processerit. In numero consulatus paterni IV. fuisse peccatum, jam diximus in Philippo patre, translatos deinde in monetam filii typos paternos nil mirum videatur, quando eos hac aetate Antiocheni cum ipsis uxoribus communicaverit, ut dictum in moneta Antiochiae.

Augustus.

Augustum fuisse appellatum anno V. C. 1000, docet tabula aenea Mutinensis, quam copiosius in tractatu de trib. potestate sub Philippo I. describam. Exarata est haec die VII. Ianuarii V. C. 1001, diciturque tum Philippus filius
AVG. P. M. TR. P. II. COS. II.

Ergo secundum rationem iterati tribunatus trib. potestatem non accepit citius anno hunc praecedente, et, quod sequitur, neque Augusti titulum. Etiam in

a) Pellétin.

tabula Neapolitana, quam eodem loco proferam, exeunte eodem anno V. C. 1000 dicitur Augustus. Quo ejus anni die hic illi honos collatus sit, incertum. Exhibet Buonarrotus numum, in quo comparent utriusque Philippi capita, et ambo laureata. Is per epigraphen patris P. M. TR. P. III. COS. P. P. signatus est anno V. C. 999. Ergo sequeretur, Philippum jun. propter laureae honorem jam hoc anno fuisse Augustum.^{a)} At licebit numum numo opponere. Refert Baldinus ex museo Albano numum max. mod., in quo Philippus jun. dicitur M. IVL. PHILIPPVS. NOBIL. CAES. et tamen cum hoc Caesaris vocabulo jungitur caput laureatum.^{b)} Quidquid sit de his numis, qui saepe male lecti, et male promulgati sunt, plurimum tribuendum puto tabulae Mutinensi, quae Philippum nostrum nonnisi anno V. C. 1000 supremam dignitatem adeptum pronunciat. Cum his testimoniis rite conspirant ejus numi Alexandrini cum L. Δ, quorum alii Philippum jun. siliunt capite nudo et sine *imperatoris* nomine, alii lauream addunt, et dictum titulum. Coepit annus IV. exeunte Augusto V. C. 999 exiturus eodem tempore V. C. 1000, ergo intra id temporis dictus est Augustus.

Omnium minime in hac causa valere debet iudicium provinciarum remotiorum. Exstat in museo Caesareo numus coloniae Sinopes, in quo epigraphe: M. IVL. PHILIPPVS. CAES., ejusque caput nudum, et annus CCCXIX, qui incipit in autumno V. C. 1002, quo ipso anni tempore constat interfectum Philip-

pum juniorem, qui tamen jam pridem fuit Augustus. In alio numo provinciae Daciae ejusdem musei eadem est pars adversa, quae in Sinopensi, et ANnus II., qui respondet anno V. C. 1001, quo toto anno Philippus hic absque dubio Augustus jam fuit, ut monumenta omnia adfatim docent. Contra numi Alexandrini Philippum, cum Caesar adhuc esset, dicunt Augustum, scripto nempe M. IOY. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. Κ. CEB., quam eandem perversitatem etiam habes in numis Salonini, cujus sane difficile est rationem reddere, quando hac jam aetate non modo vetera instituta, sed et verae summi honoris significationes persum ivere.

Pontifex maximus.

Pontificem fuisse Philippum nostrum, quam diu Caesar erat, tam analogia ab omnibus hactenus Caesaribus petita, quam numi cum typo instrumentorum pontificalium satis declarant. Verum ex quo dictus est Augustus, eum numi pontificem maximum perinde ac patrem appellant. Quod si quis meis me velit argumentis stringere, nimirum Philippum filium dici in numis P. M., non quod hic revera esset, sed quoniam hujus numis partes aversae ad patrem pertinentes applicatae fuere, appellabo ad tabulam laudatam Neapolitanam. At hanc suspectam vocat Tillemontius, quia in numis aliis, etiam cum Augustus jam esset, dicitur simpliciter PONTIF. ^{c)} Sed enim hi numi Goltziani sunt, et si laborat fides tabulae Neapolitanae,

a) *Observ. ist. p. 289.*

b) *ad Vaill. T. III. p. 191. ed. Rom.*

c) *Nota V. in Philipp.*

an etiam Mutinensem in dubium vocabit? At dempto exemplo Balbini, et Pupieni, ait idem Tillemontius, hactenus uno eodemque tempore nunquam fuere duo pontifices maximi. Verum an non interjecto nonnisi biennio habebantur pontifices maximi Trebonianus pa-

ter, et Volusianus filius? Haec modo monuisse sufficiat, nam evincere conabimur in tractatu de pontifice max., inde a Balbino et Pupieno omnes imperii conlegas Augustos fuisse pontifices maximos.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	- - - - -	RRR.
Argentei	- - - - -	C.
Aenei max. mod.	- - - - -	RRR.
Aenei I. et II. formae	- - - - -	C.
Aenei III. formae	- - - - -	Q.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, et coloniarum	- - - - -	C.
Alexandrini	- - - - -	R.

MARINVS.

Philippo ex bello adversum Carpos reduce Marinus ordinum ductor in Moesia a militibus adclamatus est imperator, at ab iisdem paullo post interemptus. a)

Eum Goltzius ex numo Graeco *P. Carvilium Marium* vocat; at ut numum, ita et *P. Carvili* nomina suspecta facit ipse auctor.

Numi:

ΘΕΩ. ΜΑΡΙΝΩ. *Caput virile nudum, infra quod aquila expansis alis.*

ΦΙΛΙΠΠΙΟΠΟΛΕΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑΣ. S. C.

Roma galeata clypeo insidens d. extensa aequilam expansis alis, cui insunt duo sigilla, f. hastam. AE. I. (Seguin p. 182.)

Alius, sed Roma stans d. pateram, f. hastam, pro pedibus clypeus. AE. I. (Octavius Strada, Theupoli.)

Hos numos esse signatos Philippopoli Thraciae, non Arabiae, ut visum Vailantio, docui post alios in numis dictae Thraciae urbis. b) At cur ea Marini nomine signaverit monetam, eumque coelo dignum putaverit, incertum. Tenuis conjecturas vide apud Spanhemium, c) et Seguinum. d)

a) Zonaras, Zosimus.

b) Vol. II. p. 44.

c) Tom. II. p. 254.

d) Num. sel. p. 182.

PACATIANVS.

Scenici hujus Augusti nulla in veterum commentariis hoc nomine mentio. Solis numis servatam hominis memoriam debemus. Quae ex his ope conjecturarum erui possunt, dicere aggredior. Ante omnia stabilienda est vera anticae lectio.

- A. IMP. TI. CL. MAR. PACATIANVS. AVG. *Caput radiatum.*
 B. IMP. TI. CL. MAR. PACATIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

Vtraque haec epigraphe habetur in numis integerrimis et indubitatae antiquitatis, quorum non paucos per varia musea videre mihi licuit. Quare veniam merebor, si plus tribuo oculis meis, quam qualicumque aliorum aliter legentium auctoritati. Satis constat, eruditionem, quantumvis late conspicuam, non semper a peccato abstrahere. Enimvero quis non miretur, insignem Froelichium^{a)} et Khellium,^{b)} cum numum nitidissimum musti Caesarei ante oculos haberent, potuisse pro luculento IMP. TI. CL. MAR., quod ipsum ex eodem numo jam anno 1726 legerat tel. Apostolus Zeno; *leggessi oltiamente*, ut ipse ait,^{c)} obtrudere epigraphen falsissimam IMP. T. IVL. MAR. Sed video etiam, praesclaris his viris aliorum auctoritatem fuisse fatalem. Nam hunc

errorem intulerunt iidem, qui primi Pacatiani numum vulgaverunt, Morellium intelligo,^{d)} et Chamillardum.^{e)} Hos deinde conferti sequuntur Spanhemius,^{f)} Harduinus,^{g)} Bandurius,^{h)} Bimardus,ⁱ⁾ Baldinus,^{k)} qui, ut horum notitiam numorum, ita et errorem late propagaverunt. Liceat ergo veram lectionem TI. CL. non solum meo testimonio stabilire, sed etiam graviore altero illustris Ennerii Galli, viri cognitae a studiis nostris famae, qui in epistola ad Khellium anno 1772 data, in qua ejus lapsus amice perstringit, quamque penes me habeo, in hanc sententiam scribit: *la legende de ce tyran ne portoit point les pre-noms T. IVL. mais ceux de TI. CL., ainsi que je m'en suis assuré par toutes les médailles de ce prince, qui passent pour indubitables, et vous pouvez être sûr, que celles, où vous ne reconnoîtrez pas les mêmes pré-noms de Tiberius Claudius, sont d'une fabrique moderne. C'est une erreur, que j'ai déjà fait corriger dans plusieurs ouvrages.* Eodem pertinet error Bandurii, qui novum nomen FVLvii ex ejus tyranni numo protulit,^{l)} quem deinde errorem restituit Baldinus.^{m)} Alia nomina vulgavit Baudelotius, cum narrat, in museum regis Galliarum illatum recens fuisse numum cum epigraphe: FL. IVL. PACATIANVS. P. F. AVG.ⁿ⁾

Confirmata vera lectione en numos ipsos:*

a) Cimel. Vindob. p. LXXIV. b) Subplem. ad Vaill. p. 167. c) Lettère di Apost. Zeno T. II. p. 424. d) Specim. p. 110. e) Wolterock Electa p. 350. f) Tom. II. p. 262. g) Hist. Aug. p. 83. h) Tom. I. p. 542. i) ad Job. T. I. p. 194. k) Tom. II. p. 47. l) J. c. m) J. c. n) Util. des voy. T. II. p. 387.

Epigraphe ambigua. Caput radiatum.

CONCORDIA. MILITVM. *Mulier sedens cum patera et duplice cornucopiae.* AR. (Harduin. hist. Aug. p. 835.)

Epigraphe ambigua. Caput radiatum.

FIDES. MILITVM. *Mulier bina vexilla tenens.* AR. (Mus. Tolosan. Mus. d' Ennery p. 358.)

Vt lit. A.

FORTVNA. REDVX. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae, humi rota.* AR. Integerrimus utraque facie in mus. Caes. et alius similis in museo de France olim Vindob.

Vt lit. B.

PAX. AETERNA. *Mulier stans d. oleae ramum, s. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes. et d' Ennery l. c.)

Vides, neque inscriptiones, neque typos, quippe in omnium fere imperatorum saeculi III. moneta obvios, ad Pacatiani historiam quidquam conferre. Restant expendenda variorum iudicia, qui in horum patriam numorum inquirere.

Ex testimonio Ioberti numus Pacatiani, quem edidit Morellius, Parisios delatus est a P. Chamillard S. I. ex montibus Pyrenaeis reduce. Quae causa fuerit, cur habitare eos in partibus Galliae in meridiem positis adlerat Beauvaisius. Confirmare hanc sententiam videtur illud, quod in agro Fuxensi repperitum est dolium testaceum sexaginta numorum millibus refertum, quos inter

duo fuere Pacatiani numi, qui nunc sunt in museo academiae Tolosanae. Bandurius ab amico sese inter confabulandum edoctum profitetur, reperiri eos in ea Galliae parte, quam Campaniam appellant. Id si verum, sequeretur, eos in museis Gallicis frequentius, quam alibi, extare. Ast audio contrarium. Tamen in museis Austriacis plures octo, eosque certae fidei adseruari novi, eorumque tres museum Caesareum exornant. Magnus numerus in hac ejus numorum raritate. Ex ea peritasti, quae in studiis nostris non exigui momenti est, verisimile sit, temporarium Pacatiani imperium in Pannonia, Moesiaye constituisse, quod jam ante me eruditiss nonnullis visum, laboratque non leviter eorum sententia, qui horum numorum Pacatianum esse eundem cum Iotapiano Victoris, aut Papiano Zofimi propter nominum adfinitatem suspicati sunt, ut refert Spanhemius, *) quia his in Oriente delatum fuisse imperium constat.

Reperta verisimili horum numorum patria inquirendum, possitne ulterior quaequam conjectura ex nomine MAR. capi. Istud varie legi posse ipsae variantes antiquariorum opiniones ostendunt. Harduino *MARius*, Morellio et Bimardo *MARcius* legendum videbatur. ^{b)} Chamillardus explet legendo *MARinus*, et existimat, hunc Marinum Pacatianum esse eundem, cui dedicatam supra a Philippopolitis monetam cum inscriptione ΘΕΩ. ΜΑΡΙΝΩ vidimus, quod vero in hac Marini tantum nomen omisis reliquis legatur, istud facile tuetur

a) l. c. b) ll. cc.

exemplis obviis DIVO. PIO — DIVO. VERO — DIVO. MAGNO. etc. Iudicium istud si non plane certum, magnam tamen habet veri speciem; nam, ut diximus, Pacatiani numi in nostro tractu prae terris reliquis frequentius reperiuntur, eorum vero modus spectata tam fabrica, quam literarum forma praeclare conspirat cum numis Philippi ac Decii.

PRETIUM.

Argentei sunt tantum Latine inscripti, et RRR.

SPONSIANVS.

Cum Pacatiano conjungo alium aequè ignotum. Eccum!

IMP. SPONSIANI. *Caput virile imberbe radiatum.*

C. AVG. *Columna, cui insistit statua d. hastam tenens, ad imum columnae excurgunt duae spicae; adstat hinc vir togatus manu incertum quid tenens, inde augur lituum gestans.* AV.

Mira in hoc numo omnia. Imperator Sponsianus omni aëvo ignotus, ejus fabrica semibarbara, pondus, quod solitam monetam auream imperatoriam multum excedit. At aversae non modo epigraphe, sed et typus ad omnes apices totus captus est ex denariis C. Minucii Augurini. Vniversa haec ratio docet, numos hos hominis Romani, qui imperium adfectasset, esse non posse, nam tum adfectasset etiam pecuniae Romanorum, ut in tyrannis omnibus videmus, et suetos ejus aevi typos, non inde a tribus saeculis, et temporibus reipetitos. Animadvertendum etiam, eos reperiri in eo tractu, per quem sese Da-

cia vetus porrexit, quo fit, ut, cum in exteris museis vix reperiantur, minus rari sint in Austriacis; nam eorum duo exempla sunt in museo Caesareo, unum in museo olim de France Vindobonae, in museo Canonorum regularium Ducumburgi Austriae inferioris, unum in Transilvania in museo exc. Baronis de Bruckenthal.

Sunt ergo praesentes numi ex eorum genere, quales ex barbaris incunabulis ortos supra in Gordiano et Philippo seniore recitavimus, in quorum aliquibus est etiam caput galeatum alatum, velut in denariis consularibus. Quare ex male consutis his numis spes nulla adfulget, posse aliquid in historiae commodum erui, quidquid demum barbari eorum auctores capite radiato, quod cognitum imperatoris liteamenta refert, et addita huic epigraphe volebant intelligi. Alibi diximus, ^{a)} quam copiosi numi, aurei et argentei, Graecorum et Romanorum monetam, sed barbaram imitantes in vetere Dacia fere quotidie eru-

^{a)} Vol. IV, p. 177. seq.

antur. Vide etiam iudicium cl. Neumanni, qui praeterea hujus numi iconismum dedit. ^{a)} Addo, utrumque nostrum musei Caesarei numum anno 1713 repertum

fuisse in consortio cum tribus aureis barbaris gentis Plautiae, et laudatis mox barbaris Gordiani et Philippi.

PRETIUM.

Sunt tantum aurei, iique

RRR.

MONITUM.

Aevum ingredior, a quo Anselmus Bandurius imperatorum numos describere exorsus est. Nemo erit, qui non eruditi hujus viri propositum Herculeis humeris dignum et admiretur et vehementer adprobet. At nemo erit etiam, qui non fateatur ultro, in praegrandi hoc opere plurima contineri superflua, et philologiam, propter quam haec studia tractamus, parum juvantia. Nam quorsum tandem molesta, atque ad fastidium recurrens ejusdem numi repetitio exigui discriminis causa, quod nullo detrimento licebat ignorare? Atqui et simile fastidium in vulgandis marmoribus inutilibus tandem etiam pervasit Scipionem Maffei. *Diffiteri quidem nequeo, ait, b) nimium in his rebus quorundam diligentiam procedere, res nihili in lucem publicam proferentium.* Tanto magis mihi, qui non catalogum numerorum veterum, sed doctrinam scribere aggressus sum, permisum putabo, negligere eos numos, qui ad doctrinam nihil conferunt. Tamen cum in omni scientiae genere habeantur multa exigui in speciem momenti, et existere possit ingenium sagax, quod

aurum possit ex his scoriis fecernere, non possumus egregio Bandurio, qui tam arduum sibi laborem imposuerat, non maximas habere gratias. At enim si laudi fuit, neque minutissima in numis neglexisse, non ego reprehendus, si ea deinceps tantum commemoravero, quae arti nostrae proficua esse intellexero, atque istud parciore, quam antehac, dilectu, quia reliqua imperatorum moneta, ut numero est infinita, sic minus frequenter quidquam offert, quod in quamcunque partem sive proficit, sive delectet. Quo in proposito sedulam dabo operam, ne commentarios meos quidquam effugiat, quod valere ad philologiae studia possit, nihilque ejus generis ii, qui in arte nostra veram utilitatem, non otiosa sectantur, a me praetermissum possint conqueri. Monendum denique, me more meo nullam rationem habiturum singularium eorum numerorum, quos Bandurius a se non inspectos, sed ex aliorum catalogorum fide, velut Mediobarbi, operi suo insertos voluit.

a) Numi pop. P. II. p. 139.

b) Mus. Veron. p. 257.

TRAIANVS DECIVS.

Natus Bubaliae Sirmiensium vico. ^{a)} Quibus deinde modis claritatem adeptus sit, non proditur. Cum Moesiae et Pannoniae legiones auctore Marino seditionem moverent, apud Philippum in urbe degebat Decius, gratiofus apud imperatorem et fidei minime suspectae. Quare hunc elegit Philippus, qui motas legiones sedatum iret, in quarum conspectum cum venisset, ab his ipsis, quo poenam evitarent; imperator invitus adclamatum Parendum igitur necessitati cum esset, motis castris in Italiam properat, et collatis prope Veronam cum Philippo signis victor imperium sibi stabilivit. ^{b)}

V. C. 1002. P. X. 249.

TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.
M. Aemiliano II., Iunio Aquilino cof.

Victo, ut dictum, Philippo Augustus agnoscitur saltem inchoato jam autumno. (Vide dicta in Philippo ad hunc annum.) Herennium Etruscum filium mox Caesarem facit, et in Illyrios praemittit. ^{c)}

- A. IMP. TRAIANVS. DECIVS. AVG.
- B. IMP. C. M. Q. TRAIANVS. DECIVS. AVG.
- C. IMP. CAE. TRA. DEC. *vel* DECIVS. AVG.
- D. IMP. CAES. C. MESS. Q. DECIO. TRAI. AVG. *vel* TRAI. Q. DECIO. AVG.

Caput laureatum in AV. Quin. arg. AE. I. II. III. Radiatum in AR. AE. max. mod. AE. II.

Vt lit. A. et B.

ADVENTVS. AVG. Imperator eques pacificatoris habitu. AV. AR. (Mus. Caes.) Signati sunt hi numi, cum victo Philippo urbem intravit.

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. S. C. Decius et Herennius congiario praesidentes. AE. m. m. (Mus. Caes.) Decius solus in suggestu. AE. I. Liberalitas stans. AE. II. (Ibid.)

Vt lit. B.

PRINCIPI. IVVENTVT. Miles stans, a. globum, s. hastam, pro pedibus captivus. AR. (Khell. Supplem.)

Exempla hujus tituli etiam Augustis dati jam vidimus in Gordiano III. et Philippo I.

Vt lit. D.

VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra lauream*. AE. I. II. (Banduri, Mus. Caes.)

V. C. 1003. P. X. 250.

TR. P. II. COS. H. DES. III. P. M. P. P.
Decio Aug. II., Annio Grato cof.

Scythae, quos alii Getas, alii Gothos, appellant, transgressi Danubium (male Zosimo Tanaim) Thraciam atrociter infestant. Adversus eos egressus Decius barbaros tantisper egregie submovet. (Zosim.)

Desunt certi hujus anni numi.

a) Victor uterque.

b) Zosimus.

c) Victor alter.

V. C. 1004 P. X. 251.
 TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.
 Decio Aug. III., Q. Herennio Etrusco
 Caes. cos.

In praelio adversum Gothos apud Abricium Thraciae prodicione Treboniani, ut quibusdam creditum, palude haustus obit ne reperto quidem ad sepulturam cadavere. ^{a)} Eodem praelio et filius Herennius cadit. Factum istud post mensem Octobrem. (Vide tract. de trib. pot.)

Virum fuisse artibus cunctis virtutibusque instructissimum, placidum moribus, et in armis promptissimum tradit Victor alter. Eum etiam omnibus his rebus Philippo longe praefert Zosimus. Ejus insigne, et clarum ad memoriam factum proditur, quod censuram tanto annorum intervallo omissam, atque antehac ab unis fere imperatoribus exercitam revocavit, et senatui restituit. ^{b)} Eum cum filio in divos relatum liberalis in consecrandis imperatoribus Eutropius narrat, at in Christianorum annalibus ob exercitam in hos saevitiam nomen Decii inamabile.

Vxor *Etruscilla*, de qua infra.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum oblongum, s. cornucopiae.* AR.

Numum hunc Bandurius bisextra feriem recitat, in praef. p. 7. et mox post praef. in addend. propterea memoratu dignum, quoniam neglectis Goltzianis unicus est ex omni Decii moneta, qui

trib. potestatem memorat. Sed vel istud ipsum numum suspectum facit. Enimvero tota haec averfa habetur in numis obviis Philippi I. Constat vero etiam, hac aetate, praecipue in argenteis, non raro prioris imperii typos praesenti applicatos. Sic in museo Caesareo exstat numus Herennii, in cujus X SAECVLARES. AVGG. *Capra, infra III.*, qui typus totus ad Philippum II. pertinet. Serius comperi, idem mecum sensisse Bimardum. ^{c)} Fuere, qui adsererent, suppressam trib. potestatis mentionem, quia Decius eam dignitatem populo restituerit, quod certe fallum, quia hunc illi honorem non pauca tribuunt marmora, quae dabimus in tractatu de trib. potestate.

Numi vagi

Vt lit. B.

ABUNDANTIA. AVG. *Mulier ex cornucopiae opes effundens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Averfa propter elegantem abundantiae imaginem spectabilis.

Vt lit. B.

CONCORDIA. AVGG. *Capita hinc Etruscillae, inde jugata Herenni et Hostilianii.* AR. (Banduri.)

Vt lit. B. et D.

DACIA. *Mulier stans d. contum capite asini praefixum.* In aliis: *eadem tenet signum militare.* AV. AR. Q. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

DACIA. FELIX. *Mulier stans d. tenet signum militare.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

^{a)} Victor alter.

^{b)} Trebell, in Valeriano sub init.

^{c)} B. L. T. XII. Mem. p. 404.

Vidimus in Trajani numis DACIA. AVGVST. PROVINCIA Daciam praeferre spicas et signum militare, in numis in ipsa regione inde a Philippo signatis gestare ensen incurvum patrium, quibus omisis in his numis caput luculentum asini ostentat. Quae sit hujus symboli causa, tacentibus veteribus edicere non tento. Nam si allegoria subitus latet, quod nonnulli existimant, tanto certius erroris periculum, quanto laxius allegoriae patent, et odi conjecturarum mare. Pro asini capite cl. Engelius noster in his numis videt caput draconis Dacici conto infixum omisis corpore et cauda vel ob incuriam artificis, vel ob laboris compendium, vel ob spatii in numis angustiam.^{a)} Enimvero constat ex iconibus columnae Trajanae, dracones hastis praefixos Dacis in signa militaria servasse: Libenter huic me sententiae applicarem, quia tum certum quiddam teneremus, neque ad allego-riarum incerta adigeremur. At vero in numis id genus integerrimis tam productae sunt aures, ut de asini capite dubitari non possit. Dedimus in moneta Philippi I. numum inscriptum TRANQVILLITAS. AVGG., in quo mulier stans dextera draconem tenet, qua imagine dixi verisimile videri propositum unum ex draconibus, qui ex conto suspensi apud Romanos aequae ac barbaros praegestari in acie sunt soliti. Hujus caput si conferatur cum eo, quod in praesente numo comparet, continuo utriusque discrimen in oculos incurrit. Si quis hunc typum ad Dacorum velit

religionem vocare, potest conjicere, adludere eum ad asinum Apollinis inter Scythas victimam teste Clemente Alex.^{b)}

Φοῖβος Ἵπερβορείων ὄνων ἐπιτελεῖται ἰσοῖς,
*Phoebus Hyperboreis asinorum delectatur
immolationibus,*

Confer et scholiasten Rindari ad X. Pyth. et Antoninum Liberalem.^{c)}

Dacia in tot Decii numis propterea frequentius memoratur, quoniam ad eam a barbarorum incursionibus vindicandam, quibus tum is tractus misere vexabatur, intentius incubuit. Quare et in epigrammate, quod exstat apud Muratorium,^{d)} dicitur RESTITVTOR. DACIARVM. Epigraphe DACIA. FELIX explicat literas D. F., quae in compluribus Daciae numis vexillo inscriptae leguntur. Numi: DACIA. CAPTA, quos recitat Mediobarbus, aliis, quod sciam, museis sunt ignoti, et, ut suspicor, male lecti.

Vt lit. D.

EXERCITVS. INLVRICVS. S. C. *Mulier stans d. et f. signum militare tenet.*
AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

GENIVS. EXERC. ILLVRICIANI. *Genius stans d. pateram, f. cornucopiae, juxta signum militare; in aliis praeterea ara adstituta.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

GEN. ILLVRICI. *Genius seminudus stans*

^{a)} Comment. de exped. Traj. p. 201.
^{d)} Pag. 1101. 3.

^{b)} Prôt rept. p. 25, edit, Oxon.

^{c)} Metam. c. 20.

d. pateram, f. cornucopiae. AR. AE. I.
(Mus. Caes.)

His addendi sequentes:

Vt lit. A. B. C.

PANNONIAE. *Duae mulieres velatae stantes vultu ab se averso, utraque dexteram attollit, juxta signum militare.* In aliis: *Duae mulieres stantes dexteram attollunt medio inter has signo militari.* In aliis: *Mulier stans d. galeam, f. signum militare.*
AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

En post Daciam memoratum quoque Illyricum, et utramque Pannoniam, superiorem et inferiorem. Causa tanti in has provincias adfectus nequaquam occulta; nam in his adclamatus primum imperator, earum legionum fidei ac virtuti victum debuit Philippum, eas tum a barbarorum incursionibus aut liberavit, aut defendit, et lauros sibi in iis promeruit. Similem averfam vide in numis Iuliani tyranni.

*
*
CONCORDIA. AVG. STORVM.

Capita adversa, Decii radiatum, Etruscillae lunae impositum.

PIETAS. AVG. STORVM. *Capita adversa nuda Herennii et Hostiliani.* AE. m. m. ex dupl. metallo. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

PIETAS. AVGG. *Mercurius stans d. crumenam, f. caduceum.* AR. (Banduri.)

Docet hic numus, Mercurium a Decio, ejusque familia (nam in filiorum moneta haec averfa frequentior) praecipua pietate observatum. Eadem averfa est etiam in numis Numeriani. Mercurium quoque sistunt numi M. Aurelii, sed cum epigrapha RELIG. AVG.

(Vol. VII.) * * *

Vt lit. B.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. velum capiti obducit, f. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Etiam haec averfa existat in numis filiorum, ne forte quis monetarii lapsus suspicetur, cum fere Augustarum tantum numis typus pudicitiae sit proprius. Eo usum quoque Hadrianum vidimus.

Vt lit. A. Caput laureatum.

S. C. *Miles stans d. clypeum, f. hastam.* AE. III.

En redivivos in moneta R. numos III. formae, de quo mox plura.

Vt lit. C.

VICTORIA. GERMANICA. *Imperator eques d. elata praecedente Victoria.* AR. (Mus. Caes.)

Bellum cum Germanis a Decio gestum ex solis his numis constat, historicis autem tacentibus,

Divus Decius.

IMP. TRAIANVS. DECIVS.

AVG. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Ara ignita.* AR. (Tanini.)

Decium fuisse consecratum, scripsit Eutropius, et testaretur etiam numus praefens, nisi suspicio esset male sociatae averfae, quia in antica *Divi* mentio abest, quod suspicatus jam etiam est Taninius.

De numis Decii aeneis.

Novitatem imperante Decio in rem monetariam invectam aut refucitatum veterem me rem numi ipsi loquuntur. Eam primum produnt numi maximae formae,

X x

in quorum antica solita capitis epigraphe, et caput semper radiatum, in averfa :

FELICITAS. SAECVLI. S. C. *Felicitas flans.* (Muf. Caef.)

LIBERALITAS. AVG. S. C. *Typus congiarii.* (Banduri.)

VICTORIA. AVG. *cum vel sine S. C. Victoria gradiens.* (Muf. Caef.)

In moneta Etruscillae:

PVDICITIA. AVG. S. C. *Pudicitia sedens.* (Muf. Caef.)

Sunt omnes hi numi eximia pro hoc aevo arte facti. Istud in illis praeter morem, quod notam S. C. plerique inscriptam habent, quae fere constanter in aliorum maximi moduli numis abest. Ex quo colligimus, ordinariae eos monetae rationem habuisse. Observandi deinde aenei III. formae, quales commatis R. iade ab Antonino Pio, quod norim, cusi non sunt, estque horum unum tantum genus, nempe: *Epigraphe solita. Caput laureatum. X S. C. Miles flans d. clypeum, f. hastam.* Nihil super hoc argumento in hac veterum scriptorum penuria eruimus. Videtur Decius, qui senatui censurae jus restituit, ut ex Trebellio discimus, *) etiam in cudenda moneta plus auctoritatis, aut potestatis senatui indulgisse. Sed et haec potestas cum Decio videtur exspirasse; nam deinceps utriusque generis numi vix amplius habentur. Vnum in Aemiliano commemorat Bandurius.

Numi commatis peregrini.

Iusto numero id genus numi proflant tam urbium liberarum, et coloniarum, quam Alexandrini.

Nomina Decii.

Decurtata Decii in numis nomina ex marmoribus facile explentur, in quibus plene: *C. Messius Quintus Trajanus Decius.* Bandurius Decio praenomen *Cnei*, non *Caii* fuisse statuit, ^{b)} quia in numo Alexandrino, quem citat, ^{c)} legitur A. K. FN. etc. Quare passim in Latinis legit: IMP. CAES. G. etc. Oblitus est sui, cum haec scriberet; nam paullo infra alium numum Graecum recitat inscriptum: ATT. KAI. ΓΑΙ. ΜΕC. etc. ^{d)} in quo certum *Caii* praenomen. Ceterum in omnibus his numis C pro praenomine positum ejusdem omnino est formae, qua idem hoc elementum in vocabulo DECIVS scribitur, atque ut demus esse G, nescio, cur haec litera potius *Gneum*, quam *Gaium* indicare debeat. In laudato Alexandrino haud dubie est error seu monetarii, seu legentis; nam creditum FN. verius erit Γ. Μ., nempe Γαιος Μεσσιος, et sic forte erratum quoque in alio Rhessaenae, quem citat. ^{e)}

Tribunitia potestas.

De hac Decii dignitate agetur in tractatu singulari.

a) in Valeriano sub init.

b) Pag. 11.

c) Pag. 24.

d) Pag. 15.

e) Pag. 22.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

Commatis peregrini:

R.

HERENNIA ETRVSCILLA.

Quod fuerit nomen Decii conjugii, ab historicis proditum non est. Quare numi Etruscillae nomine inscripti diu vagabantur, dum denique ex numis, quos continuo proferemus, constaret, cujus ea thalamis juganda sit. Dubium, quod superesse posset, omne absterfit lapis ante annos non multos Carseolis effusus, quem edidit Muratorius, ^{a)} subinde accuratius, ut puto, vulgatus a Maffei, in cujus is museum translatus est; ^{b)}

HERENNIAE
CVPRESSENIAE
ETRVSCILLAE, AVG.
CONIVGI. D. N. DECI
AVG. MATRI. AVGG.
NN. ET. CASTROR.
S. P. Q. Carseolitanus.

Tuto igitur deinceps abstinebimus lite a prioribus antiquariis agitata, cujus Etruscilla uxor sit habenda, etsi de ejus vita ac fortuna quod memoremus, nihil praeflo lit.

Liberi ex numis cogniti *Herennius* et *Hosilianus*, de quibus infra. Plures alios adfinxere alii, verum ex conjecturis plane infirmis, de quibus vide Tillemontium nota II. in Decium.

Numi:

- A. HER. ETRVSCILLA. AVG. Hujus caput in AV. AE. I. II. Idem super luna bicorni in AR. AE. max. mod. et AE. II.
- B. HERENNIA. ETRVSCILLA. AVG. Caput simile.

Averfae nihil memorabile produnt; nam FECVNDITAS — IVNO. REGINA — PVDICITIA, triti in Augustarum moneta typi. De ejus numis maximi moduli actum post catalogum numorum Decii. Averfas cum epigraphe SÆCVLVM. NOVVM a Philippis inique huc translatas suspicarer, nisi etiam in Hosiliani et Treboniani moneta exstarent.

a) Pag. 1036. 4.

b) Mus. Veron. p. 102.

Numi commatis peregrini.

Insignis est numus coloniae Rhefae-nae, quem ex museo regis Galliarum edidit Bandurius, ^{a)} in cujus antica: ATT. K. ΓN. ME. K. TPA. ΔEKIOC. CEB. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΤΚΙΑΛΛΑ. CEB. *Capita adversa Decii et Etruscillae*; ex quo praeconio dubitari jam non potest, fuisse Etruscillam Decii uxorem.

Nomina.

Praeter nomina *Herenniae Etruscillae*

ex numis Romanis cognita habemus etiam nomina *Anniae* et *Cupresseniae*.

Anniae nomen offerunt numi Tarfi: ANNIAN. ΑΙΤΡΟΤΚΙΑΛΛΑΝ, (Pellerin, Haym.) perperam hanc lectionem in dubium vocante Taninio.

Cupresseniae nomen exstat in rarissimis tribus Alexandrinis, quos memorat Pellerinius inscriptos: ΕΡ. ΚΟΤΠ. ΑΙΤΡΟΤΚΙΑΛΛΑ. CEB. (Rec. III. p. XIX.) Vocabulum ΚΟΤΠ. legendum *Cupressenia*, docet marmor Carfeolitanum supra laudatum.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini:

Urbium liberarum, coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Alexandrini, quos vide apud Pellerinium, et Arigonium.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.

HERENNIVS ETRVSCVS.

A patre Decio imperium adepto mox dictus Caesar, et praemissus in Illyricum ^{b)} constanter deinceps bello adversum Gothos interfuit, ex eo non amplius rediturus,

V. C. 1002. 1003. P. X. 249. 250.
CAESAR, PRINC. IVVENT.

A. Q. HER. ETR. MES. DECIVS.

NOB. C. *Caput nudum in AV. AE.*
I. II. *radiatum in AR.*
B. HEREN^t ETRV. MES. QV. DECIVS. CAESAR. *Caput radiatum in AR.*
C. Q. HERE. TRAIANVS. DECIVS. NOB. C. *Caput radiatum in AR.*

Vt lit. A. et B.

a) Pag. 22.

b) Victor alter.

CONCORDIA. AVGG. *Duae manus junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Etsi Caesar tantum esset, tamen ex Augusteo patris titulo honorem participat.

Vt lit, A.

PACI. S. C. *Templum sex columnarum.* AE. I. (Band.)

Haec averfa in numis imperatorum nondum conspecta.

Q. HE. ETRVSC. ME. DECI-
VS. NO. C. (*sic*) *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. II. CONS. II. *Imperator togatus stans ad aram d. pateram, s. togam colligit.* AR. (Band.)

Omnes hi tituli Herennium diffidentur, pontificatus max. delatus Caesari, atque etiam tribunatus, et quidem inter haec jam initus alter, consul II., cum semel tantum eum processisse consulem constet, et jam in consulatu I. fuerit Augustus. Quare mirari subit, qua ratione probare ex hoc numo possit Bandurium, Etruscum una cum patre biennium imperasse. ^{a)} Videtur serius ad hanc difficultatem ipse advertisse, nam ejus numi rursus meminit in praefatione, atque tum averfam patri Decio applicat. Opportunius istud, at nolim ex numo palam vitioso adferere, eo consularium factorum fidem confirmari. Ceterum si numus probae est fides, dubium non est, averfam patris adplicatam filio, cujus exempla vidimus in Philippo filio, et videbimus in Volusiano.

*
*
*
Antica varia.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans cum bacillo et hasta, vel duobus*

signis militaribus. In aliis: *Apollo sedens d. ramum, s. lyrae innixus.* In omni metallo et forma.

V. C. 1004. P. X. 25r.

CAESAR. COS. PRINC. IVVENT.

Consul patre conlega consule III. proedit. Vnde Trebellius: *duobus Decius cos.* Fuisse Herennium anni principio adhuc Caesarem, probat marmor Fabretti: ^{b)}

Q. HERENNIO. ETRVSCO. MESSIO
DECIO. NOBILISSIMO. CAES. PRIN
CIP. IVVENTVTIS. COS. etc.

Numi supra descripti huc adhuc pertinent.

Eodem anno:

AVGVSTVS TR. P. COS.

Augustus a patre dicitur. Audacius cum hoste congressus una cum patre in acie occumbit.

IMP. C. Q. HER. ETR. MES.
DECIO. AVG. *Caput laurcatum.*
PRINC. IVVENT. *Apollo seminudus d. ramum, s. lyrae innixus.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 166.)

En tibi iterum una Augustum, una principem juventutis.

Eadem epigraphe. Caput radiatum.
SECVRITAS. AVGG. — VICTORIA.
GERMANICA — VOTIS. DECENNA-
LIBVS. *typis solitis.* ((Mus. Caes. Bandur.)

^{a)} Pag. 39.

^{b)} Pag. 683.

Nomina.

Aevum imperatorum occipimus, quo plerumque majorem videmus nominum numerum, quam annorum, quibus imperavere, quibus adeo brevitatem imperii quadam ratione compensavere. Inter haec venit mihi in mentem lepidae sententiae Plautinae interloquentibus Charmida et Lycophanta: ^{a)}

Charm. *Agedum, nomen tuum primum memora mihi.*

Syc. *Magnum facinus incipissis petere.*

Ch. *quid ita? Syc. quia, pater,*

Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,

Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.

Charm. *Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu praedicas.*

Iam nobis in recitandis Orbiana nominibus face et viatico opus fuit, et utrumque nobis modo imperat Herennius, cujus nomina omnia ex numis collecta sunt:

Q. Herennius Etruscus Messius Trajanus Decius,

quae omnia dempto Trajani nomine memorantur etiam in numis Graecis. Excusemus tamen saeculum istud, nam tempora etiam altiora nominum multiplicandorum rabies invasit. In marmore fratrum arvalium Titi aetate positum unus idemque vir dicitur *L. Pompeius Vopiscus C. Aruntius Catellius Celer.* ^{b)} Tamen hactenus in numis parcius fuit nominum congeries. *Herennii Etrusci* nomina habuisse a matre, patet, reliqua a patre. Nomen *Quintus* an habuerit rationem praenominis, dubitari possit, cum in aliis numis mediam stationem obtineat, quanquam nominum oeconomia, quam ea aetas tenuit, admodum implexa est. Sed vide etiam numos Hostilianos.

Numi commatis peregrini.

Rari sunt numi urbium liberarum, at coloniarum rariores, Rarissimi Alexandrini.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	O.

Commatis peregrini, ut mox dictum.

HOSTILIANVS.

Ad intelligendam hujus principis historiam ac numos non pauca necessario sunt praemittenda. Fuisse imperante De-
 ciano tertiam quamdam personam sexus

a) Trinum. Act. IV. scen. II. v. 41.

b) Marini Frat. arv. p. 234.

virilis Caesarea dignitate conspicuam, jam ex numis Decii vidimus inscriptis CONCORDIA: AVGG. vel PIETAS. AVGVSTORVM, in quibus praeter capita Decii, Etruscillae, et Herennii occurrit aliud cum Herennio sociatum. Esse illud ejus, quem numi obvii *C. Valentem Hostilianum Messium Quintum* appellant, inter antiquarios omnes convenit. Nam Herennium cum Hostiliano non modo expressis verbis conjungit numus, quem Spanhemius ex gaza Barberina prodit, inscriptus: Q. HER. ETR. DECIVS. C. VAL. HOSTILIANVS, ^{a)} sed et marmor, quod ex Gorio citat Muratorius. ^{b)} At enim vetus est inter eruditos lis, aliis hunc Hostilianum Decii filium, aliis *generum* enixe statuentibus. Qui filium volunt, quorum ego iudicium lubens amplector, nituntur auctoritate Zosimi, qui diserte alterum Decii filium memorat, etsi ejus nomen non prodit, quem post patris, fratrisque Herennii miserum fatum sibi conlegam sociavit Trebonianus. ^{c)} Atque etiam mos in haec usque tempora servatus, quo filii censei solent, qui juxta imperantes appellatione et cultu Caesarum in numis proponuntur, nisi certa aliqua ratio aliud postulet, qualem profectio adversae sententiae patroni nondum attulere, is, inquam, mos haud aegre persuadebit, fuisse Hostilianum Decii filium, qui simili modo cum Decio, Etruscilla, et Herennio in numis conjungitur. Adde etiam *Messii Quinti* nomina Hostiliano in iisdem data, quae utique nonnisi a patre Messio Quinto Decio traxerit. Vide

argumenta alia apud Bandurium. ^{d)}

Qui generum malunt, quos inter post Panvinium, Trifanum, Spanhemium, ^{e)} aliosque fuit etiam Liebeus, ^{f)} causam suam patronis historicis, et ipsis Hostiliani nominibus propugnare nituntur. Historicis, qui hujus aetatis facta memoriae prodidere, non moror, quos satis constat tam aperte sibi contradicere, ut, quid denique tenendum sit, planissime ignores, quae taedia ad causam praesentem pertinentia videre potes apud Spanhemium. Ad nomina *Valentis Hostiliani* quod attinet, illa neque Decio, ajunt, neque Etruscillae inhaesisse, ex quo arguunt, ex aliena eum gente in gentem Deciam fuisse translatum. Verisimile igitur putant, Decium extraneo huic homini collocasse quampiam suam filiam, eumque adeo sibi generum addito Caesaris honore adscivisse. Sententiae suae quo majorem fidem facerent, occurrebat, a Zonara et Cedreno memorari quemdam Severum Hostilianum, quem ajunt fuisse inter successores Gordiani III., cujus filius fuerit Hostilianus noster, quippe *Messii Quinti* nomina ceperit a Decio adoptante, *Valentis Hostiliani* a patre naturali. Haec illi. At enim infirmum est argumentum istud ex nominibus captum. Neque enim filii a patre tantum ac matre, sed avo quoque ac avia sua collegere nomina. Multo ante, ut paucis exemplis utar, M. Aurelius ab avo dictus est Annius Verus, a proavo materno Catilius Severus. ^{g)} Geta Severi F. nomen abstulit a Geta avo paterno, vel patruo. ^{h)} Cara-

a) Tom. II. p. 256.

b) Pag. 252. 6.

c) L. I. sub Trebon.

d) in praef. ad Tom. I. p. 5.

e) l. c.

f) Goth. num. p. 429.

g) Capitoliu. in Aurel. c. 1.

h) Spartian. in Geta c. 2.

racalla dictus Balsianus ex nomine avi materni, *) Elagabalus ante imperium Varius Avitus a patre et avo. Ergo cum jam Herennius Decii F. nomina sua traxerit a patre et matre, verisimile plane est, alterum filiorum Hostilianum sua traxisse a patre, et avo seu paterno seu materno. Sed et Zonaræ atque Cedreni testimoniis de quopiam Severo Hostiliano Aug. parum moveor, quorum fidem jam solide in dubium vocavit Tillemontius, b) neque etiam, opinor, futiles hi auctores magnopere movissent summos illos, quos laudavi, viros, qui generum præhabuere, nisi animum plane perstrinxisset auctoritas Goltzij, a cujus placitis discedere usque modo piaculum utique habitum, qui numum obtulit inscriptum: IMP. CAES. L. AVR. SEV. HOSTILIANVS. AVG. P. M. TR. P. *) quem a mirabili hoc viro ex verbis Zonaræ præstabit confictum credere.

Hic ergo Hostilianus Decii, ut verisimile est, filius alter, patre fratreque in bellum profectis Romæ restitit. Vtroque in acie caeso Trebonianus Gallus Decii successor eum ob memoriam Deciani imperii publice collaudati adoptavit, sed paullo post rerum novarum metu insidias struxit nulla habita seu adoptionis, seu honesti ratione, ut ait Zosimus. d) Admotum imperio narrat etiam Eutropius: διαδεχεται την βασιλειαν Γαλλος, Οστίλιανος, και ὁ τετρα παις Βελουσιανος, quae verba aptius ad historiam vertit Pacanius: *mox imperatores creati sunt Gallus, Hostilianus, et Galli filius Volusianus. Victor prior: haec ubi patres*

comperere, Gallo Hostilianoque Augusta imperia, Volusianum Gallo editum Caesarem decernunt. Et Victor alter: Horum temporibus (Galli et Volusiani) Hostilianus Perpenna a senatu imperator creatus. Hostilianum pestilentia, quae tum late grassabatur, interivisse, uterque Victor testatur, contra quam Zosimus dixit, Galli insidiis.

Ex his, quae modo exposui, apparet, Hostiliani numos ad duo imperia pertinere, et eos quidem, in quibus Caesar dicitur, ad imperium patris, in quibus Augustus, ad imperium Treboniani. Hujus imperium palam eloquitur numus inscriptus IVNONI. MARTIALI, de quo mox.

V. C. 1002. 1003. P. X. 249. 250.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

C. VALENS. HOSTIL. MES. QVINTVS. N. C. *Caput nudum in AV. et AE. II. radiatum in AR.*

C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS. CAESAR. *Caput radiatum in AR.*

Vide quae de insolente hoc inscriptionis modo mox infra dicentur.

Aversae sunt:
MARTI. PROPVGNATORI. — PANNONIAE. — PIETAS. AVG. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. — PVDICITIA. AVG. — SAECVLVM. NOVVM. — VBERITAS. AVG. — VICTORIA. GERMANICA. typis jam cognitiss. (Mus. Caes. Banduri.)

a) Victor epit.

b) Nota II. in Philipp.

c) Thef. p. 105.

d) l. c.

V. C. 1004 P. X. 251.
AVGVSTVS.

A patribus, et Treboniano Augustus dicitur, non multo post seu peste, seu Treboniani insidiis occumbit. Vide altius dicta.

VOTIS, DECENNALIBVS. S. C. *intra coronam.* AE. I. (Mus. Caes.)

In reliquis: AEQVITAS. AVG. — ROMAE. AETERNAE. etc.

Nomina.

- A. IMP. CAE. C. VAL. HOS. MES. QVINTVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. II. radiatum in AR.*
- B. IMP. C. MES. QVINTVS. AVG. *Caput radiatum in numo ex AR. puro Mus. Caes., sed suspecto.*
- C. C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS. AVG. *Caput radiatum in AR.*

Antica incerta.

IVNONI. MARTIALI. *Typum vide in numis Treboniani.* AR. (Pellerin Rec. III. p. LI.)

Numi cum hac averfa per solum Treboniani imperium signati sunt, certo adeo argumento, Hostilianum una cum hoc imperasse.

Vt lit. A.

PRINCEPS. IVVENTVTIS. S. C. *Figura sedens d. globum.* AR. (Mediob.)

Vt lit. B.

SECVRITAS. AVGG. *Mulier stans d. capiti imposita, s. columnae innixa.* Ex AR. puro. (Mus. Caes.)

Hic numus solum propter argentum purum memorandus, sed, ut mox dixi, habet modernae fraudis indicia.

Vt lit. A.

De uno *Quinti* nomine pauca hoc loco dicenda. De reliquis actum in praecedentibus; Habuit illud cum patre et fratre commune, at non habuisse rationem praenominis, probatur primum eo, quod pater jam habuit praenomen Caii, deinde quod illud in patre nunquam, in fratre raro primum locum obtinet, et ipse Hostiliano quidem semper ultimum. Ac sane videtur, *Quinti* nomen fuisse Hostiliano unum ex maxime propriis, non modo quod, ut dixi, postremo loco ponitur, sed etiam, quod istud suadet numus, ut videtur Aeliae Capitolinae a Patino vulgatus, *) in cujus antica sunt duo capita jugata radiata scripto juxta: AETRVSCVS. ET. QVINTVS. CAESS., qui sunt fratres Herennius Etruscus, et Hostilianus Quintus.

De numis quibusdam argenteis Hostilianis.

Omnia musea non paucos Hostiliani numos argenteos servant, in quibus ejus nomina scribuntur: OVAL. OSTIL. COVINTVS, quae est ratio plane Graeca retentis solum literis Latinis; nam in Graecis numis eodem modo scribitur: OTAA. OCTIA. KOTINTOC. Erunt, qui monetariorum lapsus in iis videbunt, at eorum nimis magnus est numerus. Dice-

a) Impp. Rom. num.
(Vol. VII.)

rem, homines Graecos Romae ad scalpendas matrices adhibitos; verum cur haec peregrinitas non observatur etiam in aeneis? aut si hi argento tantum inserviere, cur iidem hellenismi non observantur etiam in numis Decii, Etruscillae, Herennii, et deinde Galli et Volusiani? En materiam uberem, qua se occupent ii, qui conjecturis plus indul-

gere amant. Id unum suspicari subit, jam tum partem monetae Romanae in provinciis fuisse elaboratam. Exempla orationis Latinae in marmoribus quoque literis Graecis scriptae habes apud cl. Marinium, cujus indefessae industriae, et purgato iudicio tot alia praecleara debemus. a)

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	C.
Aenei max. formae	RRRR.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum et coloniarum	RR.
Alexandrini	RRRR.

TREBONIANVS GALLVS.

Ejus incerti majores et patria. Decio bellum cum Gothis gerente ipse jam consularis, et partis exercitus Romani dux in loca palustria perfide fertur imperatorem pellexisse, quibus haustus cum una cum filio interiisset, ipse ab exercitu dictus est Augustus circiter exeunte Novembri V. C. 1004.

V. C. 1004. P. X. 251.

TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.
Decio Aug. III., Q. Herennio Etrusco
Caes. cof.

Filium Volusianum Caesarem appellat, et Hostilianum conlegam imperii.

IMP. CAES. TREBONIANVS.

AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. POT. COS. P. P. *Imperator togatus sedens d. globum* AR. (Banduri.)

Vnicum hunc numum reperi, qui per notas chronologicas residuae hujus anni parti possit convenire.

V. C. 1005. P. X. 252.

TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.
Treboniano Aug. II., Volusiano Caes. cof.

a) Heriz, Alban. p. 123.

Volusianum Augustum appellat. Pacem cum Gothis permissio illis cum omni praeda et captivis Romanis reditu, pactusque tributum annuum, turpissimam et principem futurorum malorum causam init. Rebus foris hoc modo pacatis Romam venit. Pestis per orbem atrox, (Vide numos vagos) cui succubuisse fertur Hostilianus, ut in hoc dictum.

- A. IMP. C. C. VIB. * TREB. GAL-
LVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AV. et AR. etiam sine P. F. in iisdem.*
- B. IMP. CAE. C. VIB. TREB. GAL-
LVS. AVG. *Caput radiatum in AV. AR. AE. II., laureatum in argenteis puris.*
- C. IMP. CAES. C. VIBIVS. TRE-
BONIANVS. GALLVS. AVG. *Caput laur. in AE. I. II. item AR. et AE. max. mod.*
- D. IMP. C. GALLVS. AVG. *Caput laur. in quinariis.*

*Vt lit. * A.*

ADVENTVS. AVGG. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. (Mus. Caes.)

IMP^o GALLVS. AVG. IMP. VO-
LVSIVS. AVG. *Caput utriusque laureatum aduersum.*

ADVENTVS. AVGG. *Imperator uterque equo decurrens d. hastam.* AE. m. m. (Buonarroti, Banduri)

Vt lit. C.

ADVENTVS. AVGG. *Impp. duo laurea-
ti equites pacificatoris habitu, praecedit Vi-*

ctoria d. lauream praetendens, sequuntur milites duo cum aquilis legionariis, pone alter cum vexillo. AE. m. m. (Numi max. mod. reg. Gall.)

CONCORDIA. AVGVSTORVM.
Capita aduersa laureata Treboniani et Volusiani.

ADVENTVS. AVGG. *Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes. Com. Vitzai.)

Omnes hi numi probant, Volusianum, quō tempore cum patre in urbem advenit, Augustum jam fuisse, sed et illum eodem hoc anno simul consulere, simul Augustum in ejus moneta videbimus. Numum postremum Bandurius Valeriano et Gallieno tribuit, *) iconismum, ut videtur, Ducangii secutus. Vtriusque motus auctoritate numum similem in catalogo musei Caesarei sub Valeriano item produxi. Verum cum ejus aversa tot figuris locuples in levissimis quoque penitus conspiraret cum aversa numi praecedentis, verisimile videtur, in hoc quoque Trebonianum et Volusianum exhiberi. Pronus nonnunquam error in numis hujus aevi, in quibus inscriptio anticae non ipsa nomina capitum in iis propositorum, sed generatim *concordiam*, vel *pietatem Augustorum* enunciat, cujus luculentum exemplum dabimus in numis Valeriani cum simili Adventus typo.

Vt lit. C.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. S. C. *Imperator velatus stans d. pateram, s. parazonium ad aram sacrificat.* AE. I. (Bandur.)

Ommissum in hoc numo esse numerum

*) Pag. 127.

trib. potestatis, ut saepe alias hoc aevo factum, patebit ex iis, quae infra sub hoc titulo dicentur.

IMP. GALLVS. AVG. IMP. VOLVSIANVS. AVG. *Capita aduersa laureata patris et filii.*

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. *Duo imp. in quadrigis triumphalibus à Victoriis pone stantibus coronantur comitantibus currum praetorianis.* AE. m. m. (Banduri.)

Videtur hoc numo indicari superbus imperatorum in urbem ingressus velut parta post victorias pace, quod et inuinit Zosimus: *His rebus in hunc modum gestis Romam Gallus venit, magnos ob constitutam cum barbaris pacem spiritus gerens.* Epigraphe auersae ad unum patrem pertinet.

Eadem aduersa.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. ET. COS. *Idem typus.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

De hoc numo agetur prolixius sub Volusiano.

Vt lit. C.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra coronam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 1006. P. X. 253.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. P. *C. Vib. Volusiano Aug. II., M. Valerio Max. cof.*

Aemilianus in Moesia imperator adclamatur. Ejus bello persequendi curam Trebonianus Valeriano mandat, qui ex Gallia et Germania milites contrahit. Praeuenit Aemilianus, qui exeunte an-

no armatus Italiam intrat. (V. infra in trib. potest.)

Vt lit. C.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Imperator velatus stans ad aram sacrificat.* AE. I. (Banduri.) Argenteum cum eadem auersa recitat Mediobarbus.

V. C. 1007. P. X. 254.

TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P. *Valeriano Aug. II., Gallieno Aug. cof.*

Trebonianus Aemiliano obviam ex urbe progressus a propriis militibus, qui successum desperabant, una cum Volusiano apud Interamnam occiditur aetatis anno XLVII. (Victor alter.)

Ad ejus laudem vix quidquam a veteribus memoratum reperio, dedecus ex transacta turpi cum Gothicis pace, tum et ignavia vitae objectant omnes.

Vxor nonnullis credita Cornelia Supera, sed quam verius Aemiliano fuisse conjunctam, in hoc probare conabor. Ei adhuc privato nuptam fuisse *Afiniam*, tantum non demonstrat lapis, quem infra in nominibus Volusiani producam.

Vt lit. C.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Vir togatus stans d. ramum, s. parazonium.* In aliis: *Imperator ad aram sacrificans.* AE. I. (Mus. Caes.) AE. m. m. (Banduri.)

De numis sic inscriptis, vetere inter eruditos disputationis argumento agetur ex proposito infra sub trib. potestate.

*Numi vagi.**Adversa varia.*

APOLLO. SALVTARIS. *vel:* APOLL. SALVTARI. *Apollo nudus stans d. ramum, f. lyram.* In omni metallo et forma.

Nimirum invocatus Apollo ab Augustis et toto imperio, ut depelleret pestem, quae inde a principio ejus imperii universum orbem funeribus implevit, et multis adhuc post annis saevire non destitit. Inter miserandam hanc cladem, ut ait Victor alter, *Gallo Volusianoque favor quaesitus, quod anxie studioseque tenuissimi cujusque exequias curarent.* Vide et numos sequentes. Apposite ad hanc peristasin Apollini tribuitur ramus sive lauri, sive olivae, nam alterutro veteres lustrationem peregere. Sic Iuvenalis: ^{a)}

*Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum taedis, et si foret humida
laurus.*

Et Virgilius: ^{b)}

*Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, et ramo felicitis olivae.*

Quibus adde Theocritum, ^{c)} et quae alia testimonia collegit eruditus editor musei Herculan. ^{d)} et Madrisius. ^{e)}

IMP. CAES. C. VIBIVS. TRE-
BONIANVS. GALLVS. AVG.
Caput radiatum.

ARNAZI. *Apollo nudus monticulo insistens*

d. ramum, f. arcum. AE. m. m. (Pellerin Rec. III. p. 283. Banduri. Baldinus.)
Vt lit. B.

ARNAZI. *Idemtypus.* AE. II. (Mus. Theupoli in Coloniis.)

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput radiatum.*

ARNAZI. *Idemtypus.* AE. II. (Mus. com. de Vitzai.)

Idem in his numis Apollo, qui in praecedentibus, nisi quod s. arcum pro lyra gerit, et rupi insistit, videnturque hi ex eadem causa, ex qua priores, signati, nimirum ut averteret benignus pestem, quo modo Graeciam olim eodem adflictam malo vindicavit, ob quod benefactum dictus erat Αλεξικακος, *Averruncus*, et Επικριός, *Subveniens.* ^{f)} Opis in hoc malo praesentis cum compertus esset Apollo, vasa Alexander pseudomantis, ut est apud Lucianum, cum pestis M. Aurelii aetate totum imperium depalceret, hunc apposite versum ex oraculo suo promulgavit:

Φοιβος ἀκερσεκομης λοιμω νεφελην ἀπε-
ρυκει.

Phoebus intonsus pestis nubem fugat.

Insistit vero rupi, nam teste hymno Homérico ^{g)} huic deo

Πασαι δε σκοπαι τε φιλαι και πρωονες
ακροι

Ἰψηλων ὄρων.

*Omnes speculae charae, et vertex summi
Altorum montium.*

Isthaec quidem plana. At negotium fa-

a) Sat. II. v. 157. b) Aen. VI. v. 229. c) Idyll. XXIV. v. 64. d) Bronzi Tom. I. p. 264. nota 41. e) in Calogeranis Vol. IV. p. 299. f) Pausan. Attic. c. 3. Arcad. c. 41. g) in Apoll. v. 144.

cessit epigraphæ ARNASI, vel ut in aeneis II. formæ ARNAZI. Ad eam Bandurius, cetera animadversionum locuples, velut ad rem in vulgus cognitam, obmutuit. Harduinus in ejus explicacione veteri suo more in nugis et deliria abit. *) Vnum ergo Pellerinium audire iuverit conjectantem, vocabulis ARN. ASI. intelligi duo Umbriae oppida *Arnam*, et *Afssium*, quae videntur communi sumptu Apollinis signum in loco edito et late conspicuo erexisse ea tempestate, qua ejus dei auxilium propter pestilentiae furorē maxime erat exoptatum. b) At enim quaeri potest, sintne hi numi percussi Romae, an in ipsis his oppidis? De officina monetaria in Italia extra urbem aetate imperatorum non constat. In urbe si signati essent, non credo abesset nota S. C. saltem in aeneis II. formae. Haec adversus viri praestantis sententiam movere facile, at difficile, melius quidquam et valiturum adferre. Eos in coloniarum numis habuere Medobarbus, eumque, ut videtur, secutus auctor musei Theupoli. Verum et istud incertum. Ejusdem rationis sunt numi Getae inscripti STA. BOV. Hujus generis numi jam plures, ut vidimus, comperti sunt, at Volusiani unicum hactenus cognitum novi, quem olim edidi ex insigni museo ill. com. de Vitzai. c)

Vt lit. B.

DIANAЕ. VICTRI. *Diana venatrix d. telum, f. arcum.* AR. (Band.)

Diana Victrix nunc primum in numis occurrit. Vide, quae in Aemiliano ad similem averſam monebo.

Antica varia.

IVNONI. MARTIALI. *Templum rotundum, intra quod dea sedens d. forficulam, f. hastam.* AE. m. m. et AE. I. (Mus. Caef.) *In nonnullis adſtat pavo.* AR. *In aeneis max. mod. hinc et illinc caput bovis.* (Mus. Caef. Banduri.)

Antica varia.

IVNO. MARTIALIS. *Dea sedens d. forficulam, f. hastam. In aliis f. globum.* AE. I. (Mus. Caef.)

Haec averſa sub Treboniano orta est, cum eodem occidit, cumque ea in copiis ejus ac Volusiani numis, iisque maximi etiam moduli, et operis pro hoc aevo elegantis reperiatur, verisimile videtur, eam ad idem cum prioribus argumentum pertinere, nimirum ad commune hujus tempeſtatis malum pestilentiam, ad quam depellendam principes nostri omnium nominum deos omnes victimis ac precibus ex Olympo excivere. Opportuna tum ad ferendam opem videri Iuno potuit, quod teste Tullio *aer interjectus inter mare et coelum Iunonis nomine consecratur*, d) qui tum tracto vitio stragem mortalibus attulit, atque idem mox infra: *sed Iunonem a juvando credo nominatam.* Sic et eandem dictam fuisse *Sospitam* a Graeco *σωσιτη* autumat Festus. Quae modo dixeram, egregie confirmat signum, quod Iuno dextera tenet. Illud jam Trifſtanus ex numis, quos viderat, forficulam dixit. e) Eo posteriores plerique alii spicas, alii ramum pronuciavere. Sed postquam secundis curis numos integerrimos musei Caesarei contenderam, cogebar ad-

a) Num. pop. et urb. p. 113.
deor. L. II, c. 26.

b) Rec. III. p. LII.
Tom. II. p. 668.

c) Num. vet. p. 314.

d) de nat.

sentiri Trifano forficulam decernenti. Haec qua ratione ad Iunonem pertineat, vetustiores mythologi non meminere, commemoravere tamen infimi aevi scriptores Graeci. Ita auctor, qui est in Anecdotis Graecis curante Villoifonio editis, ^{a)} cum Iunonis simulacrum describit, quod erat apud Argos, haec addit: ὁ και ψαλιδα χαλκην ἀρεβασταξεν ἀπο μεταφορας της κειρωσης ψαλιδος τας τριχας, και καθαρον ἀποδεικνυσης το σωμα, ἐπει ὁ ἀηρ καθαيري, εἰς ὃν ἀληγορειται ἡ Ηρα, quod (simulacrum) forficulam quoque aeneam gestabat ducta metaphora a forficula capillos tondente, et corpus a sordibus purgante: aer enim purificat, cuius symbolum est Iuno. Eidem sententiae consona scripsere etiam Codinus, ^{b)} et Suidas ^{c)} jam memorati Trifano. Illud, quod laudati hi auctores ψαλιδα vocant, Clemens Alexandrinus vocat δυο μαχαιρας τας κυρικας, duos cultros tonsorios, quo loco praecipit, virorum barbam non esse novacula, sed duabus forficibus tonsorum refecendam. ^{d)} Revera in his numis duplex apparet forficula ejus formae, cujus sunt illae, quibus in nostris terris oves attendentur. In parodia Catulliana, quae exstat in Catalectis Virgilii, ejus forficulae et forma et usus eleganter describitur;

*Vbi iste, post Sabinus, ante Quintio
Bidente dicit adtondiffe forcipe
Comata colla, ne qua sordidum, jugo
Premente, dura vulnus ederet juba.*

Lepidum est epigramma, quod exstat in Analectis Brunckii: ^{e)}

Ἀμητος πολυς ἐστι τειη κατα δασχιον ὄψιν.
Τῷ σε χρη ὄρεπανοισι, και ἐ ψαλιδεσσι
καρηται.

*Messis multa est circum tuam umbrosam
frontem.*

Quare falcibus, non forficulis es adtondendus.

En rationem, propter quam addita Iunoni forficula, atque haec urgente nunc pestilentia, cui mederi posse credebatur, singulari a Romanis cultu mactata est. Dixi, in nonnullis hujus generis numis juxta conspici duo adversa boum capita. Narrat idem auctor Gzaecus in laudatis supra Anecdotis, Argis stato die sacerdotem feminam in curru candidis bobus juncto ad hoc Iunonis simulacrum fuisse deductam, qui cum aliquando ad vecturam praesto non essent, in eorum locum successere Cleobis et Biton fratrum par tantis ab Herodoto propter pietatem laudibus celebratum. ^{f)}

Cur vero eadem haec Iuno dicta fuerit *Martialis*, nondum satis comperire potui. Winkelmannus binis locis ejus cognominis causam explicare tentavit applicando Iunoni, quod veteres de quodam pugnae genere, *ferra praeliari*, prodidere, atque hinc eam dictam Martialem conjicit, et talem in his Treboniani numis propositam. ^{g)} Verum an ferra est, quod Iuno in his numis tenet? Neque etiam satis probari mihi potest iudicium cl. Ennii Visconti illustris in re antiquaria nominis, qui in numis praesentibus pro forfice fasciculum herbarum, *un gruppo d'erbe*, ma-

a) Tom. I. p. 208. b) de orig. Constantinop. -- et in Hera. d) in Paedag. L. III. c. 11. e) Vol. III. p. 9. f) L. I. c. 31. g) Pierr. grav. de Stofchin praef. p. XIV. Monum. ant. p. 14.

vult, nimirum quarum contactu Iuno facta praegnans Martem esset enixa, unde dicta fuerit *Martialis*.^{a)} Novi, dicere Festum, ^{b)} ex aliquorum sententia Martem dici Gradivum, quia *gramine sit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximae est honorationis*, et ex mente Servii gramen esse consecratum Marti, etsi aliam is ejus causam statuatur, non, quod ex gramine natus sit.^{c)} At enim Ovidius illud, ex quo Iuno Martem concepit, non gramen, sed florem dixit, ut jam praeunte erudito hoc viro supra in Mamaeae numis indicavimus, ac, quidquid erit, illud cumprimis in hac causa quaeritur, quid numi ipsi eloquantur. At vero iterum aio, numos hujus argumenti copiosos, et nitidissimos musei Caesarei certam nobis forficulam offerre, nihil autem omnino, quod vel flori, vel herbarum fasciculo simile esset. Ceterum Iuno Martialis non in solis numis memoratur, sed et Sex. Rufus ejus aedem in regione fori Romani stetit refert.

His numis causa argumenti jungendus alter:

DIVO. AVGVSTO. *Caput Augusti radiatum.*

IVNONI. MARTIALI. *Templum, in quo dea sedens adstante pavone.* AR. (Pellerin Rec. III. p. XLIX.)

Vaillantius in Numis suis praestant. a Baldino restitutis Tom. II. p. 33. numum Augusti argenteum sic describit: IVNONI. MARTIALI. *Templum rotundum, in quo Iuno sedet, d. spicas, eumque rarissimum appellat.* Ausim confidenter conjicere, hunc Vaillantii numum cum Pel-

leriniano, in quo sumus, ejusdem esse naturae. Enimvero coevum esse Augusto, persuadere mihi non possum, in cujus moneta similis formae averfa adhuc inspecta non est, sed quae, ut vidimus, obvia est per imperium Treboniani. Quare plane verisimile existimo, in antica numi, quem dedit Vaillantius, esse eandem epigraphen, et typum, quales sunt in Pelleriniano, nempe: DIVO. AVGVSTO, hujusque caput radiatum. Nimirum saeculi praecedentis antiquarios passim constat indicare neglexisse, quae sint conditione partes anticae numorum imperatoriorum, aut qua metalli mixtione, tanquam haec indicia ad multas artis nostrae causas nihil plane conferrent. Ad praesentem Pellerinii numum ut revertar, anticam cum averfa male cohaerere, atque illam pertinere ad eam numorum classem, in quorum averfa est epigrapha CONSECRATIO, et typus arae, vel aquilae, et in quibus memoria consecrationis praecedentium inde ab Augusto imperatorum restituitur, dubitari nequit. Pellerinius ex hoc numo probare instituit, hos ipsos renovatae consecrationis numos non imperante Gallieno, quod plerisque usque modo visum, sed Treboniano fuisse percussos, quod nos examen in tractatum de numis consecrationum differimus.

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVGG. S. C. *Liberalitas stans.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. C. Protome laureata, paludamento auri bractea aperto.

a) Mus. Pio - Clem. Tom. VI. p. 86.

b) in Gradivus.

c) ad Aem. XII. v. 119.

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes cum bilance singulari et cornucopiae, pro singularum pedibus massa metalli.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. S. C. *Mulier sedens d. ramum.* AE. II. (Banduri.)

Credi posset haec averfa ex Volusia- ni moneta per injuriam huc adacta, si in hac mulieris sedentis typus cum eadem epigraphe occurreret. Sed jam alias observavimus, Augustis quoque non raro principis juventutis titulum fuisse adjectum.

Vt lit. C. Protome laureata d. sceptrum cum aquila.

SAEVLII. FELICITAS. *Quatuor puelli stantes cum attributis totidem anni tempestates designantibus.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Elegans typus, etsi jam ex numis cognitus.

Vt lit. A.

SAEVLVM. NOVVM. *Templum sex columnarum, intra quod idolum sedens, in imo unum, vel duo, vel tria puncta, seu globuli.* AR. (Mus. Caes.)

Haec averfa obvia in numis Philippi ejusque familiae, sed cum in his absint globuli subjecti, et etiam idem typus esset in moneta Etruscillae Decii, et Hostiliani, demitur suspicio permutatae matricis, quam obtendit Pagius.^{a)}

Numi commatis peregrini.

Numi urbium liberarum, et coloniarum

complures habentur, item *Alexandrini* cum A. B. Γ., de quibus numeris agitur continuo.

De trib. potestate, et terminis imperii Treboniani.

Trebonianum exeunte fere Novembri V. C. 1004 dictum Augustum vidimus. Quod ad ejus imperii finem attinet, haec Zosimus: Gothis provincias Istro adfinitas impune vastantibus Aemilianum exercitui Pannonico praefectum barbaris obviam processisse, eosque victoriis fractos ut ex imperii finibus excederent, coegisse. Tam praeclearae virtutis causa ab exercitu Augustum ad verum ignavos principes salutatum. Quo audito Trebonianum imperasse Valeriano, ut perduellem coactis Galliae et Germaniae legionibus ad obsequium revocaret. At praevenisse Aemilianum, et Italiae cum magno exercitu infusum ita perterruisse Treboniani milites, ut mutata fide eum una cum filio apud Interamnam occiderent, seque una cum senatu Aemiliani arbitrio permitterent. At Valeriani milites indigne ferentes, eum imperare, ad quem bello persequendum missi fuerant, Valerianum suum purpura induerunt, qui Italiam cum exercitu ingressus eadem vices rependit Aemiliano, cum a suis ipsius militibus belli incerta metuentibus occideretur. Hanc necem peractam apud Spoletum refert Victor in epitome. Sed Victor prior Aemilianum morbo extinctum adserit, ac postea a militibus apud Rhaetias ob instans bel-

a) Crit. Baron, ad ann. Ch. 253.
(Vol. VII.)

lum contractis Valerianum purpura donatum. Etiam Eutropius post obscurum trium mensium imperium extinctum tantum docet nulla facta caedis mentione, eique subinde suffectum Valerianum. Ex horum ergo auctorum fide Treboniano Aemilianus, huic Valerianus succedere.

Inter haec ingens chronologorum dissensus, sitne Galli caedes figenda ad annum V. C. 1006. P. X. 253, an ad annum 1007, P. X. 254, cui praeluit ipse veterum epitomatorum dissensus in definiendis imperii Treboniani annis. Non est mei instituti, tot varias nostrae aetatis chronologorum sententias in examen vocare, quod jam praestitere Tillemontius, et Mazzolenus. Alioqui considerari necesse est, eruditos hos viros inanem fere in tota hac disputatione operam posuisse, dum primum ex discordibus veterum opinionibus, quorum testimonia quam exigua mereantur fide, ipsi noverunt, conantur Treboniani et Aemiliani annos eruere, deinde cum passim ad numos provocant, quos nostra aetate condemnamus, eos vero tanquam spurios rejiciunt, quos esse legitimos hodie agnoscimus omnes. Quare ego in praesente, et quantum licebit, contracto examine non nisi monumentis publicis pugnabo, quanquam et haec ipsa non raro eum in modum sibi adversentur, ut difficile sit, ex his laqueis evadere.

Ii, qui necem Treboniani ad annum V. C. 1006 referunt, tanquam invictum argumentum obijciunt falsos, ex quorum unanimi consensu sequentis anni 1007 consules memorantur Valerianus ejusque filius Gallienus. Pro vetere instituto, et complura priorum imperato-

rum exempla ii, qui imperium adepti sunt, etiam in sequentem annum consulares designati fuere. Ergo verisimile est, Trebonianum jam anno 1006 mortuum fuisse. Neque dici potest, Valerianum a Treboniano potuisse ad consulatum evehi; nam etsi istud demus de Valeriano, tamen non de filio Gallieno, cum nunquam pater privatus cum filio una esset consul, et Gallienus ipse junior esset, quam ut tanto honore potuisset dignus haberi.

Argumentum alterum, illudque non parum validum offert epocha Aegeaeorum Ciliciae. Recitat Vaillantius duos Aemiliani numos in hac urbe signatos cum anno ΘϠϞ, (299) quibus addi potest alius Corneliae Superae cum eodem anno. Iuxta calculum aerae in hac urbe receptae, quem alibi demonstravi, numus hic signatus est ab autumno V. C. 1005 usque ad autumnum 1006. Ergo si Aemilianus, qui Gallo successit, agnitus jam fuit imperator anno 1006, nequit Galli imperium extendi in annum 1007.

Argumentum tertium sufficiunt numi Viminacii. Horum illi, qui annum XIV. inscriptum habent, sistunt caput non Treboniani modo, sed et Aemiliani, et Valeriani. Annus XIV. Viminaciensium currit cum anno V. C. 1006, ut loco suo docui. Ex quo patet, saltem exeunte hoc anno imperium jam obtinuisse Valerianum.

Aliud etiam subsidium hujus sententiae patroni sibi quaesivere ex numis Gallieni, secundum quos tribunatus nunquam suis consulatibus respondebunt, nisi ab hoc anno ejus trib. potestates numerandi initium fiat. At fallax istud

est subsidium, nam facile est, hanc sententiam ex ipsis etiam Gallieni numis evertere. Adeo enim illi erroribus monetariorum scatent, ut quam alii sententiam juvare videntur, alii rursus pervertant, quod qui credere noluerit, is quaeso ex Mediobarbi catalogo Gallieni numos in sua quosque tempora tribuat.

Verum et adversae partis, quae Treboniani necem ad annum V. C. 1007 constituit, argumenta audire juvat.

Iam istud primum ex numis evincitur, Treboniani imperium satis late ultra Augustum anni 1006 extendendum esse. Exstant numi Alexandrini tam Treboniani, quam Volusiani inscripti L. F. Cum annus Treboniani A coeperit exeunte Novembri V. C. 1004, vel ipsi adversarii dabunt, ex Alexandrinorum calculo annum F incipere debuisse die XXIX. Augusti anni 1006, cumque numorum sic inscriptorum magna copia superfit, necesse est, longius adhuc tempus inde a dicto die imperasse Trebonianum. Hi ergo numi adfligunt sententiam Tillemontii, Pagii, Bandurii, aliorumque, qui Trebonianum mense Maio aut Junio anni 1006 caelum statuere.

Fortissimum huic sententiae patrocini-um accedit ex numis Treboniani aequae ac Volusiani inscriptis P. M. TR. P. III. COS. II., ex quo tribunatus numero necesse est Trebonianum saltem annum 1007 inchoasse. Haec horum numorum testimonia tanti visa sunt Petavio, ut non dubitaret Treboniani im-

perium eo usque extendere. Alii vero alias eorum explicandorum rationes, sed singulares omnino coacti sunt reperire. Celerius sese expediunt ii, qui priorem sententiam malebant amplecti. Hos numos, aiunt, aut esse adulterinos, aut male descriptos, aut monetariorum vitio depravatos, cum alterius principis matrices horum capitibus sociarent. Verum istud temere adferi ipsa horum numorum copia tam in argento, quam aere facile evincit. Ad haec si permutatae essent matrices, et averſae pertinerent ad praecedentes imperatores, quod plane certum visum est Pagio, ^{a)} necesse esset, easdem tam spectata inscriptione, quam typo averſas occurrere in numis imperatorum proxime praecedentium, quod tamen nondum observatum. Numis sic inscriptis feliciter suppetias venit, omnemque his vel erroris vel fraudis suspicionem eximit marmor, quod exstat Romae in aedibus march. Rondanini, quodque primus vulgavit Bartholemyus, ^{b)} et infra in nominibus Volusiani copiosius recitabitur, in quo Trebonianus aequae ac Volusianus dicuntur: TR: P. III. COS. II. P. P. An et marmor istud, quod cum numis tam eximie conspirat, corruptum?

Huc denique faciunt numi Aemiliani in Dacia cum anno VIII. signati, qui congruit anno V. C. 1007. Si ergo Aemilianus hoc adhuc anno vivus et Augustus non repugnat consulatui Valeriani, neque Trebonianus hoc anno vivus et Augustus eidem repugnabit. Etsi vero, quod ad chronologiam attinet, pa-

a) Crit. Baron, ad V. C. 1006, n. 14.

b) Mem. B. L. Tom. XXVIII, p. 606.

rum valeant Daciae numi, ut in hujus moneta prolixè probavi, tamen praefens unum plus valet propterea, quoniam ejus averfa nequaquam ex antecedentis imperatoris matrice Aemiliano applicari potuit, quae fere unica fuit ratio tot errorum in Daciae moneta.

Haec utriusque opinionis incommoda cum videret Mazzolenus, suam rursus doctrinam proponit, ab his, ut sibimet ipsi palpatur, molestiis totum immune.^{a)} Nam pro recepto suo tribunatus numerandi modo, quem alibi latius proponemus, Trebonianus ineunte Decembri 1004 dictus Augustus tribunatum mox iteravit die X. ejusdem mensis. Anno vertente trib. potestatem III. est auspiciatus. Sequenti anno 1006 mense Junio rebellavit Aemilianus. Caeditur Trebonianus circiter exeunte Novembri, cum parati jam essent numi tribunatu IV. notati, et die X. Decembris erogandi. Paulo post labente adhuc Decembri caeditur quoque Aemilianus, et Valeriani consulatui ad proximas Kalendas Ian. locum facit. Sententiam suam flabilem nititur primum numis Viminacii et Daciae, deinde numo Aemiliani Alexandrino cum anno B, qui annus II. inivit die X. Decembris una cum tribunatu iterato. Denique pervenisse Aemilianum ad Kal. Ian. anni sequentis, aut proxime saltem ad eas accessisse adferit propter numos Aemiliani Viminacii cum anno VIII. signatos, qui respondet anno V. C. 1007.

Quod facere solent medici, qui cum de languentis valetudine desperant, nullum non remedium quantumcunque vio-

lentum permiffum sibi arbitrantur, id facere quoque Mazzolenus in desperata sua causa instituit. Modicus ero in eo refutando cum propter brevitatè institutum, tum quod generatim ejus de iterata IV. idus Dec. trib. potestate doctrina laborat.

I. Nemo non videt, ad arbitrium fingi, quod de numis, qui Galli tribunatum IV. praeferrunt, dudum paratis adferit. Dandum forte istud, si hujus generis unus alterve tantum existeret, verum aliud aperte suadet horum insignis numerus. II. Novum ad causam comprobendam Alexandrinae epochae calculum contituit, dum hujus annos ad rationem trib. potestatis fuisse exactos praedicat, quod argumentum in moneta Alexandrina copiose tractavi. At enim dum variorum dictata everto, quod facile, erunt, qui aptiorem a me doctrinam, magisque adcommodatam ad rationem temporum a me requirent, quod in ea caligine, numorum ejus aetatis non raro perverfis legibus, historicorum, quos historicos vere dixeris, inopia, eorumque, qui superfunt, pugnatis sententiis praestare te posse plane desperes. Vt tamen aliquod meum specimen edam, ejus temporis rationem per probabiles conjecturas ex numis definiam, sic tamen, ut Daciae ac Viminacii numos, qui, ut in horum moneta comprobavi, spectatis epochae annis saepe turpiter fallunt, in tota hac causa vix audiendos putem.

Ajo igitur, Treboniani imperium sese revera in annum V. C. 1007 P. X. 254 porrigere suadentibus istud ejus ac Vo-

a) Animadv. de trib. pot. p. 174.

Volusiani numis tribunatu IV. notatis. Hoc constituto sic verisimiliter procedit historia. V. C. 1006 forte exeunte Iulio imperium in Moesia arripit Aemilianus. In ejus partes transitionem faciunt Cilices, quorum urbs Aegae continuo cum ejus ac Corn. Superae imagine numos ferit, antequam ejus annus ΘQC fors exeunte Octobri exspiraret. Interea Alexandrini in fide erga Trebonianum persistunt, qui numos L. Γ. cum ejus capite inde a die XXIX. Augusti feriri coeptos magno numero signare pergunt. Audita Aemiliani perduellione Trebonianus Valeriano ejus bello perseguendi curam mandat. Is militem in Gallia et Germania contrahit, sed moram injicit sive pestis, quae eo tempore per provincias saeviit, sive rei pecuniariae angustiae, sive perfidia, sive quaecunque alia causa, quam ignoramus. Exeunte anno Italia intrat Aemilianus coepta persecuturus. Circa idem tempus Valerianus in Rhaetia, seu quod Treboniani causam propter ejus ignaviam desperaret, seu copiis suis fretus imperatorem sese appellat, et consulem se cum filio in annum sequentem designat. Init ansus V. C. 1007 et Treboniani tribunatus IV. Ejus anni altero circiter mense Trebonianus et Volusianus interimuntur. Aemilianus, quia praefens, imperator ab exercitu utroque, et patribus agnoscitur. Bellum deinceps Aemilianum inter et Valerianum. Ille sive suorum gladio, sive morbo occumbit, Valerianus unus rerum potitur, eum consulem cum filio agnoscunt facti abolitis prioribus, qui

annum aperuere, quod olim et sub Elagabalo factum.

En probabilem, ut opinor, rerum eventum secundum numorum testimonium, et neque historicis, aut saltem majori eorum parti adversum. Etenim testibus Eusebio, Cassiodoro, Epiphanio, Iornande, quos laudat Tillemontius, ^{a)} regnavit Trebonianus annos II. menses IV., nempe tantundem temporis, quantum in mea doctrina ejus imperium occupat. Ad haec Zonaras Aemiliano imperii menses IV. tribuit. Quo minus nostrae aetatis chronologi horum testimoniis subscriberent, prohibuit fere unus Valeriani consulatus, ^{*} qui tamen et ipse est, qua dixi, ratione non difficulter sese adcommodat. Quae de Volusiani tribunatu IV. objiciuntur, in hujus moneta explicata reperies.

Postremus Sanclementius novam nuper ingressus est viam ad molestem hunc Galli tribunatum IV. enodandum. ^{b)} Verisimile illi visum, Trebonianum non a tempore mortis Decii, sed Philipporum annos imperii sui numerare coepisse, atque istud exemplo Severi, quem item, ait, omisis Pertinace et Iuliano initium sui principatus a caede Commodi fuisse auspiciatum. Ejus causam, ut visum, probabilem adfert, quod Decius trib. potestate, quam una cum censoria dignitate, jure quintae relationis, et proconsulari imperio senatui populoque restituit, ^{*} ipse caruit, ac propterea nulla ejus in numis facta mentione. Quare Trebonianum, ne per biennium resp. ea potestate caruisse videretur, eandem mo-

a) Nota III, in Gallum.

b) de vulg. acta p. 304. seq.

netae suae ita inferendam decrevisse, ut ejus exordium ab exitu utriusque Philippi sumendum esset. Ac propterea opinatur evenisse, ut fere nulli adhuc seu Treboniani, seu Volusiani numi cum tribunatu I. et II., sed quam plurimi utriusque cum tribunatu III. et IV. essent reperti. Haec vir eruditus, sic tamen, ut nolit sententiam suam satis certam putare. Ac jure quidem, sunt enim non pauca, quae me omnes has causas obiter expendentem ab hac conjectura avertunt. Iam, primum probare non possum ductum a Severo exemplum, quem ait initium imperii continuo a Commodi nece duxisse, quod olim in trib. potestate Severi latius refutabo. Neque etiam adferri potest, Decium trib. potestatem senatus arbitrio permisisse. Quo istud idoneo auctore acceperit vir eruditus in indicandis fontibus justo parcius, ignoro. Pomponii Laeti, quem istud perhibere video, auctoritas tanti mihi non est. Et quis Decio negaverit

trib. potestatem, quando eam illi tribuunt tot marmora, quorum partem enumerabimus in tractatu de hac dignitate? Denique eo certissime falli videtur, quod adfirmat, vix aliquos exstare Treboniani et Volusiani numos cum tribunatu I. et II., at plurimos cum tribunatu III. et IV. Tam enim rari sunt numi Treboniani cum tribunatu III., quam rari sunt illi cum tribunatu II., Volusiani autem numum cum mentione tribunatus III. nondum reperi. At in utroque tandem abundant numi tribunatus IV. testes. Ergo ex numis evinci non potest, quod sibi eorum ope probandum sumperat. Equidem in exclusis ex moneta tribus primis tribunatibus, aut certe parcius adhibitis nihil inesse reconditum existimo. Certum est, eos in Decii numis ex quacunque causa non memorari. Verisimile deinde, monetarios priori consuetudini servientes eorum mentionem principio omisisse, serius seu ultro, seu jussos revocasse.

PRETIUM.

Monetae Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR;
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	Q.

Monetae peregrini:

Urbium liberarum, coloniarum, et Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	-	B.
--	---	---	---	---	---	---	---	---	---	----

VOLUSIANVS.

Patris Treboniani tam in secundis, quam aduersis comes patre ad imperium evecto ex more ipse dictus Caesar, et consul designatus.

V. C. 1004. P. X. 251.

CAESAR. COS. DES. PRINC. IVVENT.

C. VIBIO. VOLVSIANO. CAES.
Caput radiatum in AR. nudum in
AE.

IVNONI. MARTIALI. — V. numos pa-
tris. PRINCIPI. IVVENTVTIS typis
notis. VOTIS. DECENNALIBVS. S. C.
intra coronam. AE. II. (Bandur.)

V. C. 1005. P. X. 252.

AVGVSTVS. TR. P. II. COS. DES. II.
P. M. P. P.

A patre Augustus dicitur. V. numum
sequentem.

IMP. GALLVS. AVG. IMP. VO-
LVSIANVS. AVG. Capita adver-
sa laureata patris et filii.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. ET.
COS. Duo imp. curru sex equorum aduer-
sive d. lauream a Victoriis pone stantibus
coronantur, currum milites palmiferi pro-
sequuntur. AE. m. m. (Mus. Albani.)

Hoc typo indicari processum hujus
anni consularem, quem pater Gallus
iterum, filius primum peregere, dubi-
tari nequit, praecipue si conferatur nu-
mus fere geminus Gordiani III., quem
descripsi ad annum V. C. 994. Ergo,
nisi monetarius liberiore forte pro-
lepsi usus est, statuere oportebit,
Volusianum jam Kalendis Ian., quibus
consul primum processit, fuisse Augu-
stum. Quidquid erit, hoc eum honore
gavifum exeunte saltem Iulio hujus an-
ni, docet marmor Gruteri, ^{a)} in quo le-

gitur: ACTVM. PR. KAL. AVG. IMPP.
DD. NN. GALLO. AVG. II. ET. VO-
LVSIANO. AVG. COSS. Feruntur qui-
dem numi, qui Volusianum, cum jam
consul esset, adhuc Caesarem appellant,
sed sunt hi, quod norim, Goltziani tan-
tum. Illud certum ex numis patris hu-
jus anni, Volusianum, quo tempore Ro-
mam advenit, Augustum jam fuisse. Quo-
niam in titulis averfae distinguuntur con-
sulatus II. patris, et simplex filii, reli-
quis cum utroque communibus, patet,
prios titulos PON. MAX. et TR. P.
II. jam hoc anno filio quoque fuisse pro-
prios, de quo agetur in tractatu de trib.
potestate.

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSI-
ANO. AVG. Caput laureatum.
VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. intra
coronam. AE. I. (Banduri.)

V. C. 1006 P. X. 253.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

Hujus anni facta vide in patre.
Defunt certi hujus anni numi.

V. C. 1007. P. X. 254.

TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P.

Vna cum patre apud Interamnam oc-
ciditur a militibus. (V. dicta in patre)
Vti eadem illi cum patre fortuna, ita
similem moribus fuisse colligitur ex scri-
ptoribus.

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSI-
ANO. AVG. Caput radiatum.

a) Pag. 995. 9.

P. M. TR. P. III. COS. II. *Vir togatus d. ramum, f. parazonium.* AR. (Mus. Caef.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.
P. M. TR. P. III. COS. II. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caef.)

Eadem epigraphe. Caput radiatum.
P. M. TR. P. III. COS. II. *Imperator velatus stans ad aram d. pateram, f. parazonium.* AR. (Mus. Caef.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.
P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caef.)

De controversa Volusiani trib. potestate IV^o, quam hi numi adstruunt, agetur in tractatu de hoc titulo. Illud profecto mirum, in numis hujus generis aeneis addi titulum P. P., eumque omitti in argenteis, etiamsi reliqua epigraphe sit eadem, et idem typus, cuius ego rationem non adsequor, etsi verisimile sit subesse aliquam, cum id in his numis constanter observetur. Mirum deinde, easdem averfas tam spectata epigraphe, quam typo observari tantum in numis aeneis patris Treboniani, nunquam vero in argenteis, quamvis hujus generis argentei obvii sint in filio Volusiano.

Numi vagi.

- A. IMP. CAE. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput laureatum in AV. item AR. m. m. AE. m. m. AE. I. II. radiatum in AR. min. mod.*
- B. IMP. C. C. VIB. VOLVSIANVS. AVG. *Caput radiatum in AR.*
- C. IMP. (in aliis IM.) C. V. AF. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. *Caput radiatum in AR.*

Averfae magis memorabiles, ut: A. POLL. SALVTARI. — ARNAZI. — IVNONI. MARTIALI. etc. Volusiano fuere cum patre communes, a quibus ergo recitandis superfedemus, commemoratis tantum paucis, quae istud meruisse videbuntur.

Vt lit. A.

FELICITAS. PVBLICA. *Mulier stans d. caduceum, f. hastam transversam, et simul columnae innixa.* AR. m. m. AE. m. m. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Imperator paludatus stans d. bacillum, f. hastam.* AR. (Mus. Caef.) AE. I. (Baldini.)

Augustos una principes juventutis jam satis in praecedentibus vidimus.

Vt lit. C.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. vulum capiti obducit, f. hastam.* AR. (Mus. Caef.)

Haec averfa, ut in primis imperatoribus perrara (in Hadriano primum observatur) ita in hujus aevi viris Augustis magis obvia.

Vt lit. C.

SAECVLVM. NOVVM. *Templum sex columnarum, intra quod idolum sedens.* AR. (Mus. Caef.)

Inde a Philippo hic typus imperatorum plurium averfas inhabitat.

Vt lit. A.

L. IA. *Sphinx.* AE. I. (Banduri p. 85.)
En numum duplicis naturae, quem integerrimum proficitur ipse Bandurius, etsi ejus explicationem non tentet. Ex quo apparet, ad sua adhuc aenigmata

adsidere Spthingem, neque his omnibus suum adhuc repertum, qui solveret, Oedipum. Vide, quae alia de singulari hoc numo in moneta Alexandrina observavi Vol. IV. p. 90.

Numi commatis peregrini.

Sunt hujus generis in Volufiano, ut in patre Gallo.

Nomina.

Praeter obvia *C. Vibii Volufiani*, et additum in nonnullis Graecis *Treboniani* in numis leguntur etiam haec:

IMP. C. V. AF. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. in argenteis septem diversis musei Caesarei.

ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΑΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΤΟΛΟΥΤΤΙΑΝΟC. CEB. in duobus integerrimis Antiochenis musei Caesarei.

A. K. Γ. ΑΦ. ΓΑΛ. Β. ΒΟΛΟΥΤΙΑΝΟC. ΕΤC. in Alexandrinis. (Mus. Caes. Theup. Arigoni.)

ΓΑ. ΒΙ. ΑΦ. ΓΑΛ - - - in numo Nicopolis Epiri cum solita averla *Protomes Victoriae*. (Mus. C. de Vitzai.)

Haec nomina Vaillantius, usus interpunctione, quae opinioni suae adcommodatior est visa, sic explet: (Num. colon. sub Voluf.)

VAndalicus, Finnicus, GALindicus VENDenicus.

Consuet porro, Volufianum sic dictum ex

victis Sarmatiae Europaeae populis, quorum aliqui teste Ptolemaeo^{a)} dicebantur *Phinni*, *Galindae*, *Vendeni*. Iuvat hic contra Vaillantium haec confidenter enunciantem *ὡς ἐν παροδῶ* animadvertere, demptis Finnis a Ptolemaeo hoc loco nullum ex laudatis Sarmatiae populis memorari. Ejus repudiata sententia Harduinus ea vocabula sic effert:

C. VALERIUS FINNICUS GALUS VINDEX.^{b)} Eruditi reliqui huic illive, ut visum fuit, adsensere, pauciora tamen suffragia abstulit Vaillantius, quoniam ex perpetuo more victarum gentium tituli non praecedere imperatoris nomen, sed consequi solebant; ad haec mirum iis visum, his elogiis gloriari unum filium, neque unquam patrem, cujus tamen verisimile in iis promerendis potiores fuisse partes.

Reperta serius marmora, quae in lucem dedit Muratorius,^{c)} eatenus Harduino contra Vaillantium favent, quatenus adfirmant, familiae esse nomina, non ex victis gentibus indita; nam Volufianum omnia appellant *C. Vibium Afinium* (alia *Afinium*) *Galum Veldumnianum*. At prae reliquis insigne marmor, quod primus de eodem argumento disputans publici juris fecit Barthelemys^{d)} descriptum Romae in aedibus march. Rondanini, cujus initium propter nexum cum utriusque imperantis historia hic apponam:

IMP. CAES. C. VIBIO. TREBONIANO. GALLO. PIO. FELICI. A. . . .
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. II. P. P. PROCOS.

a) Lib. III. c. 5. b) Hist. Aug. p. 841. c) Pag. 253. 2, 3, 4. d) Mem. B. L. Tom. XXVIII. p. 606.
(Vol. VII.) A a a.

IMP. CAES. C. VIBIO. AFINIO. GALLO. VELDVMNIANO. V . . .
PIO. FELICI. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. IIII. COS. II. P. P. . .

Videmus adeo, omnia in his lapidibus contineri nomina, quae in numis, et ab his veram lectionem, et interpunctionis legem petendam. Suapte patet, *ro* BI. in laudato numo Vitzaiangq positum esse pro OTI., et significare *Vibius*.

At inquirendum modo, unde varia haec petita nomina. De nominibus *C. Vibii Galli* dicere nihil attinet, cum haec palam sint paterna. *Afinii* nomen verisimiliter tractum a matre, egregie Muratorius ex alio marmore, ^{a)} et ex eodem Barthelemyus docent:

AFINIAE. M. F.
GEMINAE. BE
• BIANAE. C. F.
VXORI
VIBII. GALLI. C. V.
VIBIVS. THVLLVS
PATRONI. VXORI.

An non nomen *Afinii* inditum Volusiano, et indicatus in hoc marmore *Afiniae* maritus *Vibius Gallus* velut digito monstrant, memoratum in hoc lapide *Vi-*

bium Gallum esse ipsum *C. Vibium Trebonianum Gallum* subinde Augustum, ejus uxorem adhuc privati *Afiniam*, et ab hac pro ejus aetatis more datum nomen filio? Vtrum ab eadem matre, vel forte avia traxerit nomen *Veldummi-ani*, quem numi tam Latini, quam Graeci *Vendumnianum* appellant, incertum adhuc. Nomen adfines *VELDVMNIMIVS* continet marmor vetus Romanum monasterii *S. Gregorii* in monte Caelio, quod exstat in Dissertationib. cl. *Odericii* p. 304.

De trib. potestate.

Hanc expositam vide in tractatu singulari.

Pontifex maximus.

Geminatus uno tempore pontificatus maximus veteri quidem instituto adversatus, sed hunc morem infractum jam a *Balbino* et *Pupieno*, mox a *binis Philippis* vidimus, atque deinceps exempla obvia videbimus.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei ordinarii	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.

a) Pag. 670. 4.

AEMILIANVS.

371

Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
<i>Commatis peregrini:</i>	
Vrbium liberarum, et colōniarum	R.
Alexandrini	BR.

AEMILIANVS.

Aemilius Aemilianus natione Maurus sub Treboniano Pannoniae praefectus, dum hic per socordiam imperii res corrumpit, infestus provinciae Gothos ad ortus magna edita strage viam relegere coegit. Ejus virtutis ergo a suis imperator in Moesiā adclamatur, quod factum circiter exeunte Augusto V. C. 1006, ut verisimile esse dixi supra in trib. potestate Treboniani.

V. V. 1006. P. X. 253.
TR. P. P. M. P. P.

In Aemiliani per Moesiam et Pannoniam agniti imperatoris partes transeunt Aegeae Ciliciae. Trebonianus ejus ad obsequium revocandi provinciam Valeriano mandat. (Vide supra in trib. potestate Treboniani.)

IMP. AEMILIANVS. PIVS. FEL.
AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. P. I. P. P. *Imperator sacrificans, retro vexillum. In aliis alii typi.*
AR. (Mus. Caes. Banduri.)
Eadem epigraphe.
P. M. TR. POT. P. P. S. C. *Imperator ad aram sacrificans. AE. I. II. (Band.)*

De utroque hoc numo agetur infra sub trib. potestate.

V. C. 1007. P. X. 254.
TR. P. II. P. M. P. P.

Italiam intrat bellum Treboniano facturus. A senatu primum hostis judicatur, mox Treboniano ac Volusiano apud Interamnā suorum proditione ad necem adactis ab utroque exercitu ac senatu imperator agnoscitur. Non multo post Valeriano adversum se legiones moventi obviam progressus ipse quoque a suis apud Spoletum interficitur aetatis anno XLVI. (Vide supra in Treboniani trib. potestate.) Victor prior eum morbo extinctum refert.

Vxor verisimilis *Cornelia Supera*, de qua mox.

Numi Aemiliani reliqui.

- A. IMP. AEMILIANVS. PIVS. FEL.
AVG. *Caput laureatum in AV.*
AR. AE. I. II. III. *radiatum in AV. AR. AE. II.*
- B. IMP. CAES. AEMILIANVS. P.
F. AVG. *Caput laureatum in AE.*
I. *radiatum in AR. AE. II.*

- C.** IMP. CAES. AEMILIANVS. PAXS. AVG. *Mulier gradiens d. ramum, AVG. Caput laureatum in AE. I. f. globum et hastam.* AR. (Band.)
- D.** IMP. CAES. AEMILIANVS. *Vt lit. A.*
PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AE. I.* SPES. PVBLICA. S. C. *Spes gradiens.* AE. III. (Band.)
- E.** IMP. M. AEMIL. AEMILIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. (Banduri p. 94.)* Memorabilis hic numus aeneus III. formae propter additum S. C. jam diu fere infuetum, ut supra in Decio ad hujus formae numos monui.
- F.** IMP. CAES. C. IVL. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AE. I. (Banduri p. 96. 99.)* *Vt lit. A. et B.*

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra coronam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes. Band.)

Vt lit. B.

Nomina.

AETERNITAS. AVGG. S. C. *Mulier stans d. globum, cui insistit phoenix.* AE. I. (Mus. Caes.)

Ex hoc et alio numo inscripto : CONCORDIA. AVGG. probatur, Aemiliano fuisse uxorem, ut dicitur infra in Corni Supera.

Vt lit. A. et F.

APOL. CONSERVAT. *Apollo stans d. ramum, f. lyram.* AR. AE. I. (Banduri.)

De Apolline hoc aevo pestis causa eximie culto vide numos Treboniani.

Vt lit. A.

DIANAE. VICTRI. *Diana stans d. sagittam, f. arcum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Hanc averfam in Treboniano primum observavimus. Verisimile, in communibus ejus aetatis malis observantiae in Apollinem causa conjunctam etiam sororem Dianam. Alioqui constat, in ludis saecularibus pro salute imperii celebrari solitis principes honores haberi Apollini et Dianae confuevissent. In insigni numo Valeriani utrumque numen eodem cultu conjungitur addito : CONSERVAT. AVGG.

Vt lit. E.

Caii et Marci ejus fuere praenomina, si modo rite lecta est epigraphe partium adversarum, quas supra ex Bandurio recitavi. Etiam in Commodo et Getta exemplum habemus duplicis praenominis. Sed Caii praenomen in unico numo reperi, Marci obvium in numis Daciae et Viminacii.

Iulii nomen Bandurius in numo unico tantum ipse vidit; sed vereor, ne exesa eo loco epigraphe ex Goltzii numis refeeta fuerit.

Aemilius Aemilianus. Ita eum vocat Victor prior, et consentiunt numi, quorum unum argenteum commatis Romani supra ex Bandurio adduxi. In numis Daciae et Viminacii frequenter : M. AEMIL. AEMILIANVS.

SAL. EMILIVM. EMILIANVM. CESAREM scribitur in numo Damasci apud Bandurium, in quo novum nomen SAL. forte *Sallustii.*

De consulatu et trib. potestate.

In tribus tantum, quod sciam, numis Aemiliani consulatus notatur. In uno ae-

neo: P. M. TR. P. COS. Eum dedit Mediobarbus ex museo Theupoli, sed in cuius catalogo typis vulgato is non reperitur. In alio apud Angellonium legitur: P. M. TR. P. IMP. COS. II. P. P.^{a)} Sed suspectus est hic numus propter insertum alieno loco IMP., qui modus hujus aetatis non est. Tamen tertium aeneum I. formae vidit Taninius cum epigraphe: P. M. TR. P. COS. II. P. P. Aemilianum consulem reticent fasti.

Numi complures tribuniciam quoque potestatem memorant, et argentei quidem sic: P. M. TR. P. I. P. P. at aenei: P. M. TR. POT. P. P. S. C., quorum illi absque dubio extra urbem signati sunt, nam in aurum et argentum jus fuit imperatoribus, quo extra urbem usos etiam fuisse Vespasianum, Pescennium, Albinum Augustum, aliosque locis suis diximus. Opus provinciale arguit etiam scribendi modus TR. P. I., cujus in moneta Romae signata exemplum vix habemus. In argenteis quidem Severi legitur item COS. I. IMP. I., sed et hos constat mallei esse peregrini opus. Aenei certe Romam patriam jactant, ob additum S. C., suntque haud dubie anni V. C. 1007, et signati, ex quo Aemilianus caeso Gallo senatum in potestate habuit.

Numi commatis peregrini.

Ex urbibus liberis solae Aegae Ciliciae, quod adhuc norimus, Aemiliano monetae dedicaverunt. Ejus binos dedit Vaillantius, de quibus agetur mox in Supera.

Coloniarum numos habemus provinciae Daciae, et Viminacii, qui minus rari, Dii Macedoniae, (Pellerin) Parii Mysiae, (Maffei Antiq. Gall. Pellerin.) Damasci. (Banduri.)

Alexandrini insigniter rari. Vnum citat Arigonius inscriptum L. A. Alterum Bandurius, sed a se non conspectum, ex schedis Vaillantii cum epigraphe L. B.^{b)} De ejus fide subdubitat ipse, tamen et alius similis cum eodem anno editus est a Philippo de Venutis,^{c)} alius a cl. Zoega ex museo regis Gall. Difficile est, annum A cum historia componere; nam quo tempore in Alexandrinorum calculo Aemiliani annus I. fluxit, Aegyptii adhuc adhaesere Treboniano, quod docent hujus numi inscripti L. T., quae causa est, cur lubeat auctoritati Arigonii, qui unus hujus generis numum vulgavit, diffidere. Neque plus fidei videtur promereri numus Corn. Superae cum eodem anno, quem mox proponemus, quemque praeter Maffeiium nemo alius adhuc vidit.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

a) Hist. Aug. p. 257.

b) Pag. 545. in Addendis.

c) Duoden. numism. exposit. Liburni.

Aenei II. formae - - - - - RRR.
 Aenei III. formae - - - - - RRRR.

Commatis peregrini, ut continuo dictum.

C. CORNELIA SVPERA.

Haec Augusta ex solis numis cognita. Quaecunque erga maritum fide fuit, necesse est, saepe fuisse adulteram, si antiquariorum de ea judicia valent. Triflanus, qui primus ejus numum edidit, et post eum Vaillantius, atque ut videtur, etiam Pellerinius, a) aliique Valeriano juniori eam junxere. Vero proxima adferunt, quibus Aemilianus maritus praeplacet, ut continuo ad numos commatis peregrini observabimus.

Numi commatis Romani.

C. COR. vel CORN. vel CORNEL. SVPERA. AVG. *Ejus caput lunae impositum.*

CONCORDIA. AVG. *Mulier sedens d. pateram, f. cornucopiae.* AR. (Theup.)
Similis adversa.

IVNO. REGINA. *Dea stans d. pateram, f. hastam, pro pedibus pavo.* AR. (Vaill.)

Similis adversa.

VENVS. VICTRIX. *Eadem stans.* AR. (Theup.)

Similis adversa.

VESTA. *Dea sedens d. Palladium, f. hastam.* AR. (Vaill.) In aliis: *Dea stans d. pateram, f. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Numi commatis peregrini.

Cum ex his uberius colligi possit, cujus uxor Supera fuerit, operae pretium, eos curatius describere, utque appareat, quod mox probare satagam, eam Aemiliano fuisse conjunctam, juvat una miscere Aemiliani numos proposito servientes.

Γ. ΚΟΡ -- ΟΤΠΕΡ --- *Ejus caput super luna.*

ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚ. ΝΑΤΑΡ. ΘΥC. *Templum distylum, intra quod aquila, infra capra decumbens.* AE. I.

Numi hujus a rufficis prope Puteolos reperti typum eruditus quidam Neapolitanus cl. Baldinjo Romam miserat addita dissertatione epistolari 1751.

ΑΤΤ. ΑΙΜΙΛΙΑΙΟC, ΑΙΜΙΛΙΑΝΟC.

CΕΒ. *Caput Aemiliani laureatum.* ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚ. ΝΑΤΑΡ. ΘΥC. *in duobus numis, in quorum uno Aesculapius intra templum, in alio Minerva hastam vibrans inter duas capras.* AE. I. (Vaill.)

ΓΝ. ΚΟΡ. ΟΤΠΕΡΗΝ. CΕΒΑ.

Hujus caput.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. II. (Sestini Lettere T. IV. p. 109.)

C. CORNE. SVPER -- AVG.

Ejus caput.

C. G. H. I. P. *Capricornus globum pedi-*

a) Mel. I. p. 339.

bus stringens, superne cornucopiae. AE. II. (Pellerin Rec. I. p. XXI.)

IMP. M. AEM. AEMILIANO.

Caput laureatum.

C. G. H. I. P. *Idem typus.* AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 326.)

Est uterque hic numus coloniae Parisianae Mythiae.

ΓΑΙ. ΚΟΡ. ΚΟΤΠΕΡΗΝ. ΣΕ.

Ejus caput.

ΑΡΧ.ΤΟ.Β.ΦΕΙΛΟΤΕΙΜΩ.ΙΟΥΔΙΕΩΝ.
Pallas sedens. AE. II.

Hoc modo legendus hic Vaillantii et Haymii numus sic praecipiente Pellerinio. (Rec. I. p. XXI. et Mel. II. p. 231.) In Haymiano et Pelleriniano est *Cybele sedens.*

Alexandrinum cum L. A. et typo *Monetae* obiter citat Maffei-us. (Veron. ill. P. III. pag. 268.)

Ex his insigniores sunt numi Aegarum Ciliciae propter adstitutum epochae annum ΘϞC, 299. Coepit hujus urbis aera in autumno V. C. 707, non in vere, ut contra Vaillantium in Aegarum moneta disputavi. Ergo numi hoc epochae anno insignes cusi sunt ab autumno V. C. 1005 usque ad autumnum 1006. Ex hoc calculo jam ruit sententia eorum, qui Superam Valeriano jun. sociaverunt, cum toto hoc adhuc tempore Trebonianus, ut supra in hujus trib. potestate prolixè disputavi, imperium tenuerit, intruso inter haec in Dacia Aemiliano. Quod si etiam demus, quae fuit aliorum sententia, Trebonianum jam caesum in Majo vel Junio V. C. 1006, tamen neque tum Valerianum jun. Superae thalamis idoneum habebimus, cum post Trebonianum aliquot mensibus principatum in urbe tenuerit Aemilianus, ac

nonnisi hoc caeso Valerianus senior per totum imperium agnitus fuerit Augustus, quod cum fiebat, jam fere effluxit annus Aegarum 299, ut adeo tum uxori ejus, cujus ne quidem pater adhuc quiete imperavit, ferri ab Aegeaeis moneta non potuerit. Ex quo patet, quanto molestius hoc calculo impediatur, qui cum Vaillantio epocham cum vere ordiuntur; nullo enim pacto initium imperii Valeriani intra hujus Aegeaeorum anni limites redigent, etsi is jam anno V. C. 1006 ad imperium pervenisse statuatur. Ceterum omnis haec disputatio supervacanea est, si quod in Salonino evincere conabor, statuatur, Valerianum jun. neque Caesarem unquam fuisse, neque Augustum. Quod si verum, neque conjugii patet Augustae titulum fuisse collatum.

Restant igitur Superae proci Trebonianus et Aemilianus, hic, quoniam idem Aegeaeorum annus tam suis, quam Superae numis inscriptus est, ille, quoniam idem hic annus in ejus imperium cadit. Verum Trebonianus nihil habet, quod sibi prae Aemiliano faveat; quin ut supra in Volusiani nominibus commemoravi, ejus certam fere habemus uxorem Afiniam, nisi hac mortua ad alteras nuptias transivisse dicatur. Aemilianum juvant numi Aegarum, quos habemus cum capite tam illius, quam Superae, quin, exstant ulli cum capite aut Treboniani, aut Volusiani, ex quo conjici potest, Aegeaeos fuisse Aemiliano ex quacunque causa devotos, et audita illius ad imperium adclamatione mox ejus, et uxoris nomine monetam feriisse. Idem persuadent laudati supra numi coloniae Parisii cum utriusque rursus capi-

te, et eadem averfa, cum tamen præcedentis imperii nullos hujus coloniae numos habeamus. Reprehendendus hoc loco ingens Khellii lapsus, a) qui persuadere sibi non potest, fuisse Superam Aemiliani uxorem saltem ex hoc Aegeæo Superæ numo, quoniam brevius fuit ejus imperium, quam ut a remotis his Cilicibus intelligi potuisset, fuisse eum adclamatum imperatorem, et mox feriri numus. Animum non advertit vir eruditus ad citatos binos Aemiliani numos Aegeæos cum eodem epochæ anno. Ceterum fuisse Aemiliano uxorem,

quo tempore imperavit, ex ipsis etiam numis Latinis ejus Augusti: AETERNITAS. AVGG. — CONCORDIA. AVGG. non obscure colligitur. Nam socium imperii saltem sibi agnitum non habuit; ergo vocabulo AVGG. intelligi alius non potest, quam Aemilianus, et uxor Augusta.

Verum ejus prænomen *Caiae* ex numis Latinis, et Iulienfium Phrygiae tam Haymii, quam Pellerinii stabilitur, at Vaillantius et Sestinius oblato ex numis suis FN. *Cneam* faciunt.

PRETIUM.

Idud facile colligitur ex recitatis ejus numis, nam alii praeterea ad hos usque tempus cogniti non sunt.

VALERIANVS.

P. Licinius Valerianus natus nobili genere patre Valerio. Post obitos varios magistratus consul fuit saltem anno V. C. 990. Nam anno sequente, quo Gordiani duo in Africa Augusti dicti sunt, ab his Valerianus consularis Romam missus dicitur a Zosimo. At praeclarum senatus de eo judicium tum maxime patuit, quando Decio veterem ac diu intermissam censuram revocante, et censorem a patribus postulante communi- bus horum suffragiis gravissimo huic muneri unus idoneus habitus est. b) V. C. 1006 Aemiliano in Moesia imperium arripiente datum Valeriano negotium a

Treboniano, ut perduellem armis ad obsequium revocaret. Et magnum jam quidem exercitum in Rhaetia et Norico contraxerat; verum audito, Aemilianum jam viam in Italiam praecepisse, sive desperata ignavi Treboniani salute Augusti ipse titulum capit, de qua ratione et ordine rerum ac temporis vide, quae supra in trib. potestate Treboniani disputavi.

V. C. 1006 P. X. 253.

TR. P. COS. DES. H. P. M. P. P.
C. Kib. Volusiano Aug. II., M. Valerio.
Max. cof.

a) Subplem. ad Vaill. p. 188.

b) Trebell. in. Valeriano.

Cum Augusti titulo trib. sibi potestatem arrogat, et sese in annum sequentem consullem designat. Filium Gallienum participem imperii facit. Aemilianus bellum in Trebonianum, ipse in Aemilianum apparat.

Desunt numi certi ad residuam hujus anni partem pertinentes.

V. C. 1007. P. X. 254.

TR. P. II. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
Valeriano Aug. II., Gallieno Aug. cof.

Bellum adversus Aemilianum fervet. Hoc Spoleti seu suorum fraude, seu morbo extincto Valerianus et Gallienus Augusti, et hujus anni consules agnoscuntur. (V. dicta supra in trib. pot. Treboniani.)

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS.
AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Iuppiter flans, aliive typi.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator ad aram sacrificans.* AR. (Mus. Caes.)

Omissus in hoc numo consulatus numerus, quod hac aetate frequenter?

V. C. 1008. P. X. 255.

TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.
Valeriano Aug. III. Gallieno Aug. II. cof.

Barbaris undique imperii latera fedicantibus Europaeos exercitus filio tradit, ipse bellum Persicum apparat. (Zosim.)

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS.
AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Impe-*
(Vol. VII.)

rator sedens d. globum, f. hastam. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Idem typus, sed imperator flans.* AR. (Band.)

Omissus iterum consulatus numerus.

V. C. 1009. P. X. 256.

TR. P. IV. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.

Val. Maximo II., Glabrione cof.

Franci et Alemanni Gallias, Gothi, Carpi, Borani Illyricum, atque ipsam Italiam infestant. Hinc perpetua bellorum series.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS.
P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. III. COS. III. P. P. *Solgradiens d. elata, f. flagellum.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1010 P. X. 257.

TR. P. V. COS. IV. P. M. P. P.
Valeriano Aug. IV., Gallieno Aug. III. cof.

Bellum praeter alia in Illyrico et Thracia duce Aureliano, de quo vide Tillemontium ad hunc annum.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS.
P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Solgradiens.* AR. (Band.)

Numus hic, si modo rite promulgatus, per trib. potestatem ad annum priorem, per consulatum ad praesentem pertinet. Sed de his dubiis agetur infra sub trib. potestate.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *typis variis*. AR. (Mus. Caes.) AE. II. (Band.)

V. C. 1011 P. X. 258.

TR. P. VI. COS. IV. P. M. P. P.

Memmio Tufco, Basso cof.

Valerianus adversus Saporem proficiscitur, qui capta jam omni fere Mesopotamia Antiochiam ipsam ferro atque igne populatus est. (Vide Tillemontium.)

Defunt certi hujus anni numi.

V. C. 1012. P. X. 259.

TR. P. VII. COS. IV. P. M. P. P.

Aemiliano, Basso cof.

Bellum Valeriani cum Persis, ejusque ducum cum Scythis Bithyniam, Moesi- am, Thraciam atrociter vexantibus. (V. ibidem.)

IMP. VALERIANVS. P. F. AVG.

Caput radiatum.

VICT. PART. *vel* PARTHICA. *Victoria stans d. clypeum, f. lauream, pro pedibus captivus sedens*. AR. (Mus. Caes. Band.)

Hic numus ad annum praesentem com- mode videtur referendus; nam sub Va- leriani in Syriam adventum satis pro- spera omnia, recepta Antiochia, cae- sus a suis Cyriades princeps hujus bel- li causa, qui que ipsum Augusti honorem attentavit.

V. C. 1013 P. X. 260.

TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P.

Cornelio Seculare II., Iunio Donato cof.

Hoc anno, ut plerisque visum, Va-

lerianus a Persis capitur. (V. infra in terminis imperii.)

Ad ejus aetatis opprobria, qua opu- lentissimae imperii provinciae barbaris impune in praedam cessere, Italia ipsa eorum vexationibus patuit, accessit ex- tremum, quo nullum adhuc Romano nomini funestius, imperator ipse extra imperii fines apud barbaros captivus. Quam indignis in ea captivitate modis sit habitus, ductus in triumphi morem per urbes amictus imperii insignibus, et onustus catenis, functusque scabelli vice, cum conscendere equum pararet Sapor, ex plurium testimoniis colligit Tillemontius. Inter tot tantasque inju- rias et fortunam calamitosam verisimile est, nihil aeque doluisse misero, quam quod filium reliquerat successorem rec- toremque imperii, quem paterni casus, tanquam haec ad filium non pertinerent, nulla tangebatur miseratio, neque, cum per oblata omnium provinciarum auxi- lia posset, ut patris dedecus ultum iret, eumque vinculis eximeret, permoveri ullo pacto poterat. Quot annos in eo statura duraverit, incertum. Tandem ex- coriatum vivum tradit Agathias, (alibi istud post mortem factum perhibent) e- jusque infelices exuvias ex templi tholo suspensas, ut essent terrori illis, qui hactenus terrarum orbem terrore com- plexerunt. Fuit iudicio Trebellii vir sum- marum virtutum, qui que jure merito- rum, et quasi ex totius orbis una sen- tentia supremum fastigium conscenderat, at Victori stolidus, multumque iners dic- tus est. Crediderim, hac tempestate aut magis prolapsam rem Romanam, aut majores fuisse barbarorum vires, quam ut adversum haec mala remedium

principi, nisi quem fortuna omnibus ornasset imperandi subsidiis, in proclivi fuisset. Eum a Gallieno, sed ad hoc obsequium coacto inter divos fuisse relatum tradit Trebellius, et quidem cum in vivis adhuc esset; nam nuncius de ejus morte falsus denique compertus est, quod testimonium confirmant numi, sed, quod observare necesse, solum Goltziani.

Vxores. Harum binas fuisse Valeriano, diserte docet Trebellius, qui alterum ejus filium Valerianum, alia, quam Gallienum matre natum adfirmat. *) Earum unam fuisse *Marinianam*, verisimile est, ut infra dicitur, eamque tori posterioris, ex quo editus Valerianus junior, eo colligitur, quod *divae* nomen passim in numis praefert, unde probabile, eam tum mortuam, cum Augusti uxor jam esset, atque in hoc fastigio coelestes honores adeptam. Quod fuerit priori nomen, et scriptores, et numi dicere neglexerunt. Conjicere subit, fuisse dictam *Gallianam*, a qua nomen filio, ut Domitiano a matre Domitia, Herennio Etrusco ab He-

rennia Etruscilla. Trebellius, quo loco narrat, Gallieni filium a multis dici Gallienum, a multis Saloninum, addit: *qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, et avi Gallieni summi quondam in rep. viri: b)* quod interpretor: *et ejus, qui fuit avus maternus Gallieni Augusti, et quod consequitur, abavus Salonini; Nam secus genealogia non cohaeret. Ergo verisimile, a Gallieno illo vetere vocatam filiam Gallienam, priorem Valeriani uxorem, ab hac filium Gallienum Augustum. Gallienae nomen habemus in famigerato numo aureo, quem infra in Gallieni numis contemplantur, et Gallienam Gallieni consobrinam memorat Trebellius in tyranno Celso. Verisimile quoque est, eidem mulieri alterum nomen fuisse *Egnatiae*, ut infra in nominibus Gallieni dicitur. Si verum dixit Trebellius, qui agens de Gallieno ejus fratrum filios memorat, c) necesse est, Valeriano praeter Gallienum et Valerianum jun. saltem unum adhuc fuisse filium.*

Defunt certi postremi hujus anni numi.

Numi vagi:

- A. IMP. C. (in aliis CAES.) P. LIC. VALERIANVS. AVG. Caput radiatum in AV. AR., laureatum in AV. AE. I. II. et max. mod.
- B. IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. P. F. AVG. Caput laureatum in AV. AR. m. m. AE. m. m. AE. I. II. radiatum in AR. ordinariis et AE. II.
- C. IMP. VALERIANVS. AVG. Caput radiatum in AR. AE. II.
- D. IMP. VALERIANVS. P. AVG. (in aliis PIVS. AVG. Caput radiatum in AR.)
- E. VALERIANVS. P. F. AVG. Caput radiatum in AR.
- F. IMP. P. LIC. VALERIANO. AVG. Caput radiatum in AR.
- G. IMP. VALERIANVS. P. F. AVG. Caput radiatum in AR.

a) in Valeriano jun.

b) in Salonino c. 1.

c) in Gallieno c. 11.

- H. **CONCORDIA. AVGVSTORVM.** *Capita adversa laureata Valeriani et Gallieni, in AR. m. m. item AE. m. m. I. et II.*
- I. **PIETAS. AVGVSTORVM.** *Eadem capita in AR. et AE. m. m. (Baldini.) nisi forte numi sic inscripti sunt potius Treboniani, ut mox in ADVENTVS observabimus,*

PIETAS. AVGVSTORVM. *Duo capita adversa laureata.*

ADVENTVS. AVGVSTORVM. *Impp. duo laureati equites pacificatoris habitu, praecedit Victoria d. lauream praetendens, sequuntur milites duo cum aquilis legionariis, pone alter cum vexillo. AE. m. m. (Mus. Albani.)*

Cl. Vénustus musei Albani editor in binis his capitibus Valerianum et Gallienum agnoscit. Verum eadem omnino averfa est in numo certo Treboniani, quem descripsi ad V. C. 1005, quo loco dixi, quam sit arduum definire capita, quando ea non suis nominibus, sed inscriptione vaga **CONCORDIA**, vel **PIETAS. AVGVSTORVM** notantur, et vultuum lineamenta in hujus aevi numis satis ambigua, praecipue cum eos aetas rosit, minus commode possunt discerni. Ex quo sequitur, in numos similes etiam Treboniano et Volusiano jus esse posse. Nihil decido, nam video, in numis frequentibus, qui potiora habent pro Valeriano suffragia, simillimam esse averfam.

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Caput puerile nudum a dexteris, eique adversum virile barbatum laureatum.*

ADVENTVS. AVGG. *Tres equites Augusti pacificatoris habitu, praecedit Victo-*

ria, comitantur milites cum signis suis, in imo duo captivi sedentes. AE. m. m. (Buonarroti Osserv. p. 329.)

Similis adversa.

ADVENTVS. AVGG. *Duo equites Augusti, reliqua ut in praecedente, sed sine captivis. AE. m. m. (Mus. Pisani tab. 68.)*

la explicando numo priore multum sese torlit eximius Buonarrotius, dum denique adfirmare se posse crederet, caput puerile esse Salonini, adversum alterum patris Gallieni, signatumque hunc numum, quando Valerianus in Rhaetia adclamatus imperator primum urbem intravit. Sin istud, tres equites partis averfae erunt Valerianus senior, Gallienus, et Saloninus. At Mazzolenus caput juvenile numi alterius Pisaniani adferit esse Valeriani junioris, alterum barbatum fratris Gallieni, melius, me judicé, cum Buonarrotto Saloninum dixisset. Satis ex his apparet, quam in hujus generis numis omnia sint incerta et fluctuantia. Caput filii parte dextera, nobiliore adeo loco constitutum legem arguit novam, et superiori aevo ignotam. Monendum Buonarrotiano similem jam ex Vaillantio esse cognitum, sed qui eum inique, ut videtur, Philippis tribuit, a) ut jam in horum mone- ta observavi. Adeo viri artis nostrae peritissimi in distribuendis rite his numis dissenfere.

a) Num. praef. p. 187. ed. Rom.

Vt lit. A.

AETERNITAS. AVGG. *Sol togatus capite radiato gradiens d. elata, f. globum.*
AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

AETERNITATI. AVGG. *Sol rejecto post tergum palliolo stans d. elata, f. globum.*
AR. (Mus. Caes.)

Aeternitatem typo Solis adumbrari jam alias vidimus, sed istud singulare, quod togatus proponitur in numo ex his binis priore.

Vt lit. A.

AETERNITATI. AVGG. *Vir barbatus velatus et togatus stans f. harpam tenet.*
AR. (Mus. Caes.)

Novus hic aeternitatis typus in numis Valeriani, tum et Gallieni, at magis reconditus et aruditus. Bandurius id, quod figura manu tenet, acrostolium dixit, ^{a)} quod tamen luculenta harpa est, seu falx, qualis heroi Perseo in monumentis veteribus tribui solet. Taninius hac in imagine Plutonem agnovit. Ista praesentis numi effigie intelligendum Saturnum ut dubitari non potest, sic tamen propter virorum insignium iteratos lapsus necesse video copiosius comprobare. Saturni certa indicia faciunt harpa, barba, velum capiti inductum, eique imminens globus. Harpa et barba nunquam ab ejus imaginibus absunt. Harpae causa in vulgus cognita, qua vindice patrem Uranum generationi ineptum reddidit, quod liquido demonstrat Hesiodus. ^{b)} Praeter hanc Romani

aliam falcis causam dedere. Hos inter ait Varro teste D. Augustino: ^{c)} *Saturnus falcem habet propter agriculturam.* Macrobius: ^{d)} *Simulacrum ejus indicio est, cui falcem insigne messis adjecit. Huic deo insertiones furculorum pomorumque educationes, et omnium ejuscemodi fertilium tribuunt disciplinas.* Cyprianus: ^{e)} *Rusticitatis hic cultor fuit; inde falcem ferens pingitur.* Atqui ipse deus de se praedicat apud Prudentium: ^{f)}

*Vitibus incurvum, si qua est ea cura,
putandis*

Procuram chalybem.

Quae quidem testimonia praeclare stabilit marmor apud Sponium: ^{g)} DEO. ARVALO. SATVRNO, si modo sincerum illud praestare velimus, nimirum quod is *arvorum* cultum docuisset, a quo adeo dictus est perinde *Arvalus*, atque fratres *Arvales*. Raro abest velum, huic deo judice Winkelmanno sic proprium, ut adserere non dubitet, caput velatum in diis nostri sexus haberi posse pro signo *ετακρητικω* Saturni: ^{h)} Martiano Capellae dicitur *glauco amictu tectus caput* in concilium deorum intrasse. ⁱ⁾ Additum forte velum ad exprimendam ejus dei naturam, quod *αγκυλομητης* passim a poetis dicitur, id est: *dolosa consilia mente agitans*. Globus tum tantum ejus capiti imponitur, cum Saturnus plane ta intelligitur.

Certam ejus dei effigiem habes in monumentis sequentibus magis conspicuis.

a) Pag. 104.

b) Theog. v. 173. seq.

c) de Civ. Dei L. VII. c. 19.

d) Saturn

L. I. c. 7.

e) de idol. van. sub init.

f) in Symmach. L. I. v. 49.

g) Misc. p. 115.

h) Mon. ant. p. 13.

i) de Nupt. L. I. c. 17.

Caput barbatum velatum prominente pone harpa imposito superne globo, in jaspide sanguinea, edita in Mem. Acad. inscr. T. I. p. 279. Simili cultu compareret in numo Alexandrino Antonini Pii, quem eleganter explicat Barthelemyus. ^{a)} In alio ejusdem Augusti Alexandrino stat palliatus velatus cum globo supra caput s. harpam, d. crocodilum, nempe ut aliquid haberet Aegyptii. ^{b)} Caput, quod jaspidi insculptum dixi, Gallandus adseruit esse Plutonis, at quod mirere, Montfauconius M. Aurelii. Quam mira et absurda in eo viderit Baudelotius, piget referre. In denariis gentium Neriae et Noniae habetur caput nudum addita pone harpa. Quam inconcinnè Vaillantius et Havercampus illud esse Ditis adfirmaverint, in eorum examine dixi, restituto, ut oportebat, Saturno, et stabilita causa, propter quam his denariis est illatus. In marmore anaglypho apud Sponium ^{c)} existat caput barbatum velatum adstituta harpa, sed quam Sponius invitam inter Solis attributa retulit. Harpa armatus comparet Saturnus in choro septem deorum planetarum, a quibus hebdomadae dies nomina sua sunt mutuati, quos propositos habes in Picturis Herculanensibus, ^{d)} et in Theca regia calamaria, a Iacobo Martorello toto eruditionis nisu explicata. Denique complures Saturni effigies ad memoratum supra morem exactas reperies apud Winkelmannum. ^{e)}

Animadvertendum hoc loco praeter-

ea, Saturni harpam in melioribus antiquitatis monumentis formatam esse instar harpae, quae Perseo heroi tribuitur, in binas cuspides exeuntis, quarum una curvatur; rarius habet formam cultri simplicis brevioris, sed hujus quoque curvata cuspide. Minus ad veterem formam exacta est falx in numo Heraclaeae cum capite Elagabali, quem vulgavit Patinus, ^{f)} in quo fingitur Saturnus alatus gradiens, et utraque manu tenens falcem oblongo manubrio praefixam ejus plane formae, qua hodie messores ruri opus facere videmus. Enimvero cum ex praecepto Virgilii oporteat vinitorem *curvo Saturni dente* addondere vitem, ^{g)} intelligimus, hanc falcem fuisse ejus naturae, ut una manu facile regeretur. In argenteo, quem edidit Morellius inter incertos, quos familiarum numis in fine adjecit, ^{h)} capiti Saturni oblongior ejusdem formae falx adstituitur, item in gemmis apud Mariettum, ⁱ⁾ et alia apud abbatem Braccium. ^{k)} Verum haec monumenta, etsi antiqua demus, recentioris sunt aevi, et forte horum pleraque artis moderna. In denariis gentium Memmiae et Serviliae Caepionum Saturni harpa est instar cultri incurvi serrati, seu dentati. Videtur haec forma omnium vetustissima. Iam enim Hesiodus eam dixit *καρχαροδοῦρα*, id est: falcem *asperis dentibus*. ^{l)} Quae causa fuerit, cur Nicanter horrentem perniciosus dentibus hippopotami maxillam harpae adsimilat: ^{m)}

a) B. L. T. XLI. p. 501. b) Mus. Borg. p. 169. c) Miscell. p. 3. d) Tom. III. tab. 50. e) Stolch Pierr. grav. P. 33. f) Num. impp. p. 266. g) Georg. II. 406. h) Tab. IV. lit. L. i) Part. II. n. 2. 3. k) de ant. sculptorib. p. 153. l) Theog. v. 175. m) Thesiae, v. 566.

Η ἴππῃ, ἔον Νειλος ὑπερ Σαιν ἀιθαλοεσ-
σαν
Βοσκει, ἀρρησιῶν δε κακῆν ἐπιβαλεται
ἀρπην.

Aut equi, quem Nilus supra Sain ar-
dentem

Pascit, arvis vero exitialem injicit har-
pam,

observante ad hos versus Icholiasta: ἀρ-
πη δε σημαίνει μεν δρεπανῆν, νυν δε τῆς ὀ-
δοντας λέγει, *harpā quidem falcē signifi-*
cat, sed hoc loco intelligit dentes. Atque
haec quidem ad cognoscendas veras Sa-
turni imagines non inutiliter credo esse
disputata.

Iam vero qua ratione Saturnus cum
epigraphe *Aeternitas* connectatur, in-
quirendum. Solitum aeternitatis symbo-
lum veteribus fuisse habitum solem, a-
lias vidimus. Saturnum eundem fuisse
cum sole, docebit Macrobius: *) *Sa-*
turnus ipse, qui auctor est temporum, et
ideo a Graecis immutata litera Κρονος
quasi Χρονος vocatur; quid aliud nisi sol
intelligendus est? Idem alibi prolixè do-
cet, Saturnum esse idem, quod tempus,
et omnis generationis auctorem. b) Ex
Graecis Euripides *tempus* eleganter vo-
cat *Saturni filium*, αἰῶν τε Κρονος παῖς, c) et ne desint frigida, Lucilius apud Ci-
ceronem dictum *Saturnum* putat, quia
satiretur annis. d) Unde et exclamat Li-
banius: e) *Κρονε, Πατηρ ἐνιαυτοῦ καὶ μηνῶν,*
Saturne pater anni et mensium. Cum ergo
aeternitas componatur ex tempore sibi
perpetuo succedente, videmus, ad ean-
dem notandam jure adhiberi Saturnum.

Et vero hic ejus typus tanto est oppor-
tunior, quia qui aureae in Latio ae-
tatis conditor ferebatur, auream quo-
que aeternitatem praestare potuit.

Vt lit. A.

BONAE. FORTVNAE. *Fortuna stans d.*
gubernaculum, f. cornucopiae. AR. (Vaill.)

Bona Fortuna, Graecis *Αγαθῆ Τυχῆ.*
Ea geminum Romae templum habuit,
unum in foro boario conditum a Servio
Tullo teste Dionysio Halic., alterum in
Curia Hostilia aedificatum a M. Lepido
in gratiam Caesaris teste Dione.

Vt lit. B.

CONCORDIA. IIII. EXERCIT. S. C.
Mulier stans d. pateram, f. cornucopiae.
AE. I. (Tanini.)

In filio Gallieno legitur: CONCOR-
DIA. EXERC. VIII. Vide, quae de in-
certo similibus numerorum sensu infra ad
legiones Gallieni notabo.

Vt lit. A.

CONSERVAT. AVGG. *Apollo nudus stans*
d. ramum, f. lyrae innixus, adstat Diana
succincta d. telum ex pharetra promens, f.
arcum. AR. (Mus. Caes.)

Cogniti numi, qui cum hac epigra-
phe Apollinem solum exhibent, sed non-
dum cognitus, qui sororem Dianam
sociasset. Rationem utriusque hoc aevo
praecipue culti attuli in Aemiliano.
Praeclare ad hunc numum observat
Khellius, ut tristes Niobes casus, ita et
gravem tum pestilentiam utriusque irae
fuisse tributam.

a) Saturn. L. I. c. 22.

b) Ibid. L. I. c. 8.

c) Heraclid, y. 900.

d) Nat. decor. L.

L. c. 25.

e) Orat. VIII, T. II. p. 249.

Vt lit. E.

DEO. VOLKANO. *Templum quatuor columnarum, in quo Vulcanus stans ante incudem d. malleum, s. forcipem tenet.* AR. (Muf. Caef.)

Inter deos, quos propter ejus aetatis mala a Romanis fuisse invocatos ex Valeriani, ac praecipue Gallieni numis novimus, etiam fuisse Vulcanum, hic numus docet, atque istud tanto aptius saeviente tum peste, quod ignis, qui idem cum Vuleano habitus, aerem corruptum purificat. Auctore Plutarcho^{a)} jam Romulus templum Vulcano posuit, sed extra urbem. Plures is causas in medium profert, propter quas placuerit regi, Vulcanum urbe excludere. Inter incertas alias hanc quoque lectoris arbitrio permittit: cum videret Romulus, jam inde a principio Romam incendiis vastari, censuisse, honorandum quidem deum, sed a moenibus arcendum. Ex simili causa Aesculapii templum extra urbem fecere Romani, tam scilicet perniciofa credita arte medica, quam igne.^{b)} Neque tamen Romulus magnopere qualicumque hoc Vulcani cultu urbi suae providit. Non aliam magis urbem tantum incendiis fuisse adstrictam legimus cum strage non privatarum modo aedium, sed et publicarum, quales fuere circi, basilicae, templa, curiae, quas operis firma compages aduersum flammaram furias tueri debuerat. Conflagravit templum Capitolinum V. C. 674 temporibus Sullanis, iterum V. C. 822 turbis Vitellianis, atque ita,

ut nova substructioni fundamenta essent agenda. ^{c)} Vixdum revixit urgente Vespasiano, arsit iterum paucos post annos imperante Tito ipsis columnis flammaram rabie ita vitiatas, ut cogeretur restitutor Domitianus novas magno sumptu comparare ex Attica advectas. ^{d)} Non memini, in causas tantae ruinae, quae olim urbium reginam non minus, atque hodie male materiata Poloniae Rufsiaeve oppida adflixit, ab erudito quopiam data opera fuisse inquisitum. Quam Bianconus causam inducit circum et amphitheatrorum ignis vehementia corruptorum, plane infirma est. ^{e)} Aptius malum istud Scipio Maffei in superimpositas amphitheatris contignationes ligneas confert. ^{f)} At constat etiam, praestantissimis Romae veteris aedificiis saepe nimium materiae fuisse adjectum. De Vitelliano templi Capitolini incendio Tacitus: ^{g)} *mox sustinentes fastigium aquilae, vetere ligno, traxerunt flammam, ahueruntque*, praescribente etiam ipso Vitruvio: ^{h)} *in araeostylis autem nec lapideis, nec marmoreis epistylis uti datur, sed imponendae de materia trabes perpetuae.* Haec de Roma veteri. Roma moderna etiam ejecto Vulcano haec funera ignorat, peritioribus, ut existimo, hac parte architectis nostris, certe cautioribus, ac forte etiam ob repetitas has calamitates aevi sui architectis iratior Martialis dixit: ⁱ⁾

*Si duri puer ingeni videtur,
Praeconem facias, vel architectum.*

a) Quaest. Rom. 44.

b) Plin. L. XXIX. § 8.

c) Tacit. hist. III. 72. IV. 53.

d) Plut. in Poplic. p. 105. A.

e) Descriz. dei Circi p. XXX.

f) degli Anstreatr. L. II.

g. 12.

g) Hist. L. III. 71.

h) L. III. 2.

i) L. V. ep. 57.

Sane si quis hodie existeret Heroftratus, qui cuperet magnificentissimam Romae D. Petri basilicam flammis abolere, modum, quo facinus patrare posset, non reperiret.

Vt lit. C. et D.

GALLIENVS. CVM. EXER. SVO. *Basis cum epigraphe IOVI. VICTORI, cui insistit Iuppiter d. fulmen, s. hastam.* AR. (Band.)

Cum hoc conjungo numum Gallieni:
IMP. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

IOVI. VICTORI. *Basis cum epigraphe IMP. CES.; cui insistit Iuppiter d. fulmen, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Dictum supra, Valerianum, cum ipse Orientis rebus animum adverteret, Gallieno exercitus Europaeos commisisse. Igitur Gallienus relata victoria quapiam, quam sese debere Iovi profiteri voluit, statuam huic deo *Victori* exercitu vota jungente gratus posuit. Ducente priore numo intelligimus, epigraphen alterius IMP. CES. legendam: IMPERATOR (Gallienus) *Cum Exercitu Suo*, ut jam advertit Bandurius.

Vt lit. B.

GERMANICVS. MAX. TER. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Band.)

Numum hunc propter additum TER. omnibus elogiis ornat Bandurius, additque, non exflare alterius imperatoris numum sic. inscriptum. Tamen eadem plane averfa est in numo Gallieni musei Caesarei. Vterque igitur Augustus ob victorias a Gallieno de Germanis

(*Vol. VII.*)

relatas se vocat *Germanicum Maximum*, et quidem *ter* ob relatas trinas. Infra videbimus, Gallienum se vocare *Germanicum Max. V*, nempe *quintum*. Plura Gallienus exempla suppeditabit, fuisse hac aetate victorias numeratas, velut quondam ex victoriarum numero auctus imperatoris titulus.

Vt lit. A.

IOVI. PACATORI. ORBIS. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastae innixus, pro pedibus aquila.* AR. (Band.)

Epigraphe nova, et mirum, huc adactum Iovis pacatoris orbis titulum ea tempestate, qua totus orbis ingenti omnium populorum motu quatiebatur. At enim aliorum fati constat, numerum typos saepe a votis publicis fuisse imperatos.

Antica varia.

LIBERALITAS. AVGG. *addito etiam I. vel III. Typi varii Liberalitatis.* AV. AR. AE. I. II. (Band. Mus. Caes.)

PIETAS. AVGVSTORVM. *Capita adversa laureata Valeriani et Gallieni.*

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes.* AR. m. m. (Mus. Albani.)

Vt lit. B:

PONTIFF. (*sic*) MAX. TRI. P. P. P. *Quadrigae triumphales cum rectore, quibus insistit averfa Victoria, quae Valerianum pone currum stantem porrecta dextera, ut eum conscenderet, hortatur, dum interim Mars in aere libratus idem beneficium Gallieno offert, humi duo captivi sedentes.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

ccc.

Non licuisset ex numo aliqua sui parte vitiatum tam confidenter describere typum, nisi succurrisset numus maximae formae Philipporum musei Albani cum epigraphe GERM. MAX. etc., qui idem omnino argumentum continet, quem vide. Quoniam vitium eam numi partem laesit, quae manifestum Martem silesse debuerat, factum, ut eruditi, qui eundem vulgaverat, multum a vero aberrarent. Ejus typum Froelichius his verbis promulgavit.^{a)} *Quadriga equorum regente puero; Victoria currui averfa insistens vas aliquod a duabus figuris sustentatum elevat, ad rotam currus duo captivi sedentes.* At Baldinus: ^{b)} *Quadriga triumphalis, in qua puer habenas regit, et stat Victoria intra currum amphoram deferens, quam duae figurae a tergo sustentant.* Minus culpandus Froelichius, cui laudatus numus Albanianus ignotus fuerit, at vix excusandus Baldinus, qui nobis utrumque numum aeri incisum, et satis quidem vicine, exhibuit pag. 186 et 200, habuitque sit praesto exemplar nitidum, quo aegrum sanaret. Iusta haec videatur animadversio propter praestantiam typi, qui bellam offert imaginem principis honores triumphales seu promeriti, seu ad eos aspirantis.

Vt lit. B. et C.

RELIGIO. AVGG. *Diana venatrix stans d. telum e pharetra promit, s. arcum.* AR. AE. II. (Band.) Similis est in museo Caesareo, sed scriptum: LERIGIO.

Quam impense Valerianus Dianae cul-

tui deditus fuerit, non modo testatur numus jam altius propositus, sed etiam templum ejus deae, quod *Dianae Valerianae* vocat Sex. Rufus positum in regione VI.

Vt lit. B.

VICTORIA. G. M. *Victoria stans, pro pedibus captivus sedens.* AE. III. (Mem. Trev. in Mart. 1709.)

Vide numos Gallieni similis argumenti.

Vt lit. A.

VOTA. ORBIS. *Duae Victoriae clypeum palmae adfigentes, cui inscriptum S. C. AR.* (Mus. Caes.)

Eadem averfa est etiam in moneta Gallieni. Liberalius in numis Constantini M. VOTA. ORBIS. ET. VRBIS.

Numi reliqui: ORIENS. AVGG. omnium maxime obvii, RESTITVT. GENER. HVMANI. — RESTITVTOR. ORBIS. — RESTITVT. ORIENTIS, gloriosius omnia dicta, quam verius.

Numi commatis peregrini.

Numos ejus non paucos habemus per *urbes liberas, colonias, et Alexandriae* signatos. Horum aliquos mox dabimus.

Nomina ac tituli.

Praeter nomina jam cognita aliud *Colobii* memorat Victor in Epit. ex monumentis ignotum.

Germanicus Maximus dicitur in numis et marmore Muratorii. ^{c)} Additur *Ter*

a) Cimel. Vindob. P. II. p. XXII. 460. 5.

b) ad Vaill. num. praest. T. III. p. 202.

c) Pag.

in numo singulari, quem supra in vagis produxi.

De terminis imperii Valeriani.

Cum ipsi veteres in definiendis Valeriani annis variant, nequaquam mirum, variare etiam nostrae aetatis chronologos, de quorum variis sententiis, ne jam praeclare tractata recoquam, vide diligentissimum Tillemontium.^{a)} Eorum opinio maximam habet veri speciem, qui eum a Persis captum V. C. 1013 P. X. 260 statuerunt, praecipue propter leges non paucas eodem adhuc anno a Valeriano subscriptas, etsi harum testimonia quam sint infirma, satis compertum. Verum in spissis tenebris quaecunque lumen etiam suspectum sequimur.

Consulamus jam monumenta, quae eruditis his viris fuere ignota. In marmore Muratorii^{b)} memoratur Valeriani trib. potestas VII., quae, ut vidimus, fluxit cum anno V. C. 1012 P. X. 259. Eam numi hactenus cogniti non produnt praeterquam Goltziani. Belleyus numum Augustae Ciliciae cum anno AMC, 241, vulgavit.^{c)} Ejus pars adversa caput Valeriani sen. sistit. Coepit hic Augustae annus in autumno V. C. 1013, ex quo infert Belleyus, certum

fieri ex hoc numo, sub hunc autumnum sui adhuc juris fuisse Valerianum. Idem comprobatur numus Aegarum Ciliciae cum anno ZT, 307, et Alexandrinus L. H. citatus a Bandurio, qui pro Aegyptiorum calculo feriri non potuit ante diem XXIX. Augusti V. C. 1013 P. X. 260.

Verum haec argumenta tum solum valebunt, cum quis evicerit, ex quo Valerianus captus fuit, non amplius ejus nomine monetam per provincias primo praecipue alterove captivitatis anno fuisse signatam, quod probare difficile erit. Nam etsi captus, imperator tamen esse non desit, recuperaturus certe cum libertate imperium, nisi malo fato aut impotentem, aut impium habuisset filium. Ipse Tillemontius profiteri non dubitat, non adversari historiae, si jam inde ab anno P. X. 256 captus statuatur.^{d)} Quare potuit cum in describendis legibus, tum in feriunda moneta ejus tanquam adhuc imperantis haberi ratio usque denique ad annum 260, quo tempore aut ejus coepit obliterari memoria, aut desperari libertas, aut diem supremum revera obiit.

Tribunicia potestas.

De hac agetur in tractatu singulari.

PRETIUM.

Commatia Romani:

Aurei

RRR.

a) Nota XI. in Valerian. Nota cit.

b) Pag. 460. 5.

c) Mem. B. L. T. XXVI. p. 406.

d)

Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Argentei et aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
<i>Commatis peregrini :</i>									
Omnes hujus generis	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

MARINIANA.

Fuisse Marinianam Valeriani alteram uxorem, a Sapore Persa una cum marito captam, et ante hunc in captivitate Persica mortuam, consecratam denique a Gallieno, et Valeriano juniore, tanquam certum et indubitatum vendit Vaillantius, ^{a)} et post eum Beauvaisius. Ex quibus fontibus, cum haec scriberent, sese proluerint, ignoro. Istud novi, eorum partem esse adhuc incertam, partem aperte falsam. Rationem, cur hactenus antiquarii Marinianam Valeriano sociaverint, aliam non habuere, nisi quod numos Marinianae nomine inscriptos ejusdem esse fabricae, cujus sunt Valeriani, repperunt. At vero potest haec lex in numis intra paucos annos percussis fallere. Quaestionem plurimum illustrat numus Viminacii olim a Froelichio editus, ^{b)} qui praeter caput velatum DIVAE MARINIANAE offert annum epochae XV. Cum annus Viminacii XV. conspiret cum anno V. C. 1007, istud saltem certo tenemus, Marinianam ad Valeriani imperium pertinere. Tamen ex eo certi nondum sumus, fuisse eam huic quoque junctam matrimonio; nam poterat esse Valeriani soror, aut filia. Interea cum ex Trebellio constet, huic saltem binas fuisse uxores, verisimile est, ha-

rum alteram fuisse Marinianam, ex qua filium alterum Valerianum jun. genuerit, eamque paullo post susceptum imperium defunctam, consecratamque. Ceterum fabulas narrare Vaillantium, cum maritum in Persiam comitatam refert, idem hic Viminacii numus comprobatur, ex quo discimus, jam fuisse mortuam V. C. 1007, expeditione Persica pluribus serius annis suscepta.

Numi :

DIVAE. MARINIANAE. *Ejus caput velatum. In argenteis, et nonnullis AE. II. praeterea super luna bicorni.*

CONSECRATIO. *Pavo cauda explicata.* AV. (Mus. C. de Vitzai.) AR. *et addito* S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

CONSECRATIO. *Pavo Marinianam d. elata, s. hastam tenentem sublime effert.* AV. (Band.) AR. AE. II.

Eadem adversa.

FELICIT. DEORVM. *Mulier flans d. caduceum oblongum, s. cornucopiae.* AR. (Band.)

Numus etiam propter epigraphen adhuc inusitatam singularis.

^{a)} Num. praest. Tom. I. edit. Rom.

^{b)} Appendic. novae.

Numi commatis peregrini.

Tantum Viminacii ad hoc usque tempus cogniti:

DIVAE. MARINIANAE. *Caput velatum.*

P. M. S. COL. VIM. AN. XV. *Mulier stans inter taurum et leonem.* AE. I.

Infigis hic numus servatur in museo

Caesareo. Alium geminum Froelichius citat ex museo privato Vindobonae. ^{a)} Tertium vidi item apud nos in praeclaro museo Neumanni. Istud ipsum, quod dempto hoc nullus adhuc visus alterius urbis, argumento est, Marinianam mortuam, cum Valerianus vix degustasset imperium.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.R.R.R.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	B.

Commatis peregrini:

Vnius Viminacii modo laudati.

GALLIENVS.

Natus Valeriano ex prima uxore, cuius tamen nomen reticetur. ^{b)} Fuisse matri nomen Gallienae, supra in uxoribus patris verisimile dixi. Patris fortunae suam quoque debuit, a quo, cum per Treboniani et Aemiliani mortem imperium occupasset, conlega adscitus est. Victor eum a senatu creatum Caesarem adferit, ^{c)} quod testimonium utrum verum sit, non decido. Numi certe cum solo Caesaris titulo nondum reperti, omnes eum *Augustum* pronunciant.

V. C. 1006 P. X. 253.

TR. P. COS. DES. P. M. P. P.

Anni hujus facta vide in patre.

Defunt certi hujus partis anni numi, nisi huc revocare velis eos, qui VOTA. DECENNALIA inscripta offerunt, ut colligi potest ex iis, quae ad V. C. 1016 notabimus. Vix tamen verisimile est, ei, ac patri hoc jam anno culam Romae fuisse monetam.

V. C. 1007. P. X. 254.

TR. P. II. COS. DES. II. P. M. P. P.

Consul cum patre consule II. procedit. Reliqua vide in patre.

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS.
AVG. *Caput radiatum.*

a) Appendic. novae.

b) Trebell. in Valer. jun.

c) in Caesarib.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *variis typis*. AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum*.

TRIB. POT. COS. P. P. *Mars d. hastam, f. clypeum tenens ad Rheam humi sedentem accedit*. AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)

Typus hic eximius jam in moneta Antonini Pii occurrit, ubi eum explicitum reperies, quo loco de ejus Augusti numis antiquitates Romanas restituentibus egi. Idem typus recurret ad ann. V. C. 1008 et 1013.

IMP. GALLIENVS. PIVS. AVG. *vel: GALLIENVS. AVG. Caput radiatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator paludatus d. hastam, f. sceptrum stat inter duos fluvios humi decumbentes*. AR. AE. III. (Bandur.)

Vix credam, numum hunc anno praesente signatum, et verisimile est omissos tribunatus et consulatus numeros, quod saepius in Gallieno factum observabimus. Sane typus domitum a se Rhenum et Moenum eloquitur. Infra ad V. C. 1012 eandem omnino averfam videbimus, solo dempto, quod in hac legatur TR. P. VII., ad quem annum pertinere etiam numum praesentem, jure suspicari licet.

V. C. 1008. P. X. 255.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

Consul II. cum patre consule III. proccedit. Pater Orienti intentus filio exercitus Europaeos, et bella adversum Francos, Alemannos, aliosque undique commotos barbaros gerenda committit.

* * *

IMP. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum*.

P. M. TR. P. III. COS. *Imperator velatus ad aram sacrificans*. AV. (Mus. Caes.) AR. (Band.)

Omissus in his consulatus numerus.

IMP. GALLIENVS. AVG. COS. II. *Caput laureatum*.

VIRT. GALLIENI. AVG. *Hercules nudus stans d. ramum, f. clavam et exuvias leonis*. AV. m. m. (Olim musei de France Vindob.)

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum*.

TRIB. POT. COS. II. *Mars galeatus nudus gradiens, ex adverso Rhea femunda humi decumbens brachiis erectis*. AV. (Mus. Pfau.)

V. C. 1009. P. X. 256.

TR. P. IV. COS. DES. IH. P. M. P. P.

Verisimile, gestum modo a Gallieno adversum Germanos bellum, ex quo sibi decora bellica peperit, de quibus agatur infra.

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum*.

P. M. TR. P. III. COS. II. *Imperator velatus ad aram sacrificat*. AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. AVG. GERM.

P. M. TR. P. IV. COS. II. P. P. *Sol gradiens*. AR. (Mediob.)

Si verus hic numus, dubitari nequit, jam hoc anno gestum cum Germanis bellum, et ex eo Gallienum *Germanici* titulum abstulisse. Forte numus hic idem est cum sequente certo.

V. C. 1010 P. X. 257.

TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.

Consul III. conlega patre consule IV. procedit. Ex repetitis de Germanis victoriis sibi ac patri *Germanici* titulum meretur.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG.
GERM. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Sol gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS.
P. F. AVG. *Caput radiatum.*
Eadem adversa. AR. (Mus. Caes.)

In his numis aut tribunatus, aut consulatus numerus peccat. De numis Germanica decora jactantibus, quoniam horum multi variis imperantis Gallieni annis signati videntur, agetur commodius in numis vagis.

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS.
P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *Sol stans.* AR. (Band.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Mars gradiens.* AR. (Band.)

V. C. 1011. P. X. 258.

TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.

Imperium in Gallia invadit Postumus. (Vide hujus numos.)

IMP. GALLIENVS. AVG. *Pro-tome radiata.*

P. M. TR. P. VI. COS. *Roma sedens.*
AE. III. (Band.)

V. C. 1012. P. X. 259.

TR. P. VII. COS. III. P. M. P. P.

Saloninum Coloniae Agrippinae captum interficit Postumus. Eum Gallienus inter divos refert.

GALLIENVS. AVG. *Caput redimitum corona spicea.*

P. M. TR. P. VII. COS. P. P. *Imperator paludatus stans d. hastam, f. sceptrum inter duos fluvios humi procumbentes.* AV. (Mus. Caes.)

Ad Rhenum et Mognum Gallieni victoriis nobilitatos referendus hic typus.
Antica varia.

P. M. TR. P. VII. COS. *typis variis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1013. P. X. 260.

TR. P. VIII. COS. III. DES. IV. P. M.
P. P.

Corn. Seculare II., Iunio Donato cof.

Hoc anno Valerianus pater a Persis captus creditur.

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. *Imperator sacrificans, vel Mars gradiens.* AR. (Mediob.)

Apud solum Mediobarbum reperiuntur hi numi, qui, si veri sunt, fallunt vel in numero trib. potestatis, vel consulatus.

Eadem adversa.

TRIB. POT. VIII. CONS. III. *Mars et Rhea, ut in numis ann. 1007 et 1008.* AR. AE. III. (Tanini.)

V. C. 1014 P. X. 261.
 TR. P. IX. COS. IIII. DES. V. P. M.
 P. P.
 Gallieno Aug. IV., L. Petronio Tauro
 Volufiano cof.

Valeriano apud Perfis detento, Gallieno propter ignaviam spreto non pauci per provincias imperium arripiunt. Hos inter Ingenuus in Moesia, sed qui a Gallieno victus cadit, Regalianus in Illyrico, Macrianus cum filiis in Oriente, minoresque alii. Balista sub Valeriano praefectus praetorio cum Odenatho Palmyrae principe Saporem Syria ejectum in ipsam Persiam persequitur, et rem Romanam in Oriente seu restituit, seu sustentat.

GALLIENVS, AVG. *Caput radiatum.*
 COS. IIII. P. P. *Processus Gallieni consularis.* AR. (Mus. olim de France Vindob.)
 IMP. GALLIENVS, AVG. COS. P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. S. C. *Figura stolata sacrificans.* AV. m. m. (Mediob.)
 Alium hujus numi testem sistere non possum.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. C. IIII. *Caput radiatum.*
 PAX. AVGG. *Mulier gradiens d. oleae ramum, s. hastam.* AE. III. (Tanini.)

Praeter hos exstant adhuc:
 P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. *Imperator in sella curuli.* AR. (Band.)
 P. M. TR. P. VII. COS. IIII. P. P. *Mars gradiens.* AR. (Mus. Caes. Band.)
 P. M. TR. VIII. COS. IIII. P. P. *variis typis.* AR. (Mediob.)

Has inscriptiones repugnare fastis, nemo non videt.

V. C. 1015. P. X. 262.
 TR. P. X. COS. V. P. M. P. P.
 Gallieno Aug. V., Faustino cof.

Forte hoc anno Gallienus de victis ab Odenatho Persis triumphat, quod factum refert Trebellius. Alii per imperium tyranni cadunt, alii exsurgunt.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG.
Protome Gallieni.
 P. M. TR. P. X. P. P. COS. V. *Imperator in quadrigis lentis.* AE. m. m. (Band.)

Potest hujus averfae typus aut Gallieni processum consularem, aut memoratum de Persis triumphum indicare. Hoc loco Bandurii Vaillantium opportune corrigit, qui, cum eundem numum vulgaret, pro COS. V., ut legere oportet, perperam obtrusit COS. II., quem eundem errorem rationibus chronologicis adversantem neglecto hoc Bandurii monito in nova Vaillantii editione restituit Baldinus. Si eodem exemplo omnes hactenus editi Gallieni numi novo examini subjicerentur, contractior certe esset syllabus ejus numorum adversus chronologiam peccantium.

IMP. GALLIENVS. AVG. COS. V. *Caput laureatum.*
 MONETA. AVG. *Tres Monetae stantes.* AE. I. (Mus. Caes.)
 GALLIENVS. AVG. *Protome Gallieni.*
 P. M. TR. P. X. COS. IIII. P. P. *Imperator in quadrigis triumphalibus.* AV. (Tanini) AR. (Baldini.)

Numi hi si verum enunciant, necesse esset, Gallieni trib. potestatem uno adhuc anno altius ordiri.

IMP. GALLIENVS. AVG. COS.

V. *Caput laureatum.*

VIRT. GALLIENI. AVG. *Hercules stans.*
AV. m. m. (Mus. Albani.)

V. C. 1016. P. X. 269.

TR. P. XI. COS. V. DES. VI. P. M.
P. P.

Albino II., Maximo Dextero cof.

Romam reversus vota decennalia solvit. (Ex numis.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XII. COS. V. P. P. *Serapis stans d. elata, f. hastam.* AR. AE. III. (Banduri.)

Numus hic cuius sententiae chronologicae repugnat. Quare aut in tribunatus, aut consulatus nota erratum.

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

VOT. X. ET. XX. *intra coronam quer-
nam.* AV. AR. (Band.)

Nimirum vota soluta decennalia, et suscepta vicennalia numus eloquitur. Narrat Trebellius, Gallienum capto Byzantio, ejusque praesidiariis contra datam fidem interfectis, tanquam rem magnam fecisset, ocyus convolasse Romam, atque ibi decennalia celebrasse. In horum novo apparatu, quem ex ingenio suo commentus est Gallienus, in quo nihil videre erat, nisi quod ultima amentia, et voluptas dictavit, describendo copiosus est Trebellius, quem (Vol. VII.)

adeat is, quem possunt imperantis deliria oblectare. Haec decennalium solennia memorantur etiam in numo Gallieni Alexandrino; inscripto: ΔΕΚΑΕΤΗΡΙΟΝ ΚΤΙΟΤ. L. I. Coepit autem Alexandrinorum annus X. die XXIX. Augusti anni superioris.

V. C. 1017. P. X. 264.

TR. P. XII. COS. VI. P. M. P. P.
Gallieno Aug. VI., Saturnino cof.

Odenathum Palmyrenum ob res adversum Persas praecclare gestas omnibus Augusti honoribus ornat, de quo plura infra in numis principum Palmyrae.

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XII. C. vel COS. VI. P. P. *Imperator eques pacificatoris habitu, vel: Leo capite radiato.* AR. (Band.)

GALLIENVM. AVG. SENATVS.
Protome laureata.

TR. P. XII. C. VI. P. P. *Imperator in quadrigis d. sceptrum cum aquila.* AE. II. (Tanini.)

V. C. 1018. P. X. 265.

TR. P. XIII. COS. VI. DES. VII. P. M.
P. P.

P. Licinio Valeriano II., L. Caesonio Macro Lucillo Rufiniano cof.

Quae facta huic anno tribuenda, incertum.

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XIII. C. VI. P. P. *Leo*

D d d.

gradiens, prae quo caput bovinum. AR.
(Mus. Caes.)

V. C. 1019. P. X. 266.
TR. P. XIV. COS. VII. P. M. P. P.
Gallieno Aug. VII., Sabinillo cof.

Ad hunc annum Tillemontius Bithyniam, et magnam Asiae minoris partem a Scythis milere vastatam refert. Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 1020. P. X. 267.
TR. P. XV. COS. VII. P. M. P. P.
** Paterno, Arcesilao cof.*

Gothi iterum Moesiam, Heruli Graeciam et Asiam vastant. Contra hos Gallienus in Graeciam proficiscitur.

*

*
GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XV. P. P. VII. C. *Neptunus dextero pede prorae navis imposito, s. tridentem.* AR. (Mus. Caes.) AE. III. (Band.)

Videtur typus ad Scytharum fortunam referendus, quorum multi, cum onusti spoliis Asiae domum reverterentur, aut naufragio, aut navali bello attriti perierunt, ut narrat Trebellius.^{a)} Postremae notae VIIC significare consulatum VII. non possunt, nam a reliqua epigraphe avulsae in imo numi segmento comparent, et exstant etiam eodem loco in numis FORT. REDVX, quin et in ipsius Saloninae numis nonnullis musei Caesarei.

V. C. 1021. P. X. 268.
TR. P. XVI. COS. VII. P. M. P. P.
Paterno II. Mariniano cof.

In Italiam propter Aureoli seditionem, qui sese imperatorem dixerat, revocatus in obsidione Mediolani, intra cujus muros eum compulerat, a conjuratis flagitiosum principem longius pertaesis interficitur mense Martio, (Vide in trib. pot.) aetatis L, ut diserte Victor in in Epitome.

Hunc exitum nactus est Gallienus, quem vitiis omnibus coopertum prodidere scriptores, quique non ad regendam rempublicam, sed ad desidiam et voluptatum intemperantiam vocatus videbatur, quo tempore divisum inter tot tyrannos imperium, barbarorum undique irrumpentium incurfiones, pestis inde a Treboniano saevientis repetita mala fortem, excelsum, et natum ad subita consilia animum postulabant. Ejus ingenium crudele, et in vindictam praiceps ex ejus potes epistola intelligere, qua Celerem Verianum ad perdendos eos, qui Ingenuo tyranno favere viderentur, hortatur teste Trebellio: *b) lacera, occide, concide; animum meum intelligere potes, mea mente irascere, qui haec manu mea scripsi.* Tam perversis moribus cum esset, nequaquam mirum, ad reliquorum scelerum cumulum accessisse etiam incredibilem impietatem, qua factum, ut posset siccis oculis videre patrem apud Persas captivum, et indignis modis habitum, et hanc unam injuriam ab homine, qui in reliquis omnes exquisitis poenis animadvertit, non fu-

a) Cap. 12.

b) in Ingenuo.

isse vindicatam. At enim satis constabat, maluisse eum patrem captivum, quam liberum, cujus severi mores perpetua fuere morum suorum censura. Quare non tam mirandum, fuisse aliquando principem hoc nomine indignum a suis caesum, quam ad domandum hoc monstrum tam serum repertum Herculem. Sunt tamen, qui mitius de Gallieno iudicent, ut observabo infra ad numum vagum cum epigraphe VBIQVE. PAX. Certe Zosimus impigrum eum potius navumque facit, et nihil de tanta flagitiorum colluvie memorat. Fuisse etiam tempus, quo bellum in Persas ad vindicandum patrem parabat, refert Trebellius. ^{a)}

Vxor *Corn. Salonina*, de qua infra.

Numi :

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XVI. COS. VII. *Mulier stans d. globum, f. hastam.* AR. AE. III. (Band.)

Numi vagi.

Horum, quoniam notae chronologicae jam plerumque absunt, et Gallieni imperium in annum XVI. duravit, incredibilis est copia. Eorum non pauci typos argumenti non ignobilis offerunt, ut adeo operae pretium videatur, iisdem describendis longius immorari. Lubet universam ejus monetam in IV. classibus tribuere, quarum I. Numina, II. nu-

mos expeditionis Germanicae, III. legiones, IV. numos vagos reliquos complectetur.

I. Numina.

Trebellius, postquam incursionibus barbarorum, bella civilia, et urgente peste, terrae motibus, marium exundationibus quasi maiorum quadam conjunctione concussas orbis partes edixisset, addit: *pax igitur deum quaesita inspectis Sibyllae libris, factumque Iovi salutare, ut praeceptum fuerat, sacrificium.* ^{b)} Ea causa invocatorum tot numinum, quae mederi his malis posse credebantur, et monetae ipsi infertorum, quorum hic syllabum damus.

Aesculapius.

CONSERVATOR. AVG. *Aesculapius stans cultu solito.* AR. (Band.) addito infra VIIC. AE. III. (Mus. Caes.)

Apollo.

APOLLO. CONSER. *vel: APPOLLINI. CONSERVA. Ipse nudus stans d. capiti imposta, f. lyram super columna, vel: Apollo stans d. ramum, f. lyram.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.) *vel: Ipse stans d. demissa lauri ramum, sinistro brachio serpentem circumvolutum.* AE. III. (Tanini.)

APOLLINI. CONS. AVG. *Centaurus arcum intendens, vel d. globum, f. gubernaculum.* In aliis: *Gryphus.* AR. AE. III. (Bayd. Mus. Caes.)

APOLLI. PAL. S. P. Q. R. *Apollo stans d. lyram, f. hastam.* AE. III. (Tanini.)

a) Cap. 3.

b) Cap. 5.

De numis similibus, et Apolline medico adfatim actum in Treboniano et Valeriano. Centaurus, cur ad significandum Apollinem servire jubeatur, inquirendum. Refert Hyginus, fuisse eum filium Euphemes Musarum nutricis, quin et earum *συντροφον*, et habitasse in monte Helicone, et cum Musis solitum delectari, nonnunquam etiam venatuz exivisse. Has subinde ab Iove impetrasse, ut in astrum, quod Sagittarium dicimus, transformaretur. ^{a)} Sed Eratosthenes Chironem Centaurum fuisse, qui in sidera relatus est, scribit, ^{b)} quem ipsum artem medicam ex herbis primum instituisse docent Hyginus, ^{c)} et Plinius. ^{d)} En rationes, ob quas Centaurus ad Apollinem, seu Musarum, seu medicinae praesidem facile pertineat. Cur globum, et gubernaculum manu teneat, mihi ignotum. Centaurus est etiam in numo Tetrici jun. cum epigraphe: SOLL CONSER.

Gryphum Apollini, sive Soli fuisse sacrum, docet Philostratus. ^{e)} In numis Aureliopolis Lydiae ejus currum trahunt. Vide, quae alia argumenta collegi ad numum Teiorum Ioniae in meis Numvet. p. 206.

De Apolline Palatino egimus in numis Augusti, et Commodi.

Augustus.

DEO. AVGVSTO. *Caput Augusti laureatum.* AV. (Band.)

Hic numus persuasit Bandurio aliisque, numos consecrationis non coaevos

iis Augustis, quorum capita praeferunt, constantes argento viliores et fabrica, Gallieno imperante fuisse cufos. Verum de probabili aetate horum numorum agemus opportunius in tractatu de numis consecrationum. Augustus, quia appellationis hujus fuerat auctor, ut successoribus suis ipse deus consuleret, a Gallieno advocatur.

Castor.

CASTOR. *Ipse stans equum freno retinet.* AR. (Mem. Trevoux 1723 Aout p. 1500.)

Eadem averfa est in numis Getae Caesaris, unde explicationem pete; atque etiam in numo Postumi.

Diana.

DIANAE. CONS. AVG. *Cervus vel cervae stans.* AR. AE. III. (Mus. Caes.)

Hercules.

HERCVLI. CONS. AVG. *Aper.* AR. (Mus. Caes.)

Aper Erymanthus Herculis gloria, res in vulgus nota.

Ianus.

IANO. PATRI. *Ianus biceps vultu uno barbato, altero imberbi stans togatus d. pateram, s. sceptrum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 166. tab. V. n. 9.)

Cum altius definienda Iani forma oc-

a) Poet. astron. § 27. et fab. 224.
c) Vit. Apollonii L. III. c. 43.

b) Cataster 40.

e) Fab. 274.

d) L. VII. p. 414.

cuparer, ^{a)} non existimabam fore, ut deinceps adhuc ejus necessario facienda esset mentio. Aiebam tum, Iani simulacrum non aliter a veteribus nisi utroque capite barbato fuisse effigiatum. Quod si vel caput unum, vel etiam utrumque esset imberbe, aliud tum nomen, aut certe sensum quemcunque allegoricum esse intelligendum. Haec cum scripseram, ad numum praesentem animum non reflexi, in quo caput barbatum cum imberbi conjungitur, certo tamen Iano, quoniam epigraphe Ianum facit. Istud si verum, habent ii, qui in his varii cultus capitibus Ianum agnoscunt, atque hoc symbolo Ianum et aevi praeteriti memorem, et futuri providum significari volunt, etsi nulla istud veterum auctoritate adferant, validum in hoc numo sententiae patronum. At vero ausim iterum adfirmare, Ianum a Romanis semper non uno tantum, sed utroque capite barbato fuisse propositum, atque istud non modo temporibus reipublicae, sed Augustorum etiam, quod aperte demonstrat Ianus illatus numis Hadriani, Antonini Pii, et Pertinacis. Enimvero video in capiendō ex numis Iano non raro ab eruditis varie fuisse peccatum. Edidit Harduinus Vol. II. Plinii sui p. 611 numum Hadriani, in cuius averla vidit *Ianum trifrontem*. Ejus iconem dedit in praefixa volumini II. tabula X. n. 1. In ejus explicatione ait: *Sic prudentia principis commendatur, qui praeterita recolat, praesentia consideret, futura prospiciat.* Bosius, qui numum eundem in sua de Iano veterum disser-

tatione restituit, Ianum in hoc numo quatuor omnino capitibus oneratum adfirmavit, belle cum visis conspirante Servio, qui narrat, ^{b)} captis Faliscis inventum esse simulacrum Iani cum frontibus quatuor, cujus obiter meminit Macrobius quoque. ^{c)} At enim sunt in museo Caesareo ejusdem numi Hadrianei exempla duo, quae Ianum nonnisi bifrontem exhibent, et eodem omnino cultu, quo is fingitur in numo Antonini Pii primae formae cum epigraphe TR. POT. COS. III., quem dedi ad annum V. C. 893, tum et in argenteis Pertinacis. Ad haec non narrat Servius, Ianum hac forma Romae fuisse cultum, sed in Tusciae urbe sic repertum; quin idem Servius alibi facta Iani bifrontis mentione obiter tantum addit: *legimus tamen, Ianum etiam quadrifrontem.* ^{d)} Ergo permissum mihi puto conjicere, aut fallere iconismum Pellerinii, qui Ianum uno tantum capite barbato exhibet, altero imberbi, aut hoc aevo in ejus dei habitu aliquid fuisse contra morem veterem immutatum.

Iuno.

IVNO. REGINA. *Dea stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AR. (Mem. Trev. l. c.)

Iuppiter.

•
Hic rex deorum hominumque potiores, ut par erat, in eo cultu partes abstulit. Ejus praeterea causa fuit librorum

a) Vol. V. p. 214. XII. v. 198.

b) ad Aen. VII. v. 607.

c) Saturn. L. I. c. 9.

d) ad Aen.

Sibyllinorum praeceptum, ut cumpri-
mis Iovi Salutari sacrificaretur, ut su-
pra dixeram. Variis ergo nominibus,
etiam peregrinis Iovem suum in utram-
que tum, ut credibile, aurem dormien-
tem suppetias vocavere, quae hic ordi-
ne profero :

IOVI. CONSERVATORI. *Ipsè stans
vario cultu.*

IOVI. CONS. AVG. *Capra, nimirum
Iovi sacra, quod eum infantem nutri-
verat.*

IOVI. CRESCENTI. *Iuppiter infans
caprae insidens.* AR. (Mus. Caef.)

Numus hic in moneta Salonini ob-
vius.

PACATORI. ORBIS. *Iuppiter sedens
d. pateram, s. hastam, pro pedibus aequi-
la.* AR. (Mus. Caef.)

IOVI. PROPVGNATORI. — STA-
TORI. — VLTORI.

IOVI. VICTORI. *Imperator insistens
basi, cui inscriptum: IMP. CES. id est:
IMPerator Cum Exercitu Suo.* AR. (Mus.
Caef.)

Hunc numum jam explicavi in Vale-
riani numis vagis.

IO. CANTAB. *Iuppiter stans d. ful-
men, s. hastam.* AR. AE. III. (Band.
Mus. Caef.)

En peregrinum quoque Iovem, nempe
Cantabrorum Hispaniae, in partes
vocatam, vecorde jam Capitolino, qui
olim cum anseribus adfatim reip. pro-
spexerat. Quis fuerit hic Iuppi-
ter natione Cantaber, et quae tanta
ejus insignia facta, ut sufficere ad opem
ferendam videri potuerit, in veteribus
non reperimus.

Liber.

LIBERO. P. CONS. AVG. *Panthera,
in aliis leo, nempe Baccho, qui idem
cum Libero patre, sacri.* AR. (Mus.
Caef.) AE. III. (Band.)

Luna.

LVNA. LVCIFERA. *Dea cum capite
lunato gradiens facem praefert.* AE. III.
(Mus. com. de Vitzai.)

Mars.

DEO. MARTI. *Templum quatuor colum-
narum, intra quod Mars stans.* AR.
(Mus. Caef.)

MARTI. CONSER. *Mars gradiens.*
AE. III. (Tanini.)

Mercurius.

MERCVRIO. CONS. AVG. *Aries ma-
rinus.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caef.)

Aries jungitur cum Mercurio, quod
is prae ceteris tueri greges existimatur,
ut ait Pausanias. ^{a)} Aliam adhuc ejus
novit causam, sed quam commemorare
veretur, quod sibi ex Matris initiis
cognita est. Idem refert, apud Tana-
gram Boeotiae ejus stetisse templum *Crio-
phori* nomine, quia is circumlato per
urbem ariete pestem avertit. ^{b)} Haec
causa est, cur toties in veteribus monu-
mentis adstitutum Mercurio arietem,
aut praegestatum ab hoc arietis caput
videamus, praecipue cum aries teste
Artemidoro Mercurium ipsum repraesentat.

a) Cor. II. c. 3.

b) Boeot. L. IX. e. 22.

tet. ^{a)} Quo loco alienum non videtur monere, pro ariete nonnunquam poni hircum, velut in gemma musei ducis Aurelianensis, ^{b)} et in numo Corinthi L. Veri. ^{c)} Nimirum Mercurius cum Penelope deperiret, ut ea frui posset, hircum se adsimilavit, atque hoc facto Pannos pater exstitit, ut narrant Lucianus, ^{d)} et scholiasta Theocriti. ^{e)} Ceterum non adsequor, cur tributus Mercurio in hoc numo aries in piscem desinat, etsi facile fuit pictoribus et poetis veteribus, animalia quaevis, quae terra gignit, in pisces mutare. Vel unus Claudianus nobis tigrides, arietes, leaenas, juvencos marinos dedit, ^{f)} picturae Herculanenses adjecere equum, pantheram, taurum. ^{g)}

Minerva.

MINERVA. AVG. *Dea stans.* AE. III. (Tanini.)

Neptunus.

NEPTVNO. CONS. AVG. *Equus marinus.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Bapd.) In aliis: *Capricornus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Equum Neptuno sacrum habitum, vulgo notum. Alter numus typo capricorni Bandurio ignotus fuit. Iungitur cum Neptuno, vel quod in piscem definit, et aliquando inhabitavit Nilum teste Hygino, ^{h)} vel quod conchis marinis Titanas impetiit. ⁱ⁾ Adde causam aliam ex Manilio: ^{k)}

*Vltimus in caudae Capricornus acumine summo
Militiam ponto dictat, puppisque colendae
Dura ministeria, et vitae discrimen inertis.*

Existimat Bandurius, ^{l)} numum suum signatum fuisse ob victoriam navalem de Scythis in Euxino, de qua Trebellius, et confirmat sententiam numo inscripto: VICTORIA. NEPT. Verum falsam esse hanc ejus lectionem, infra in VICTORIA. AET. comprobabo. Ceterum ut hactenus id genus numos plerisque in deorum honorem ad avertenda urgentia mala signatos diximus, ita et simile de praesentibus ferendum iudicium. Constat, provincias hoc aevo, ut supra ex Trebellio docui, non minus bellis cum externis, tum civilibus, ac peste, quam terrae motibus fuisse afflictas. Constat etiam, creditum veteribus, Neptuni iram causam fuisse terrae motae, quare et passim dictus *Ενοσιχθων, Ενοσιγαιος, Terriquaessor*, atque iterum *Ασφαλιων*, nempe tellurem motam *stabiliens*, ^{m)} cultus propterea praecipue in Phrygia tremoribus prae aliis regionibus obnoxia, ut refert Strabo. ⁿ⁾

Segetia.

DEAE. SEGETIAE etc.

De rarissimo hoc in Gallieni moneta numo vide quae monebimus in numis Saloninae.

a) Onirocr. L. II. c. 42.

e) ad Idyll. VII. v. 109.

h) Poet. Astron. L. II. 28.

m) Macrobi. Sat. L. I. c. 17.

b) Num. 21.

f) de Nupt. Honorii v. 160. seq.

i) Eratosth. catast. 27.

n) L. XII. p. 368.

c) Patin. num. imp.

d) Dial. deor. 22.

g) Tom. III. tab. 16. 17. 18.

k) L. IV. 566.

l) Pag. 219.

Serapis.

SERAPIDI. COMITI. AVG. *Serapis stans d. elata, s. hastam, pro pedibus Ibis.*
AE. I. (Vaill.)

Sol.

SOLI. INVICTO. *Sol stans d. elata, s. globum.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

SOLI. CONS. AVG. *Pegasus, vel bos stans.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Iam saepe dictum, Apollinem seu Solem pestis et auctorem et depulsorem habitum, quod perspicue docent primi Iliadis versus. Huc spectat et testimonium Macrobiani: ^{a)} *unde et Apollinem, id est Solem modo sospitatem, modo pestem significantibus cognominibus adoramus, cum tamen pestis, quae ab eo noxiis immittitur, aperte hunc deum bonis propugnare significet.* Solem nomine invicti fuisse cultum, ut testantur marmora copiosa, ita et Iulianus Aug. ^{b)} *Vltimo mense, qui Saturni est, splendidissimos ludos Soli facimus, festum illud SOLI INVICTO nuncupantes.*

Pegasus, quia Musarum comes, facile ad Apollinem refertur, nisi forte verius est Solis equus, cui ad notandam velocitatem additur ala. Ad bovem quod attinet, memorat Homerus *βοσκομενας βοας Ηελιω, pascentes boves Solis* usque adeo Vlysi fatales.^{c)} Etiam tauros XII. insigni forma in stabulis Augiae filii sui habuisse sacros, testatur Theocritus.^{d)} De bove Mnevi Soli apud Heliopo-

lin Aegypti sacro vide Strabonem.^{e)} Notae inscriptiones in marmoribus; DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE. Proponitur hic saepe taurum cultro feriens, et fuit hoc aevo ejus cultus insignis.

Vulcanus.

DEO. VOLCANO. *Templum etc.* AR. (Band.)

Vide eundem numum in moneta Valeriani, sed multo rariorem in Gallieno.

II. Expeditio Germanica.

Gallienum aliquanto tempore post susceptum imperium adversum Germanos profectum, manifestum est ex numis, qui eum jam in trib. potestate IV. *Germanici* titulo ornatum adferunt, quos descripsi supra ad annos V. C. 1009. 1010. Fuisse eam expeditionem victoriis celebratam, ipse hic titulus cum victori Gallieno, tum Valeriano patri partus abunde arguit. Sed parvo hae lauri stetero Gallieno, adjuto virtute Postumi Galliae praefidis, cui filium Valerianus crediderat teste Vopisco.^{f)} Germani hi, contra quos tum dimicatum est, secundum aliquos Franci fuere, qui transgressi Rhenum Galliam Belgicam direptum ivere, super quo argumento lege disputantem Tillémontium.^{g)} Numorum, qui victoriarum de Germanis mem nere, magna est copia, quantumque ex his colligi potest, non omnes ad praesentem, eamque primam Galli-

a) Saturn. L. I. c. 17. b) Orat. IV. c) Odyss. L. A. d) Idyll. 25. v. 129. e) L. XVII. f) in Aurelian. c. 8. g) in Valeriano ad annum Chr. 254.

eni expeditionem videntur pertinere, sed ad alias etiam serius susceptas. Cum autem hi non satis iustum discrimen suppeditent, et sua nobis ad hoc subsidia negent historici, nolimus taedio conjecturarum certis eos annis adfigere, omnesque, qui titulos Germanicos jactant, una describere constituimus.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG.
GERM. *Protome laureata d. globum cum Victoriola.*

ADLOCVTIO. AVGG. *Ambo imperatores in suggestu milites adloquantur, infra duo captivos humi sedentes.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG.
Caput radiatum.

GERMANICVS. MAXIMVS. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. P. LIC. GALLIENVS. P.
F. AVG. *Caput radiatum.*

GERMANICVS. MAX. TER. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Numus insignis, cujus similem Bandurius in Valeriano quidem, in Gallieno autem nullum reperit. Addit in sua ad eum numum animadversione, nullum antea imperatorem dictum fuisse *Germanicum Maximum*. Verum istud, si de solis numis sermo, sed jam Maximino id elogium tributum, ut videre est ex marmore Gruteri. ^{a)} Singulare in hoc numo additum TER, quo significari, Gallienum Germanici Maximi titulum tertio promeritum, ea, quae sequuntur, copiosius comprobabunt.

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

GERMANICVS. MAX. V. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. AVG.
GERM. V. *Protome radiata d. hastam super humero.*

GERMANICVS. MAX. V. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Nihil ad has averfarum inscriptiones advertit Bandurius, credo, quod postremam literam V cum MAX. jungendam putaverit, legendumque ἀρχαϊκῶς MAXVmus. At si istud hoc loco valere potest, an etiam in inscriptione anticae, quae est GERM. V.? quae ipsa forte magis adhuc est separanda, et ex averfae praescripto legenda GER. M. V. id est: *Germanicus Maximus V*. Quo docemur, Gallienum, quem ex praecedentibus numis Germanicum Maximum vidimus, ex repetitis victoriis, quas et ipsas numeratas fuisse infra videbimus, quater et *quinquies* hoc elogio esse ornatum, atque ut videtur ex victoriis Germanicis patris mortem consecutis, quoniam in hujus numis hic victoriarum numerus non reperitur. Ea, quae dixi, confirmat Eusebius, qui Gal. Maximianum πεντακίς Περσῶν μεγίστον, δις Καρχηδωνίων μεγίστον, ἑξακίς Ἀρμενίων μεγίστον ex ejus ipsius titulis prodit. ^{b)} Et refert Ammianus, ^{c)} Constantium *militari consensu SECUNDO appellatum fuisse SECVNDVM SARMATICVM*. Ex quo manifeste arguere licet, hac aetate pro vetere illo IMP. III. IIII. etc. in

^{a)} Pag. 158. 6.
(Vol. VII.)

^{b)} Hist. eccl. L. VIII. c. 17.

^{c)} L. XXVII.

monumentis scriptum fuisse victoria-
rum numerum, quae amplius vide con-
firmata infra sub VICTORIA. AVG.
Eodem exemplo Postumus quoque in
numis dicitur GERMANICVS. MAX. V.,
ut et Carausius.

IMP. GALLIENVS. AVG.

GERM. V. *Protome radiata d.
hastam super humero*

RESTITVTOR. GALLIAR. *Imperator
paludatus stans mulierem turritam genu
flectentem erigit.* AR. (Mus. Caes.)

De hac aversa agetur infra in *Victo-
riis Gallicis.*

GALLIENVS. AVG. GERM. V.

Protome radiata cum hastam et clypeo.

VICTORIA. GERMANICA. *Victoria su-
per globo d. lauream, s. trophaeum inter
duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus.
Caes.)

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS.

P. F. AVG. *Caput radiatum.*

VICTORIAE. AVGG. IT. GERM. *Vi-
ctoria stans cum captivo humi sedente* AR.
(Mus. Caes.) In simili Bandurius pro
IT. legit II.

Victoriam de Germanis iterum relatam,
sive secundam commemorant hi numi.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG.

GER. S. *Caput radiatum.*

VIRTVS. AVGG. *Miles stans d. clypeum,
s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Additum S in parte antica legendum
puto Secundo, vel Sexto, ut patet ex dic-
tis, nisi error est monetarii, scriptura-
que GERS. pro GERM.

III. Legiones.

GALLIENVS. AVG. *Caput ra-
diatum.* Est haec aduersa in om-
nibus, qui sequuntur.

COHH. PRAET. VI. P. VI. F. *Leo ca-
pite radiato gradiens.* AR. (Mus. Caes.)
In alio: VII. P. VII. F. (Band.)

LEG. I. ADI. VI. P. VI. F. *Capricornus,
vel Pegasus.* AR. (Band.) VII. P. VII. F.
(Mus. Caes.)

LEG. I. AVG. VI. P. VI. F. *Mars stans
cum hastam et clypeo.* AR. (Vaill.)

LEG. I. ITAL. VI. P. VI. F. *Aper.* AR.
(Mus. Caes.) VII. P. VII. F. *Capricor-
nus, bos marinus, capra cum gemellis.*
(Band. Mus. Caes.)

LEG. I. MIN. VI. P. VI. F. *Minerva
stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo.*
AR. (Mus. Caes.) VII. P. VII. F. (Band.)

LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. *Pegasus
volans.* (Mus. Caes.) VII. P. VII. F.
(Band.)

LEG. II. ITAL. VI. P. VI. F. *Aper,
lupa cum gemellis.* (Mus. Caes. Band.)
VII. P. VII. F. *Ibis.* (Band.)

LEG. II. PART. VI. P. VI. F. *Centa-
rus.* AR. (Mus. Caes.) V. P. V. F. (Vaill.)

Addo: LEG. SECVND. AVGV. *Ca-
pricornus, in lamina aenea apud Bu-
narronium.* (Osserv. istor.)

LEG. III. ITAL. VI. P. VI. F. *Ibis.* AR.
(Mus. Caes.) VII. P. VII. F. *Ciconia.*
(Band.)

LEG. III. FL. VI. P. VI. F. *Leo cur-
rens.* AR. (Mus. Caes.)

LEG. V. MAC. VI. P. VI. F. *Victoria
gradiens d. lauream offert, pro pedibus
aquila.* AR. (Mus. Caes.)

LEG. VI. MAC. VII. P. VII. F. *Idem
typus.* AR. (Band. sed mihi suspecta
lectio.)

LEG. VII. CL. VI. P. VI. F. *Taurus.*
AR. (Mus. Caes.) *Leo.* (Band.) VII. P.
VII. F. *Taurus.* (Band.)

LEG. VIII. AVG. VI. P. VI. F. *Taurus.*

AR. (Mus. Caef.) VII. P. VII. F. (Band.)
 LEG. VIII. AVG. VI. F. VI. F. *Leo*.
 (Mus. Caef.) Alter typo *Victoriae et a-*
quilae, quem cum eadem inscriptione
 Bandurius, et ab hoc deceptus ego in
 Catalogo mus. Caef. citavimus, legen-
 dus haud dubie LEG. V. MAC. Certe
 Caesareus a me rursus attente inspectus
 non aliud docet.

LEG. X. GEM. VI. P. VI. F. *Taurus*.
 AR. (Mus. Caef.)

LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. *Neptunus*
flans d. tridentem, s. delphinum. AR.
 (Mus. Caef.) Addo: LEG. XI. C. P. F.
Lupa cum geminis, in gemma Musei Flo-
 rentini Tom. II. tab. 19.

LEG. XIII. GEM. VI. P. VI. F. *Victo-*
ria gradiens d. lauream offert, pro pedi-
bus leo. AR. (Mus. Caef.)

LEG. XIII. GEM. VI. P. VI. F. *Idem*
typus. AR. (Band.) In alio: *Capricor-*
nus. (Ibid.)

LEG. HXX. VI. P. VI. F. *Capricornus*,
 in alio: *idem undis innatans*, in alio:
 VII. P. VII. F. (omnes in Mus. Caef.)

LEG. XX. VI. P. VI. F. *Capricornus*.
 AR. (Vaill.)

LEG. XXI. GEM. VI. P. VI. F. *Typus*
ut in leg. XIII. (Band.) Forte et per-
 peram lectum XXI. pro XIII.

LEG. XXII. VI. P. VI. F. *Capricornus*.
 AR. (Mus. Caef. Band.)

LEG. XXX. VLP. VI. P. VI. F. *Neptu-*
nus flans d. tridentem, s. delphinum. AR.
 (Band. Mus. Caef.)

Illustris hic legionum catalogus non
 pauca offert observatu digna, inter quae
 cumprimis memorandi typi. Vidimus,

singulas proprium suum jactare seu nu-
 men quodpiam, seu animal, sive natu-
 rale, sive fictum. Ejus exempla jam
 vidimus in numis provinciae Daciae,
 et coloniae Viminacii, tum et videbi-
 mus infra in numis Victorini, Carausii,
 aliisque monumentis, quae mox profe-
 ram. Quo pacto hae imagines ad indi-
 candas legiones referantur, anceps quae-
 stio. Verisimile est, signis eas militari-
 bus servivisse, cum quod in nonnullis
 Viminacii numis videmus, taurum ac
 leonem, legionis VII. ac III. symbola,
 in ipso signi militaris apice proponi,
 tum quod constat ex Appiano, ^{a)} legio-
 ni V. post relatum in Africa de elephan-
 tis victoriam fuisse indultum, ut ele-
 phantum in signis militariis haberet.
 At enim cum constet, aquilam fuisse in-
 signe legionis Romanae non modo ab
 antiquissimis temporibus, sed etiam,
 quamdiu ea stetit, certum videtur, has
 imagines ex cohortium signis in numo-
 rum typum fuisse advocatas, cumque
 legio ex pluribus cohortibus confiterit,
 causam tenemus, cur nonnunquam in
 his numis una eademque legio varias
 jactet imagines, v. c. legio J. Italica
 jam aprum, jam capricornum, jam
 bovem marinum, jam lupam cum ge-
 mellis. Certum vero est, cohortes sepa-
 rata sua habuisse signa, de quo argu-
 mento agetur alibi, ac probabile adeo
 etiam, imagines in praesentibus numis
 propositas legionum singularum cohor-
 tem primam, aut si illae variarunt, co-
 hortis primarias respexisse.

Iam alias comprobavi, ^{b)} typos, quos

a) Bell. civ. L. II.

b) Num. vet. p. 50.

certis legionibus in aliorum Augustorum numis etiam extra urbem signatis tribui videmus, cum iis, quos praesentes Gallieni legiones praeferunt, commode conspirare. Sic in numis Viminacii legioni VII. tribuitur taurus, legioni III. leo, perinde atque in his Gallieni numis. In numis Daciae legioni V. adstat aquila, legioni XIII leo; in praesentibus Gallieni legionem V. aquila cum Victoria comitantur. In numo Victorini legio III. habet duos leones, eadem in Gallieniano leonem unum, legio X. utrinque taurum. In numis Carausii legio III. item leonem, VII. taurum. Tamen in aliis typi disident. Legio XX. Valeria Victrix aprum offert non modo in numo Carausii, sed et in tabula aenea, quam inter postremas edidit Buonarrotius, ^{a)} at in numo Gallieni capricornum, si modo non fefellit Vaillantius, qui unus hunc numum vulgavit. Legio XXX. in numo Carausii sibi junxit Iovem, in numo Gallieni Neptunum; legio XI. Claudia in gemma altius producta lupam cum geminis, in numo Gallieni Neptunum. Cujus disidii aliam causam non puto, nisi quod placuit monetariis, jam hujus, jam alterius cohortis imaginem legioni sociare, perinde ac paullo altius variantes in Gallieno imagines explicavimus.

Additum in his Gallieni numis VI. P. VI. F. legi solet ab antiquariis *sextum pta*, *sextum fidelis*, et *septimum*, cum scribitur VII. In unico legionis II. Parthicae, si fides Vaillantio, legitur V.

P. V. F. Hujus formulae ratio nondum, quod sciam, expedita. Quam adfert Vaillantius, ^{b)} haud dubie fallit. Ait, cufos anno imperii VI., cum legiones quolibet anno fidei sacramentum renovarent, alias vero dictas esse VII. pias et fideles, quod numi hac nota praediti anno VII. signati essent. Sin istud, mirum videatur, has legiones non occurrere etiam in moneta Valeriani, cum quo Gallienus non modo annum VI. et VII. exegit, sed verisimiliter etiam majorem partem anni VIII., praecipue cum uterque imperator, quamdiu una fuere, spectatis typis communem fere monetam habuerint. Sententiae aliae, quas propinavere Harduinus, ^{c)} et Liebeus, ^{d)} tam videntur infirmae, ut ne dignas quidem putem, quae memorentur. Si quis volet conjicere, numos similes signatos tantum fuisse eo tempore, quo signati sunt numi, inscripti VICTORIA. AVG. VI. et VII., opinari poterit etiam, ex hoc victoriarum numero legiones dictas *sextum vel septimum pias fideles*, eumque honorem captandae militaris gratiae causa ad legiones omnes extentum, etiam quae bello non interfuere. Quod si similis argumenti numos placuisset vel ante, vel post hoc tempus signare, haberemus forte etiam numos, qui legiones III. IIII. VIII. etc. *pias fideles* praedicarent. Tantum in re incerta, nam alias quoque additi numeri molesti sunt, ut in numo Valeriani: CONCORDIA. IIII. EXERCIT., vel Gallieni: CONCORDIA. EXERC.

a) Osserv. istor. num. p. 344.

b) Num. praef. T. II. p^o 357.

c) Opp. fell. p. 849.

d) Goth.

VIII., FIDES. EXERC. VIII., quin et in numis Severi et Domnae: AEQUITAS II., quorum quidem rationem dare non aulim. At quod maxime conjecturae meae aduersatur, est lapis Budensis, quem vidit, et descripsit ipse, et vulgavit cl. Schönwifnerus, vir eruditus sane, atque adcuratus: ^{a)}

IMP. CAES. M. AVREL.
CLAUDIO. GERMANICO
P. F. INVICTO. AVG.
PONT. MAX. TRIB.
POTEST. III. COS. PRO
COS. P. P. LEG. II. ADI.
VI. P. VI. F. CONSTANS
CLAVDIANA. NVMINI. MA
IESTATIQVE
EIVS
DICATISSIMA

Quoniam haec *legio II. Adjutrix* adhuc sub successore Claudio se dicit VI. P. VI. F., hae siglae ad victoriam VI. Gallieni referri non possunt. Neque satis causae apparet, cur eadem haec legio, quae se in numis Gallieni, ut supra vidimus, etiam VII. P. VII. F. profitetur, sub Claudio ad VI. P. VI. F. rediverit. Adeo in re obvia adhaeremus. Ceterum rarum est videre in marmoribus numeros VI. vel VII. titulis *Piae Fidelis* adjectos. Sane in catalogo legionum apud Gruterum et Musatorium nullum ejus meriti reperire licuit. Idem vir eruditus aliud vulgavit marmor in Hungaria repertum, in quo Munatius quidam dicitur MILES LEGIONIS I. ADJUTRICIS BIS.

Piae Fidelis, ^{b)} qui numerus BIS singularis plane est, nullo adhuc alio praeter VI. et VII. et forte V. cognito.

Quae alia ad legionum numos, earum insignia etc. pertinent, vide Vol. VIII. in singulari tractatu de Legionibus.

IV. Numi reliqui.

Obvius in numorum Gallieni parte antica cultus est corona laureata, vel radiata, rarius spicea, qualis dabitur infra. Nonnunquam ejus caput leonis exuviis tegitur, ut in postremo hujus classis, et in numo max. mod. cum epigraphe MONETA. AVGVST. musei Caesarei. Singulare est: Protome Gallieni laureata cum caduceo supra humerum in numo max. mod., quem laudat Spanhemius ex museo reg. Gall. ^{c)} et in alio, quem ex Taninio dabimus infra sub lit. O. De Gallieno Mercurio vide infra in numo: DONA. AVG.

A. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

ABVNDANTIA. AVG. *in imo: S. P. Q. R. Fluvius decumbens.* AR. (Baldini ad Vaill.)

Non inique censet Baldinius, hac averfa indicari procuratam iterum in urbe annonae abundantiam, postquam Aegyptus, quae typo Nili in numo factis notatur, oppresso Aemiliano ejus tyranno iterum vindicata fuit, de quo Trebellius, ^{d)} nisi potius notetur Tiberis, per quem subvecta annona.

a) Iter per Pannon. P. II, p. 186.

b) l. c. p. 277.

c) Caes. Juliani p. 92.

d) Cap. 4.

B. IMP. C. P. LIC. GALLIENVS.

AVG. *Caput radiatum.*

AETERNITATI, AVGG. *Saturnus stans f. harpam.* AR. (Muf. Caef.)

Explicationem ex simili numo Valeriani pete.

C. IMP. GALLIENVS. AVG. CON.

Caput laureatum, pone Pegafus.

ALACRITATI, Pegafus. AE. II. (Band.)

Fuisse a Romanis Alacritati constitutam aram, non memini. Credo, efferri in hoc numo alacritatem Gallieni, qua mox post aditum imperium, et in consulau primo, quod tempus antica eloquitur, expeditionem in Gallias a Germanis vexatas paravit. Pegasi tyfus eum epigraphe belle conspirat.

Vt lit. A.

BONAE. FORTVNAE. *Fortuna stans!* AE. III. (Muf. Caef.)

Vt lit. A.

BON. EVENT. *Genius stans ante aram, d. pateram, f. spicas.* AE. III. (Muf. Caef.)

D. IMP. C. P. LICIN. GALLIENVS.

P. F. AVG. *Caput laureatum.*

COHORT. PRAEF. PRINCIPI. SVO. *intra lauream.* AE. I. (Vaill.)

Fuisse in militia vetere *praefectos cohortium*, passim ex monumentis cognitum. Virtum vero hi in numo praesente notentur, ambigo, non tam, quod mirum videatur, hos, quorum auctoritas maxima non fuit, ex univcrsa legione memorari, qui vota sua principi exponant, quam quod vox *praefectus praecedere* semper, non sequi solebat. Ita constanter seu in marmoribus, seu nu-

mis legitur: *praefectus classis et orae maritimae, praefectus urbis, praefectus praetorio, praefectus cohortis etc.* non inverle. Verisimile igitur, pro PRAEF. legendum PRAET., et habebimus *cohortes praetorianas principi suo* fidem, et obsequium voventes, quam sententiam confirmat numus, quem infra conspiciemus, inscriptus FID. PRAETORIANO. RVM.

Vt lit. A.

CONCORDIA. EXERC. VIII. *Mulier adversa stans utraque manu signis militibus nixa.* AR. (Tanini.)

Vide, quae de additis similibus numeris supra ad numos legionum diximus.

Vt lit. A.

CONSERVAT. PIETAT. *Imperator stans d. extenta, f. hastam, ante eum parva figura flexo genu manus attollens.* AR. AE. III. (Band. Muf. Caef.)

Auctorem pietatis sese in numis professus est Commodus, ejus *conservatorem* Gallienus. Ex typo puelli supplicis colligo, indicari hac *aversa pietatem* pueris alimentariis praestitam, cujus inde a Trajano copiosa exempla. Eandem *aversam* offert etiam numus Claudii sequentis.

Vt lit. A.

DONA. AVG. *Mercurius stans d. crumenam, f. caduceum, pro pedibus canis.* AR. (Vaill. Band.)

Antiquarii omnes, qui in hunc numum commentati sunt, *aversam* verbis Trebellii explicant, qui Gallienum oratione, poemate, omnibus artibus clarum dixit, ^{a)} quorum auctor datorque habi-

a) in Gallienis c. 11.

tus Mercurius, ut in vulgus notum, unde tenemus causam, cur Gallienus in numo, quem infra sub lit. O. dabimus, Mercurii habitu sit propositus. Neque alia de causa sese Horatius *Mercurialem virum* dixit. ^{a)} Exemplum ingenii, quo ad haec studia pollebat Gallienus, esto carmen, dignum sane Catullo ac Propertio tenerorum amorum lusoribus; nimirum cum suos ex fratribus nepotes matrimonio conjungeret, hoc eos epithalamio profectus fertur, quod Trebellius contractius, ^{b)} sed plenius dedit Christ. Wernsdorfius: ^{c)}

Ite, agite, o juvenes, et desudate medullis

Omnibus inter vos; non murmura vestra columbae,

Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Ludite, sed vigilas nolite extinguere lychnos;

Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernæ.

quo experimento ostendit sane, futurum fuisse dignum imperio, si ut carmina de coelo possunt deducere lunam, eadem et barbaros de imperii finibus potuissent deducere. Causam adpositi Mercurio canis dedimus alibi. ^{d)}

Vt lit. A.

FECVNDITAS. AVG. *Mulier stans dextram extendit super figuram adstantem, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Fecunditas in numis tantum feminis, neque ulli ante ac post Gallienum Au-

gusto tribui solita. Sunt in museo Caesareo denarii duo Alexandri Severi cum epigraphe FECVND. AVGVSTAE, sed dubium non est, hanc aversam ex moneta Mamaeae inique in monetam filii translata. Quare verisimile quoque est, aversam hanc restituendam Saloninae uxori.

E. IMP. GALLIENVS. AVG. *Pro-tome laureata d. hastam, s. clypeum, cui insculptus imperator eques.*

FIDES. EXERCITVS. *Imperator stans paludatus coronatur a Victoria retro stante, simul cum figura militari dexteram iungit, pone duo signa militaria, pro pedibus duo fluvii humijacentes.* Argenti mixti max. mod. (Mus. com. de Vitzai.)

Vt lit. A.

FIDES. EXERC. VIII. *Mulier stans bina vexilla tenet.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Vidimus supra legiones VI. et VII. *pias et fideles*, at in praesente numo totus exercitus se *fidelem VIII.* proficitur.

F. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

FIDEI. EQVITVM. *intra lauream.* AV. (Band.)

Vt lit. A.

FID. PRAETORIANORVM. *Figura stans d. pateram, s. cornucopiae, pone aquila legionaria.* AR. (Band.)

Vt lit. A.

INDVLG. AVG. *Mulier gradiens d. florem, s. vestem attollit.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.) In aliis: *Ipse sedens d. pa-*

^{a)} Carm. L. II. ode 17.

^{b)} l. c.

^{c)} Poet. min. Tom. IV. part. post. p. 499

^{d)} Vol. IV. p. 68.

teram, f. hastam. In aliis: *typus Providentiae*: Quin. AE. III. (Mus. Caes.)

Parum se in his numis indulgentem praestat Indulgentia ipsa, quae in typos, in quos Spei et Providentiae vetus jus, involavit.

Vt lit. A.

INVICTVS. *Sol stans d. elata, f. flagellum.* AR. (Band.)

In aliis numis, quos in classe numinum recitavimus, scribitur plenius SOLI INVICTO.

Vt lit. A.

IVBENTVS. AVG. *Imperator paludatus stans d. Victoriolam, f. hastam, in imo* VIIC. AR. AE. III. (Mus. Caes. Bands)

De *Iuventate, Iuventute, Iuventa imperii* egi in numis M. Aurelii adhuc Caesaris, et Caracallae, in quos sane magis quadrabat iuventus, quam in Gallienum, qui saltem annos natus XXXIV. imperium auspicatus est, si verum est, quod refert Victor, eum aetatis anno L. decessisse, et Trebellius, qui eum nepotes ex fratribus jam matrimonio idoneos habuisse refert. ^{a)} At enim et de Trajano, qui cum adoptatus est, saltem annum XLIV. egit, sic Plinius: ^{b)} *Nerva tua iuventa, tuo robore invaluit.* Ergo et nunc Gallienus cum sene Valeriano comparatus juvenis dici potuit. Quid quod eadem epigraphe est etiam in numo Claudii sequentis, et Gallieno senioris, quem vide.

Antica varia.

LIBERALITAS. AVGG. III. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. IIII. *Liberalitas stans.* AV. (Mediob.)

Prior averfa in patris quoque numis occurrit. Sed liberalitatem IIII. ejus folius fuisse, scriptum AVG. comprobatur.

G. GALLIENVM. AVG. P. R. *Pro-tome laureata, d. hastam.*

OB. CONSERVATIONEM. PATRIAE. *Salus stans serpentem pascit.* AR. m. m. (Vaill.)

Eadem adverfa.

OB. CONSERVATIONEM. SALVTIS. *Idem typus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Eadem adverfa.

OB. REDDIT. LIBERT. *Libertas stans d. pileum, f. hastam transversam.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.

OB. LIBERT. REC. *Libertas stans d. palmam, f. hastam.* AV. (Vaill.)

H. GALLIENVM. AVG. SENATVS. *Caput laureatum.*

OB. LIBERTATEM. RECEPTAM. *Libertas stans d. pileum, f. hastam.* AE. II. (Vaill.)

Eadem adverfa.

OB. REDDIT. LIBERT. *Libertas stans d. pileum, f. hastam transversam.* AE. II. (Theupoli.)

Numi propter molam et novam inscriptionis legem memorabiles. Ceterum turpis et mendax adulatio tam senatus, quam populi R. facile ipse oculos incurrit.

I. CONCORDIA. AVGG. *Capitulum*

a) in Gallien. c. 11.

b) Paneg. c. 8.

*adversa, Saloninae a dexteris,
Gallieni laureatum a sinistris.*

PIETAS. FALERI. *Capra sub arbore
cum duobus puellis, quorum alter lac fugit,
alter humi confidet, juxta aquila, in imo
fulmen.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Singularis hujus numi imaginem jam
statit Khellius in sua ad Vaillantium Ad-
pendicula, ejusque laudes copiose cele-
bravit. Arduus tamen hujus typi expli-
catus, cum quo lubet contendere se-
quentem :

K. IMP. GALLIENVS. P. AVG.
Caput radiatum.

PIET. SAECVLI. *Capra cum infante lac-
tente.* AR. (Band.)

Facile est perspicere, adludi in his
numis ad Iovem infantem a capra nu-
tritum, quorsum etiam adludunt numi
ejus aevi obvii inscripti IOVI. CRE-
SCENTI typo *Iovis pueri caprae insiden-
tis*, de quo jam egi in numis max. mod.
Antonini Pii. At quorsum gemini infan-
tes numi prioris? Iudice Khellio puellus
unus Iovem, alter adsimilatum Iovi Sa-
loninum refert, quae sententia vereor
ut eruditus omnibus probetur. Fuit, qui
hac saeculi pietate crederet indicari cu-
ram a Gallieno infantibus impensam
exemplo Trajani et Antonini, sententia
sane admodum verisimili; nam pietatis
vocabulum saepe adstituitur mulieri pu-
ellos procuranti, in cujus locum *συ-
βολικως* nunc succedit capra eandem
olim curam Iovi impendens, sed fuit
etiam, cui iudicium istud displiceret. *)
Observanda deinde vox FALERI. for-

te inique scripta pro VALERI., nam
infra intuebimur numos inscriptos VIR-
TVS. VALERI. scriptum parcius pro
VALERIANA. Valeriani nomen Gallieno
fuit testibus numis Alexandrinis, magis
tamen proprium patri, fratri, ac filio.

L. GALLIENVS. P. F. AVG. *Ca-
put radiatum, vel ut lit. K.*

• RESTIT. GALLIAR. *Imperator radiat-
us et paludatus stans mulierem genuflecten-
tem, et s. cornucopiae gerentem subleuat.*
AR. (Mus. Caes.)

Promeritus hoc nomen videri potest
barbaris e Gallia adiutore Postumo sub-
motis. Gallias fuisse plures, diximus ad
numum Galbae: TRES. GALLIAE.
Ceterum ferri potest Gallienus *Restitutor
Galliarum*, at quis ferat, cum idem in
numis dicitur: RESTITVT. GENER.
HVMANI — RESTITVTOR. ORBIS —
RESTITVTOR. ORIENTIS.*

Vt lit. A.

SAEVLARES. AVG. *Cervus stans, in-
fra palmae ramus. In aliis scriptum: SAE-
CVLARHS.* AR. (Mus. Caes.)

Cum non ita pridem imperantibus
Philippis ludi saeculares acti essent, visum
nonnullis, ex horum moneta praesentem
aversam Gallieno temere fuisse adfictam.
At certum est, eos falli; nam in Phi-
lipporum numis semper legitur AVGG.,
et in horum ima parte pro palmae ra-
mo semper est nota numeralis, neque
in his unquam legitur barbarum SAEV-
LARHS obvium in Gallieni numis. Fa-
tendum igitur testibus numis, inter alia

a) Mem. Trevoux Jul. 1704.
(Vol. VII.)

insaniae argumenta, quibus Gallienus imperium suum insigniuit, fuisse etiam ludos saeculares illegitimo tempore celebratos, nequaquam novo istud exemplo; nam a Claudio quoque anticipatum horum ludorum tempus vidimus. Teste Trebellio ^{a)} Gallienus audita Macriani morte coepit indulgere voluptati, et ludos omnis generis edere, quos inter verisimile est etiam saeculares hos ludos fuisse. Ad eosdem propius pertinet, quod narrat idem: ^{b)} prementibus rempublicam imperante Gallieno gravissimis malis *pacem deorum quaesitam inspectis Sibyllae libris, factumque Iovi Salutari, ut praecceptum fuerat, sacrificium.* Sed de ludis his alieno tempore actis vide praecipue, quae copiosius differemus in numis Maximiani Herculei inscriptis SAECVLARES. AVGG.

* * *

CONCORDIA. AVGG. *Capita duo, a dexteris Saloninae, a sinistris Gallieni laureatum.*

SALONINA. AVG. *Caput Saloninae.* AV. (Mus. com. de Vitzai.)

Similem adversam jam vidimus supra in numo PIETAS FALERI. Mirum in utroque, uxoris caput loco digniore stare contra perpetuum fere in similibus causis morem.

* * *

Vt lit. A.

SISCIA. AVG. *Mulier sedens d. hastam, s. cornucopiae, infra fluvius decumbens.* AR. (Vaill.) In alio: *Mulier sedens utraque manu expansa, infra fluvius emergens.* AR. (Mus. Caef.)

Siscia Pannoniae superioris oppidum nobile et colonia, hodie *Sissek*, ad Savi, qui in his numis fingitur, et Colapis confluentem, sed qui uterque fingitur in numo Probi inscripto: SISCIA. PROBL. AVG. Putat Vaillantius, cum hunc numum, postquam Ingenuum Pannoniae tyrannum vicerat. Verum cum Sisciam praedicari etiam in moneta Probi videam, conjicio, eam urbem tum velut quoddam imperii propugnaculum habitam, et propter situs commoditatem, et quod natura munita esset, inter perpetua in eo tractu bella armorum sedem fuisse constitutam. In lapide prope Sabariam Pannoniae reperto legitur: COLONIA. SEPTIMIA. SISCIA. AVGVSTA. ^{c)}

* * *

Vt lit. A.

S. P. Q. R. *Leo, cui insistit aquila, omnia intra lauream.* AV. (Mus. Caef.)

An, quod senatus Gallienum Iovi et Herculi inveterata adulatione aequiparaverit, utriusque numinis animal huc est advocatum? an quod, quemadmodum aquila et leo suo singuli generi imperitant, neque regno alteri decedunt, Gallienus fingitur supremam habere in omne mortaliu genus potestatem, atque in ipsos tyrannos, qui ausi sunt invadere imperium? Arbitretur lector.

* * *

Vt lit. L.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *intra lauream.* AR. (Mus. Caef.)

M. IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.* ~~Eadem aversa.~~ AE. I. (Mus. Caef.)

^{a)} in Gallien. c. 3.

^{b)} Cap. 5.

^{c)} Schönwilsner Ant. Sabar. p. 52.

Nobile hoc averfae epigramma Trajano primum ex merito delatum quam difpari nunc domino fervire cogitur!

N. GALLIENAE. AVGVSTAE. *Caput Gallieni fpicis coronatum.*

VBIQVE. PAX. *Victoria in bigis d. flagram.* AV. (Vaill. ex muf. regis Gall. reftitutus a Barthelemyo in Mem. B. L. Tom. XXVI, p. 551.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput Gallieni fpicis coronatum.*

VBIQVE. PAX. *Victoria in bigis d. flagram.* AR. (Muf. Caef.) *Alius fimilis; fed capite pro more radiato.* AV. (Band.)

GALLIENAE. AVGVSTAE. *Caput Gallieni fpicis coronatum.*

VICTORIA. AVG. *Imperator paludatus ftans d. globum, f. haftam transversam, quem ftans a tergo Victoria coronat.* AV. (Barthelemy l. c.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput Gallieni fpicis coronatum.*

VICTORIA. AVG. *Idem typus.* AV. (Barthelemy l. c.)

Numus ex his primus fingularia plane, ac praeter morem continet. Quare in ejus explicatu eruditorum quoque fententiae variarunt. Hos inter cenfebatur Vaillantius, eum a tyranno quopiam in Gallieni ludibrium effe percuffum *Gallienam Auguftam* eum appellando, tanquam nimirum vere habendus effet femina, qui ignave adeo fummae rei praeffet. Sic et pro laurea fpiceam gerere, tanquam abdomini potius, quam bello vacaret, agere bigas, quod victoriam in circo potius, quam foris quae-

reret, additam epigraphen VBIQVE. PAX, cum interim nulla effet provincia, quae bellis vacaret. Hactenus Vaillantius. Diverfam ab hoc viam fecutus Harduinus, cui vix unquam cum Vaillantio conveniebat, fcriptum adfirmat GALLIENAE. AVGVSTAE pro GALLIENAE. AVGVSTE, qui effet vocandi cafus, ifto aevo orthographiae peccatis nequaquam inimico. Coronam gramineam (fpiceam dixit Vaillantius) effe fymbolum magnarum victoriarum, nam hac bellatores veteres teffe Plinio redimiri confuevere. Neque vero numum hunc dictionem aculeatum in effeminatam Gallieni vitam continere, fiquidem certum, iq numis antiquis nullos occurrere jocos, fcurrile nihil, nihil majefate Romanorum indignum. Ergo per omnia, quae de hoc principe nobis reftant, agnofci debere, non fuiiffe in bellis fortio-rem, non gratio-rem populo R. Tamen is et hanc ferius fententiam valere juffit, ex quo menti laudandae bellum ἀσπονδον indixit, placuitque bina vocabula GALLIENAE. AVGVSTAE in verba totidem refolvere, quot ea literas continent. Vide ejus Plinium. *) Ab his diverfus Vallemontius aliam maluit fequi viam, quia revera Gallienam reperit, in quam poffit ea infcriptio quadrare. Auctore Trebellio, b) dum Gallienus popinis balneisque immerfus effet, Afri *Celfum imperatorem appellaverunt, peplo deae Coeleftis ornatum. Hic privatus ex tribunis in Africa pofitus in agris fuis vivebat, fed ea juftitia et corporis magnitudine, ut dignus videretur*

a) ad L. X. § 68.

b) in Celfo tyranno.

imperio. Quare creatus per quamdam mulierem; GALLIENAM nomine, consobrinam Gallieni, septimo imperii die interemptus est. Ex his verbis arguit vir eruditus, non indignam fuisse hanc Gallienam, quae Augustae titulo ornaretur, caelo suis consiliis tyranno, et revocatis ad fidem Afris. Argumenta reliqua, quibus alias numi hujus difficultates mollire conatur, tam sunt infirma, ac taediosa, ut nulla jactura possim iis commemorandis abstinere. Vide totam hanc litem copiose disputatam in Electis Woltereckii pag. 68, cui adde sequentem proxime epistolam Gallandi super eodem argumento.

Postremus Barthelemys omnium horum sententias in examen revocans ^{a)} negavit, numos, qui hinc GALLIENAE. AVGVSTAE, illinc VBIQVE. PAX inscribuntur, derivandae in Gallienum ignominiae causa signatos fuisse. Certe illam nequaquam probari inscriptione averfae VBIQVE. PAX. Nam etsi tyrannorum seditionibus turbatum ejus esset imperium; fuere tamen etiam pacis intervalla; quid quod nemini ignotum esse potest, inscriptiones persaepe ab una adulatione, nullo ignominiae consilio fuisse dictatas, multas nonnisi piorum votorum rationem habere. Manifestius istud, ait, apparere ex numo alio cum eadem averfa, in cujus tamen parte antica est solitum GALLIENVS, quem loco II. dedimus. Quinimo exstare numum, quem vide loco III., in cujus item antica legitur GALLIENAE. AVGVSTAE, cujus tamen averfa typum habet simplicem, tritumque

Victoriae, qui certe in ignominiam trahi non potest. Concludit denique, potiore sibi videri sententiam Vallemontii, autumantis, ea inscriptione significari feminam gentis Augustae. Et quidem praeter testimonium Trebellii. qui loco altius indicato diserte Gallienae Gallieni consobrinae meminit, argumentum illi validissimum praestat numus ejusdem, ut conjicere licet, feminae, qui exstat delineatus in opere MS. Goltzii in museum praesidentis de Cotte translato, cujusque nobis ipsam iconem exhibet. Est vero talis:

LICIN. GALLIENA. AVG. *Ejus caput lunae impositum.*

PIETAS. AVGVSTA. *Mulier superne ad medium usque corpus nuda stans ad aram suffimen arae ignitae imponit.* AE. II.

En tibi virorum illustrium de singularibus his numis judicia, quorum singula aliquid habent, quod morosus antiquariorum palatum jure possit fastidire. De Harduini sententia nullus amplius mihi sermo, qui ipse causam suam deseruit. Vallemontii doctrina eatenus saltem aliquam habet veri speciem, quatenus Trebellii testimonio, cujuscunque illud auctoritatis putemus, feminam Gallienam memorantis nititur. At enim cordatum quemvis perpetuo vellicabit, quod ejus nomen mulieris scriptum legitur juxta caput non suum, sed alienum Gallieni, cujus quidem instituti nullum putem ingenium verisimilem aliquam causam posse suppeditare. Neque profecto aliquam reperire potuit Barthelemys, coactus confiteri, nullum quidem exemplum plane simile in moneta

a) Mem. B. L. T. XXVI. p. 551.

vetere exstare, istud igitur deinceps futurum primum, ad quod provocare licebit, ^{a)} quo quidem quaesito velamine vir insignis magis inhi videtur molestem nodum velle obtegere, quam resolvere. Ad codicem MS. Goltzii quod attinet, de quo jam alibi mihi sermo fuit, ^{b)} et cujus numum Barthelemyus potissimum ad confirmandam Gallienam advocavit, parum ego hac auctoritate moveor, qui Goltziana omnia, cum quid nobis eximium, insolensque nunciant, nisi aliorum confirmari video, a commentariis meis procul habeo. Sane expectari a singulari hoc viro potuit, ut, qui Celsi ex Trebellio sibi cogniti numum finxerat, etiam Gallienae, quae illum deiecit, numum secundis curis adinveniret.

Parum ergo ad persuadendum validis Harduini, Vallemontii, Barthelemyi rationibus aliquid iterum roboris accedit sententiae Vaillantii, conjicientis, in Gallieni contemptum in provincia quapiam numos inscriptos GALLIENAE. AVGVSTAE fuisse percussos. Feminam cum Gallienum dicunt, belle cum scriptoribus conspirant, qui hominem turpiter effeminatum prodidere, quos inter memorandus cum primis Iulianus Caesar, qui Gallienum in deorum concilium ingressum refert *indutum sola et incessu usum molliore mulierum ritu*, eique veterem versum adplicat:

Ὅς καὶ χρυσοῦν ἔχων παντὴ, τρυφᾷ ἥντε
καρῆ,

Qui et aurum gestat undique, et delicatus est instar puellae.

Adde Trebellium, qui super plura muliebrium ejus morum testimonia narrat etiam, matronas ab ipso ad consilium suum rogatas. ^{c)} Et vero videri possit, eodem consilio signatos numos Gallieni inscriptos FECVNDITAS. AVG., quos supra recensui, cujusmodi nulla aetate nisi feminis dedicati fuere. Huc adde caput redimitum spicis, quod nunquam hactenus Augustis maribus, at feminis non raro fuit tributum. Hac corona ornatam in numis videmus Agrippinam juniorem, Sabinam, utramque monetae Romanae, Faustinae juniorem monetae Cyzicenaе. Cum igitur corona mulieri Gallieno addenda fuerit, neganda certe fuit laurea, qua redimiri mulieres Augustae raro consuevere, et impertienda ejus generis, quae ex vetere usu eas decebat. At non occurrunt, ait Harduinus, in numis Romanis diceria, joci, scurrilia. Verum istud, si generatim de moneta vetere judicium peragitur. At enim an usque adeo incredibile, fuisse in tanto numero eorum, qui sese contra Gallienum imperatores dixerunt, unum aliquem, qui, ut majorem ei apud suos contemptum pararet, monumento publico traducere effeminatum principem constituisset, cujus alioqui tantus jam erat despiciatus, ut teste Trebellio ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret?

Quid si homini inepto inter alia infaniae documenta, quae innumera enarrat Trebellius, venisset aliquando in mentem, ut ipse mulieris ritu, ac quidem Cereris observaretur? praecipue cum ejus deae meritum sibi posset arrogare,

a) l. c. p. 556.

b) Vol. I. Proleg. p. CLII,

c) in Gall. c. 16.

ex quo Aemilianum, qui in Aegypto imperium sumpsit, occupatisque horreis multa oppida fame praesit, e medio suffulit. a) Praesto sunt Nero ac Commodus, quorum ille Apollo, hic Hercules non haberi solum, verum etiam utriusque attributis insignes in moneta publica proponi voluere. Si illum in numis habemus Apollinem, hunc Herculem, an incredibile, Gallienum pro pari sua insania non averfatum mulieris nomen, atque ipsam etiam *fecunditatis* laudem, qui omnia mulieris habuit, et mulieris ipse cultu publice processit? Novi existere, qui Gallienum fortem ac impigrum, et semper bello occupatum fuisse adferant, imbellem vero, ac omnibus flagitiis infamem dici a scriptoribus, quod hi adulati nimium fuere aevi sui principibus, qui a Claudio Gallieni successore se genus ducere sunt professi, nam multo diversum fuisse Gallienum, si ejus ipsius numos audimus. In hac sententia fuisse Harduinum, supra vidimus, et serius idem sensit eruditus Brequignyus in sua Postumi vita. b) Facile permisero, fuisse Gallieni vitia in pejus aucta, tamen difficile, tot historicorum, qui in effeminatis ejus moribus describendis consentiunt, velle fidem elevare, et his praeferre numos, qui principum vitia dissimulant, virtutes adfingunt. Non negavero etiam, Gallienum principio non vulgaria dedisse virtutis experimenta, subinde vero victis Ingenuo et Regaliano, rebusque supra vota cedentibus, ut perhibet Victor in Caesarib., factum solutiorem, et rem Romanam quasi naufragio dedisse; addo etiam, accidisse

nonnunquam, ut urgentibus periculis excuteret veterum, et ad tempus veterem virtutem revocaret. Vtriusque exemplum multo ante dedit M. Antonius IIIvir.

Postremam hanc sententiam si malimus amplecti, possumus hos numos in moneta urbis putare, neque necesse erit, tyrannum quempiam similium numorum fabrum putare. Neque etiam necesse tum erit, partem quoque averfam ad muliebris in antica inscriptionis concordiam cogere, quod in explicanda inscriptione VBIQVE. PAX placuit Vaillantio. Si enim ferebat Gallienus, se tanquam novam Cererem muliebriter appellari, potuit cum ea inscriptione qualiscunque averfae typus consistere, v. c. in numo loci III. VICTORIA. AVG. Atqui et epigraphes VBIQVE. PAX seria esse potuit significatio, eaque sive vera, sive ficta vel adfectata, vera, si quando, ut supra innuimus, fuit aliquod pacis intervallum, ficta secundum ea, quae narrat Victor: c) *at Romae Gallienus PACATA OMNIA ignavis publici mali improbe suadebat, crebro etiam, uti rebus ex voluntate gestis solet, ludos ac festa triumphorum, quo promptius simulata confirmarentur, exercens.* Ceterum ego huic meae sententiae non plus ponderis ipse tribuo, quam quantum conjecturae tribui vulgo confluevit, verumque esse existimo, quod de his numis edixit Barthelemyus, esse eos *l'ornement d'un Cabinet et le desespoir des Antiquaires.*

Commemorandum adhuc videtur, existitisse nuper virum, qui se palam rei numismatae praeceptorem ferebat.

a) Trehell. in Gall. c. 4.

b) Mem. D. L. T; XXX. p. 351.

c) in Caesã.

Poinsetum de Sivry, qui singularem hanc epigraphen: GALLIENAE. AV. GVSTAE sic punctis distinguendam docet: GALLIEN. AE. AVGVST. AE., legendamque adeo; GALLIENus AEdilis, AVGVSTa AEdilitas, ^{a)} qui mihi vir nunc prima, sed et summa Camoena dictus esto eum in finem, ne quis dolere possit, insignita ejus infomnia mihi in hunc usque diem fuisse ignota.

Vt lit. A.

VICTORIA. AET. *Victoria stans, in area S. P. AR.* (Mus. Caes.)

Hujus numi meminisse non attinebat, nisi notandus esset lapsus in eo describendo a Bandurio admissus. ^{b)} Nam cum in vocabulo AET. litera A formata sit ut N, et arealis litera P fere medium locum inter E et T occupet, factum, ut is legendum putaret VICTORIA. NEPTuni, atque sic epigraphen ad navalem aliquam victoriam referret. Video, ad eundem quoque lapidem offendisse Taninium.

Vt lit. A.

VICTORIA. PART. *Victoria imperatgri paludato adstanti coronam offert.* AR. (Band.)

Eadem averlae epigraphe habetur etiam in Valeriano, ad cujus victoriam de Parthis referendus hic quoque numus, nisi potius victorias Odenathi indicet, propter quas tanquam sibi proprias triumphavit etiam. teste Trebellio. ^{c)}

Vt lit. H.

VICTORIA. AVG. III. *Victoria gradiens.* AR. (Band.)

Vt lit. A.

VICTORIA. AVG. III. *in aliis: VI. VII. VIII. VIII. Victoria gradiens.* AR. (Band.)

Probatur his numis, quod jam alias dixeram, Gallienum ita suas numerasse victorias, ut principes superiores ex numero victoriarum imperatoris titulum auxerunt. De quibus hostibus singulae hae victoriae relatae sint, definiri nequit.

Vt lit. A.

VICT. GAL. AVG. *Tres Victoriae stantes.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

VICT. GAL. AVG. III. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vterque numus tres indicat victorias, prior typo, alter ipso numero. Relatas de Gallis indicat epigraphe GAL., ergo de Postumo et Gallis ejus partes secutis. Inde factum, ut in numo, quem supra in numis expeditionis Germanicae recitavimus, diceretur RESTITVTOR. GALLIAR.

O. IMP. GALLIENVS. PIVS. FELIX. AVG. *Protome laureata d. caduceum super humero tenet.*

VIRTVS. GALLIENI. AVGVSTI. *Vir paludatus gradiens et respiciens utraque manu unum idemque vexillum gestat.* AV. m. m. (Tanini una cum icone.)

Numus insignis cum propter typum anticae, tum molem nobilis metalli. De Gallieno Mercurio egimus supra sub DONA. AVG. Cum hoc jungendus numus sequens:

^{a)} Nouvelles recherches pag. 78.

^{b)} Pag. 183.

^{c)} Cap. 10.

P. IMP. GALLIENVS. PIVS. FEL. AVG. *Protome laureata cum hastâ super humero, s. clypeum cum inserto Medusæ capite.*

VIRTVS. AVGVSTORVM. *Gallienus paludatus thoraci insidens, et a Victoria pone stante coronatus dexteram porrigit adstanti militi, pone duo signa militaria.*

AR. m. m. (Tanini una cum icone.)[•]
Vt lit. A. Caput radiatum, in alio pelle leonis coopertum.

VIRTVS. VALERI. *Phaetra, exuviae leonis, clava, thorax, arcus.* AR. (Band.)

Gallienum utraque numi facies manifestum Mercurium sifit sumpto hujus insaniae a Commodo exemplo. De addito VALERI. actum supra in PIETAS. FALERI.

Divus Gallienus.

Teste Victore Gallienum subacti a Claudio patres, quod ejus arbitrio imperium accepisset, divum dixere, quod utrum ope numerorum probari possit, modo inquirendum.

DIVO. CAES. GALLIENO. *Caput laureatum.*

CONSECRATIO. *Aquila costum respiciens.* AR. (Tanini.)

Hoc numo Gallieni consecrationem a Victore memoratam confirmari putat Taninius. Verum si genuinus est numus similis alter a Pembrockio vulgatus, ^{a)} nisi quod in hoc epigraphe est: DIVO. CAES. Q. GALLIENO, multo est verisimilius, numum hunc una cum Taniniano esse Q. Iulii, qui fuit Gallieni filius, et de quo agam infra post Salo-

ninum. Etenim si essent Gallieni nostri, cur Caesar tantum diceretur, qui certus fuit Augustus? cur in Pembrockiano imberbis fingitur, qui in certis suis numis omnibus barbam promittit? Neglexit addere Taninius, quo cultu sit Gallienus numi sui, neque, quod tamen merebatur, ejus proposuit imaginem. Quod si in hoc quoque imberbis est, Gallieni Augusti is esse nequit, et erit haud dubie hic quoque Q. Iulii Gallieni, ut dicemus in hujus numis.

Mediobarbus argenteum ex indice Cavortae citat: DIVO. GALLIENO. X. CONSECRATIO. *Aquila fulmen unguibus tenens.* Vtrum is a nemine alio conspectus fidem promereatur, dubitem.

Numi Gallieno vulgo tributi.

GENIVS. P. R. *Caput radiatum imberbe cum modio supra caput.*

INT. VRB. S. C. *intra lauream.* AE. I. II. (Mus. Caes. Band.)

GENIO. S. P. Q. R. *Caput simile. Eadem aversa.* AE. I. (Band.)

Solae conjecturae hanc sedem his numis adsignant. Patinus Gallieno INTRANSITI VRBEM dedicatos exillimat. Nolo in re nimium ambigua immorari conjecturis. Harum alias qui volet, adeat Bandurium, ^{b)}

Numi commatis peregrini.

Hujus generis copiosi adhuc exstant, ut docent catalogi omnes. Quod hi ad Gallieni historiam docent, suis locis inferuimus.

a) P. III, tab. 27.

b) Pag. 192.

Nomina ac tituli.

Praeter nomina in numis obvia *P. Lisinii*, tum et *Valeriani* ex numis Alexandrinis, inscripto A. K. Π. ΔΙ. ΟΥ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. adfertum, nisi forte ΟΥ. significet *Verum*, si fides marmori Muratorii, ^{a)} et *Galliēni*, quod verissimiliter a matre, ut mox dicitur, traxerit, aliud adhuc nomen

Egnatii produnt numi, sed Graeci, nam Romani hoc perpetuo abstinent. Ita legitur: Π. ΔΙΚ. ΕΓ. ΕΓΝ. ΕΓΝΑ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. Aliter hoc nomen enunciat marmor Gruteri: ^{b)} ΠΟΠΛΙΟΝ. ΔΙΚΙΝΙΟΝ. ΙΓΝΑΤΙΟΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΝ. ΕΥΣΕΒΗ. ΕΥΓΥΧΗ. ΣΕΒΑΚΤΟΝ. *Egnatia* gens Romae pridem cognita. Reinesius ex marmore, quod ipse vulgavit, ^{c)} in quo legitur: IMP. EGNATI. ΠΙΙ. FEL. AVG. MAX. ΤΡΙ. Ρ. Ρ. Ρ. CΟC. ΙΙ. Ρ. novum nobis Valeriani filium Egnatium Gallienum a Gallieno nostro diversum conficit, quam sententiam amplexus quoque est Tillemontius. ^{d)} Sed praeterquam quod invalidae omnino eorum sunt conjecturae, in quos, quaeso annos tribuent binos ejus consulatus, quos marmor praedicat? Suffectos datos illi, qui Augusti omnes honores jactat, ve-

rissimile non est; si autem fuere ordinarii, cur in fastis omnibus reticentur? Miror, hanc difficultatem non animadvertam acutissimo Tillemontio. Ergo hic Egnatius Aug. marmoris Reinesiani alius non erit a Gallieno nostro. Nunc nemo jam est, qui Egnatii nomen huic ademptum velit. Vnde is illud traxerit, facilis, ut reor, conjectura. Dixi supra in uxoribus Valeriani, verissimile videri, matrem Galliēni, cujus nomen a scriptoribus est praeteritum, dictam fuisse Gallienam, a qua nomen filio factum. Adde huic nomen *Egnatiae*, habebis *Egnatiam Galliēnam*, a qua filius dictus Egnatius Galliēnus, ut a matre Cornelia Salonina filius Cornelius Saloninus. Haec conjectura utrum probabilis, arbitrentur eruditi.

Decii, in unis marmoribus Gruteri, quae continuo citabo.

Germanicus, addito saepe *Maximus*. De hoc titulo vide supra in classe II. numerorum expeditionis Germanicae.

Dacicus Max. conjungitur cum titulo Germanici Max., tum trib. pot. III. cof. III. in marmoribus Gruteri. ^{e)}

De trib. potestate et consulatibus.

De his agetur in tractatu singulari.

PRETIUM.

Commatis Romant:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Argentei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.

a) Pag. 253. 6. b) Pag. 275. c) Syntagm. infer. p. 316. d) Nota IV. in Valeriani
 e) Pag. 275. 3. 4. (Kol. VII.)

Argentei ordinarii	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei omnis formae praecipue III.	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
<i>Commatis peregrini:</i>									
Numi triplicis hujus generis fere	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

CORN. SALONINA.

Ejus genus incertum. Istud constat, nuptam jam fuisse Gallieno fere decennio, antequam is imperator diceretur, nam Saloninus ejus filius, qui sexto circiter Gallieni imperantis anno caesus est, annum aetatis fere XVII. attigit, ut in hujus moneta dicitur. Durasse eam per totum mariti imperium, non modo numis Alexandrinis probatur, qui ei annum IĒ tribuunt, unicum duntaxat annum deinceps addente marito Gallieno, sed etiam quod teste Zonara maritum apud Mediolanum caesum ipsa coram conspexit, cui exitio tum ipsam involutam verisimile est. Male eam cum Pipara Attali Marcomannorum regis filia, Gallieni concubina, a Trebellio confundi jam docuit Tillemontius, ^{a)} aliique.

Liberi *Saloninus*, de quo in hujus moneta. Addit marmor Gruteri *Q. Iulium*, de quo infra post Saloninum, et filiam *Iuliam*, ^{b)} quin et *Gallam* ex actis martyrum colligunt eruditi, de quibus lege prolixè disputantem Brequignyam. ^{c)}

Numi:

A. SALONINA. AVG. *Ejus caput in AV. et Quin. Caput super luna in AR. et AE. III.*

B. CORN. (*rarius* COR.) SALONINA. AVG. *Caput ut lit A.*

C. CORNELIA. SALONINA. AVG. *Ejus caput in AR. m. m. AE. m. m. AE. I. II.*

Vt lit. C.

ABUNDANTIA. TEMPORVM. *Salonina sedens accedentibus tribus puellis nudis numos ex cornucopiae effundit, adstat figura muliebris et militaris.* AE. m. m. (Baldini.)

Nova in numis epigraphe. Vide, quae proxime sub ANNONA notabuntur.

Vt lit. C.

AEQVITAS. PVBLICA. *Tres Monetae stantes solito cultu.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

ANNONA. AVG. *Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae (in aliis ancoram) pro pedibus modius.* AR. AE. III. (Band.)

Advertit Bandurius, hanc averfam, etsi nunquam alias in Augustarum numis occurrat, posse tamen jure ad Saloninam pertinere, quoniam in hujus quoque moneta *abundantiam temporum*, et *deam Segetiam* habemus, quae utraque cum annona conjungitur.

Vt lit. A. vel B.

AVG. vel AVGVSTA. IN PACE. *Mu-*

a) Nota VI, in Valerian.

b) Pag. 275. 7.

c) Mem. B, L. T. XXXII. p. 262.

lier sedens d. ramum oleae, f. hastam. AR. AE. III. (Muf. Caef. Band.)

Vt inusitata est haec epigraphe, ita nolim arbitrari cum Vaillantio, numos hos signatos esse a tyranno quopiam in Saloninae dedecus, perinde ac alium inscriptum VBIQVE. PAX in opprobrium Gallieni. Nam ut hic Gallieni numus rarissimus est, ita illi obvii, et potest haec epigraphe sensum commodum, neque Augustae honori injuriammittere.

Vt lit. A.

DEAE. SEGETIAE. *Templum quatuor columnarum, intra quod dea stans manus attollit.* AR. AE. III. (Muf. Caef.)

Segetiam Romanorum deam jam multo cum saepe risit D. Augustinus. ^{a)} Ejus etiam meminit Macrobius. ^{b)} Ipsum nomen docet, fuisse praefectam segetibus. Eandem Plinius *Segetiam* vocat. ^{c)}

Vulgavit Harduinus in Plinio suo L. X. p. 570 numum Gallieni argenteum, eumque aeri incisum dedit tab. VIII., cujus is averfam sic describit: DEAE. SEGVSAÑO. *Dea stat expansis manibus intra triumphalem arcum.* Praesentes Saloninae numos cum Harduini iconismo conferentibus facile manifestum fiet, perperam ab erudito hoc viro lectum SEGVSAÑO pro SEGETIAE. Ex hoc tamen indicio istud intelligimus, hanc deam non tantum Saloninae numis, sed mariti etiam fuisse illatam, etsi in Gallieno rarissimos esse oporteat, cum ejus similem neque Bandurius, neque Taninius usquam conspexerint.

Vt lit. A.

IVNO. AVG. *Mulier sedens d. florem, f. infantem fasciis involutum.* AR. AE. III. (Band. Muf. Caef.)

Vt lit. A.

IVNONI. CONS. AVG. *Cervus.* AR. AE. III. (Ibid.)

Typum numi praecedentis explicatum vide in moneta Lucillae. Cervi causa Iunoni adstituti altius est petenda. Vaillantius et Bandurius ad Trifani hac super re judicium appellant. Docet hic, propterea Iunonem cervam gaudere, quoniam teste Callimacho ^{d)} cum Diana cervas aliquando venaretur, harum unam Iuno ejus furori subduxit. Vix existimo, a causa parum cognita, et forte uni Callimacho memorata cervum Iunoni in hoc numo quaesitum. Eam potius ex notiore mythologia petendam puto, qua docente discimus, Iunonem eandem esse cum Diana, cum partus ministeria aguntur. Ita disertus Cicero: ^{e)} *Luna a lucendo nominata; eadem est enim Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant, quae eadem Diana annivaga dicitur.* Lege etiam, quae sequuntur. Quare cum in hoc numo Iuno dicatur *conservatrix Augustae*, eamque praecipue in partu sibi praesentem velit Salonina, placuit pro pavone adstituere cervum, ut non Iuno regina intelligeretur, sed Lucina, quae eadem cum Diana.

^{a)} de civ. Dei L. IV. c. 8. in Dian. v. 105.

^{b)} Saturn. L. I. c. 16.

^{c)} L. XVIII. § 2.

^{d)} Hymn.

^{e)} de Nat. deor. L. II. c. 27.

Numi reliqui typos in Augustarum moneta obvios continent.

Numi commatis peregrini.

Vt Gallienus, ita et uxor copiosos ostentat numos foris signatos, nihil tamen hi ad historiam memorandum continent praeter nomina, de quibus mox.

Nomina Saloninae.

Ex numis Latinis et marmoribus alia ejus nomina non habemus praeterquam *Corneliae Saloninae*. Alia adhuc memorant numi Graeci.

Iulia. Additum nomen istud legitur in nonnullis numis urbium Cariae, ut Antiochiae et Aphrodisiadis, sic: ΙΟΥ. ΚΟΡ. ΣΑΛΩΝΙΝΑ. *) Inde a Iulia Domna multae Augustarum, etsi

ex gente Iulia non fuere, Iuliae sibi nomen adscivere. Igitur filius Q. Iulius, et filia Iulia, quos supra in ejus liberis indicavi, a matre haec sua tenuere nomina.

P. Licinia. Legitur in numis Aphrodisiadis et Bargasae, Cariae item: ΠΟ. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΣΑΛΩΝΙΝΑ. (Pellerin.) Certum videtur, Saloninam pro ea ejus aetatis in adoptandis nominibus licentia haec nomina a marito Gallieno suscepisse.

Chryfogone. Nomen istud jam pridem ex numis Graecis cognitum: ΣΑΛΩΝ. ΧΡΥΤΟΓΟΝΗ. ΣΕΒ. inscriptum compluribus numis urbium Ioniae ac Lydiae. Ex quo tamen non sequitur, quod censuere nonnulli, Saloninam forte stirpis Graecae fuisse. Verisimile est, ei aureum istud nomen a quibusdam adulantibus Graeculis fuisse adfixum.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei moduli ordinarii	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

Commatis peregrini:

Urbium liberarum	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Coloniarum	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

a) Pellerin.

P. LIC. CORN. VALERIANVS SALONINVS.

Gallieni et Saloninae filius certus, quod praeter historicos ac numos discrete docet marmor Gruteri, ^{a)} quod eum Valeriani nepotem, Gallieni et Saloninae filium praedicat. Avo et patre ad imperium evectis V. C. 1006. continuo dictus Caesar ^{b)} aliquot post annis a patre in Gallias, ubi is tum degebat, est avocatus. At Gallienus turbatae tum ab Ingenuo Pannoniae succurrere co-

ctus interea filium Sylvani fidei credidit. Quod cum aegre ferret Postumus Galliarum tum praefectus, Saloninum quaestitis causis Colonia Agrippinam compulit, eaque armis expugnata ad mortem adegit circiter V. C. 1012 annos natum ferre XVII., ut haec omnia multo examine collegit eruditus Brequignyus. ^{c)}

SALONINVS CAESAR.

- A. P. COR. SAL. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*
- B. P. C. L. VALERIANVS. NOB. CAES. *Caput nudum in AV. AR. m. m. Q. AE. I. II., radiatum in AR.*
- C. SALON. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*
- D. P. LIC. COR. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*
- E. LIC. COR. SAL. VALERIANVS. N. CAES. *Caput radiatum in AR., nudum in AE. m. m. I. II.*
- F. SALON. VALERIANVS. NOB. CAES. *Caput radiatum in AR.*
- G. VALERIANVS. CAES. *vel NOBIL. CAES. Caput radiatum in AR.*
- H. P. LIC. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*

Vt lit. A.

DII. NUTRITORES. *Iuppiter stans s. hastam, d. Victoriolam porrigit imperatori paludato adstanti. AR. (Mus. Caes.)*

Deos Genitales in Crispina, Auspices in Severo, Patrios in Caracalla et Geta vidimus, Nutritores nondum hactenus. Eos Libanius θεος κροτοροφες appellat. Trifstanus adstantem Iovi figuram Gallienum ipsum facit, eumque una cum

Iove dici deum et nutritorem filii adfirmat, credo propterea, quoniam epigraphe plures deos enunciat, quae a deo, nisi et alteram figuram complectatur, vera non erit. Haec sententia vera haud dubie est, quia laurea, quae adstantis caput ambitur, quaque Saloninus, quamdiu Caesar fuit, nunquam usus est, dubitare de Gallieno non finit.

a) Pag. 275. 5. Declam. XL1, p. 879.

b) Trebell. Zofim.

e) Mem. B. L. T. XXXII. p. 262.

d) Tom. I.

Vt lit. B. et G.

IOVI, CRESCENTI. *Iuppiter infans caprae infidet.* AR.

Typus obuius in moneta Salonini, et secundum alios etiam Valeriani junioris. Reperitur etiam, sed rarius, in Gallieno. In ejus explicatu more suo abundat Triflanus. Proponitur Saloninus puer ritu Iovis pueri crescentis inter alimenta a capra praebita, quae nota est fabula. Re ipsa hoc typo involvitur spes de Salonini imperio concepta. Enimvero apud Gruterum juxta similem Iovis crescentis imaginem legitur BONAE, SPEI AVG. VOT. b)

Vt lit. B. C. H.

PIETAS, AVGG. *Instrumenta pontificalia.* AV. AR. (Band)

Aversa obvia in moneta Caesarum. *Antica varia.*

PRINCIPI, IVVENTVTIS. *Ipse paludatus stans cum variis attributis.* In omni metallo et forma.

Numi reliqui: FIDES, MILITVM. — SPES, PVBLICA — VICTORIA, GERMAN. — VICTORIA, PARTH. nempe victoriae patris et avi in Salonini moneta jactatae.

SALONINVS AVGVSTVS.

- A. IMP. SALON. VALERIANVS, AVG. *Caput radiatum.*
 SPES, PVBLICA. *Spes gradiens.* AR. (Pellerin Mel. I, p. 193.) AE. III. (Band.)
 B. IMP. VALERIANVS, P. F. AVG. *in aliis sine IMP. Caput radiatum.*

AEQVITAS, AVG. — DEO, VOLCANO. — ORIENS, AVGG. — PAX, AVGG. PIETAS, AVGG. — VIRTVS, AVGG. (Band. sub Valeriano jun.)

C. IMP. C. P. LIC. VALERIANVS, P. F. AVG. *Caput radiatum.*
 PRINCIPI, IVVENTVTIS. *Miles hastatus stans.* (Band. sub Valeriano jun.)

D. IMP. VALERIANVS, AVG. *Caput radiatum.*
 SECVRIT, PERPET. *Mulier stans d. hastam, s. cippo innixa.* (Band. sub Valeriano jun.)

Vt lit. C.

VICTORIAE, AVGG. IT. GERM. *Victoria stans, pro pedibus captivus sedens.* AR. (Catal. raisonné p. 132.)

Numi sub Literis B. C. D. ab omnibus hactenus Valeriani jun. moneta habiti sunt. De titulo Augusti, quem numi hi praefereunt, agetur mox in singulari dissertatione.

DIVVS SALONINVS.

Saloninum in divorum numerum relatum, sequentes numi comprobant.

- A. DIVO, CAES. VALERIANO, *vel: DIVO, VALERIANO, CAES. Caput radiatum in AR. AE. III.*
 B. LIC. COR. SAL. VALERIANVS, N. CAES. *Caput radiatum in AR. AE. III.*
 C. DIVO, CORN. SAL. VALERIANO, *Caput nudum in AE. I.*
 D. DIVO, VALERIANO, *Caput nudum in AE. I.*

Vt lit. A. B. C. D.

CONSECRATIO vel CONSACRATIO. *Ara ignita, vel aquila stans, vel haec Caesarem s. hastam tenentem sursum efferens.* AR. AE. III. (Mus. Caes.) Rogus. AE. I. (Band.)

Vt lit. A.

ORIENS. AVGG. *Sol stans d. elata, s. globum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PIETAS. AVGG. *Instrumenta pontificalia.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PRINCIPI. IVVENT. *typo solito.* AR. (Band.)

Lubet et sequentem numum in hanc stationem inferre.

VALRIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

CONSACRATIO. *Aquila volans imperatorem s. hastam tenentem sursum effert.* AR. (Baro Bimard ad Iobert. T. II. p. 103.)

Numi commatis peregrini.

Coloniarum numi desunt dempto Antiochiae Pisidiae, qui est in museo Caesareo. Alium coloniae Parianae Medio-barbus ex museo suo dedit, sed perperam Valeriano jun. assignavit. Exstant tamen complures signati in urbibus Graecis, et in Aegypto, ex quibus, quae huc faciunt, in sequentibus animadversionibus excerptus.

Nomina Salonini.

Ejus omnia nomina fuere: P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Gallie-

nus. Dempto postremo confirmantur omnia ab ipsis numis Romanis. Gallieni nomen teste Bandurio ostentat numus Perinthiorum, et alter Antiochiae Pisidiae ex museo Caesareo, et consentit Trebellius ^{a)} tum Zonaras. ^{b)}

Egnatius. Hoc nomen praefert numus Samiorum apud Vaillantium, sed quem is perperam Valeriano jun. tribuit, ^{c)} ut dicitur infra in diatriba II.

Cornelii Salonini nomina habuit a matre Cornelia Salonina, reliqua a patre et avo.

DIATRIBE I.

De titulo Augusti in Saloninum collato.

Saloninum Augustum faciunt numi sequentes:

Commatis Romani:

Eos paullo altius descriptos vide.

Commatis peregrini:

ΠΟΥ. ΔΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟΝ. ΚΑΙ. ΣΕΒ. *Caput nudum, Colybrafsi Ciliciae.* (Pellerin Rec. III. p. XXVII.)

ΠΟΥ. ΔΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟΝ. ΣΕΒ. *Caput laureatum, ejusdem urbis.* (Pellerin Rec. III. p. 249.)

ΠΟΥ. ΔΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟΝ. ΚΑ. ΚΑΙ. ΣΕΒ. *Caput nudum, Sidetum Pamphylicae.* (Mus. Caes.)

ΠΟΥ. ΔΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟΝ. ΚΑΙ. Σ. *Caput nudum, Laertes Ciliciae.* (Pellerin Rec. III. p. 252.)

ΑΤΤ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΝ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟΝ. ΣΕΒΒΒ. *Capita Valeriani et Gallieni laureata, in horum medio caput Salonini nudum, Nicaeae Bithyniae.* Sunt et similes Nicomediae, quos

a) in Valeriano jun., et in Salonino cap. 1.

b) L. XII. c. 24.

c) Num. Graec. p. 188.

collectos vide apud Bandurium p. 135
seq.

Alexandrini.

Π. ΔΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. ΚΑΙC.
CΕΒ. *Caput nudum cum annis* Δ. Ε. Σ. Ζ.
(Mem. B. L. T. XXXII. p. 268.)

Cum solo *imperatoris*, seu *αυτοκρατο-*
ρος titulo :

IMP. C. L. VALERIANVS. NOB.
CAES. *typo trium Monetarum.* AE. I.
(Mus. Genoveyae tab. XIX. n. 20.) Ve-
rum in simillimo musei Caesarei pro
IMP. legitur simpliciter P.

IMP. CAES. P. LIC. CORN. GAL-
LIENO. *Caput radiatum*, Antiochiae
Pisidiae. (Mus. Caes.)

A. K. Π. ΔΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. *Ca-*
put laureatum, Cymes Aeolidis, et Smyr-
nae. (Band.)

Ex catalogo numorum, qui Saloni-
num Augustum dicunt, eximendus is,
quem Bandurius sic describit :

SAL. VALERIANVS. AVG. *Ca-*
put Salonini corona ex lauro et
gemmis ornatum.

VENERI. VICTRICI. *Dea stans d. pō-*
num, s. galeam, in areā S, in imo SM.
TS. AE. II.

Numum hunc hausit Bandurius ex
museo M. Ducis. Ea lectio cum mihi
pridem suspecta visa esset, numum co-
ram curate inspexi, at cum nonnihil
exefae sint literae, aliud exsculpere non
licuit, praeterquam : SAL. VALERIA-
NVS, ut dixi in meis Num. vet. p. 314,
quo loco fallacem hunc numum restitui.
Serius obductum et Bandurio et mihi
glaucoma adverti, cum reperirem casu,

capitis epigraphen legendam : GAL.
VALERIA. AVG., numumque esse ob-
vium ac tritum Galeriae Valeriae uxo-
ris Gal. Maximiani.

Commemoratis Salonini Augusti et
imperatoris numis eruditorum de his ju-
dicia audienda.

Bandurius cum videret, Saloninum
adhuc vivum in numis compluribus di-
ci Augustum, at Caesarem tantum in
ejus consecrati numis, tam gravem eam
difficultatem edixit, ut nulla ingenii vi
explicari posse testaretur. ^{a)}

Audentior Brequignyus nodum solve-
re tentavit in sua dissertatione de fami-
lia Gallieni, ^{b)} quod quidem tentamen
sic instruxit.

Constat, Saloninum V. C. 1010 a
patre Gallieno ex urbe in Gallias ad ex-
ercitum accitum, at cum pater paullo
post turbantibus Pannoniis discedere in-
de cogeretur, filium reliquisse in Gal-
liis, ubi deinde ea a Postumo passus est,
quae diximus. Verisimile, Saloninum
a patre antequam discederet, dictum
Augustum, ut majore in Galliis polle-
ret auctoritate. Quod si statuamus, de-
latum hunc filio honorem non fuisse a
senatu ratum habitum, hoc uno conci-
liari posse videbuntur. Ex vetere mo-
re provinciae divisiae erant inter impe-
ratores et senatum. Ergo quae erant
prioris generis, intellecta principis vo-
luntate Saloninum agnovere Augustum,
non item, quae a senatu pependere.
Et agnovit Aegyptus Augustum, quoni-
am imperatoria ea fuit; unde tot ejus
numi, qui CΕΒατορυ eum appellant.

a) in praef. ad Tom. I.

b) Mem. B. L. T. XXXII. p. 266.

Constat deinde, ad imperatorem pertinuisse jus signandi auri argentique, ad senatum aeris, unde in promptu ratio, cur exstet argenteus, qui Saloninum Augustum dicit. Certum denique, consecrationem juris senatorii fuisse, unde rationem rursus tenemus, cur Saloninus in consecrationis numis Caesar tantum nominetur. Quod vero in aliquibus numis, qui in provinciis signati sunt, quae senatus fuere, dicatur tamen *imperator* simpliciter, nequaquam mirum, nam ut quis agnosceretur Augustus, necesse erat accedere auctoritatem senatus, at imperatoris titulus adclamatione militari acquirebatur.

Atque hoc obtentu Brequignyus plana omnia spondet, quae impedita hactenus atque implexa videbantur. Quo minus continuo ad sensum praestem, obstat

I. Auctore ipso Saloninus in numo argenteo dicitur Augustus, quoniam feriendi argenti jus ad principem pertinuit. Quaero, cur idem in argenteis consecrationis numis tanto numero superstitionibus constanter dicatur Caesar tantum, Augustus ex ejus sententia nunquam? An ut consecrationis decretum, ita et jus signandi aureos argenteosque consecrationis numos ad senatum pertinuerat? Sin istud, cur in omnium consecratorum principum numis nobilioris metalli abest nota S. C. ? Nonne eam existere in numis aureis argenteisque divi Vespasiani: verum tum scribitur EX. S. C., quo indicari, non hos numos senatus consulto fuisse cufos, sed Vespasianum ex S. C. consecratum, noverunt omnes.

II. Exstant Alexandrini Salonini numi cum titulo Augusti, annisque Δ. Ζ.

(Vol. VII.)

Coepit annus Δ exeunte Augusto V. C. 1009 P. X. 256, et annus Ζ eodem mense V. C. 1012 P. X. 259, quo ipso eum anno subinde caesum diximus. Ergo Saloninus Augustus fuit annis solidis duobus, et saltem aliquot mensibus. Ex quo consequitur necessario, numos Salonini tantum Caesaris argenteos omnes, quorum ingens superest copia, quin et aureos omnes, quos habemus, signatos fuisse ante mensem Augustum dicti anni 1009, cum deinceps Augusti eum imagine proponi necesse fuerit. At cur monetarii, qui tam seduli fuere in dedicanda Salonino *Caesari* moneta, continuo remifere, ex quo is Augustus fuit? Certe ex moneta argentea Salonini Augusti intra biennii et amplius spatium signata numum unicum habemus supersitem. Si vera Brequignyi sententia, an non contrarium potius debuisset evenire ipsa ratio suadet? Adverte, me hic loqui in sententia Brequignyi, qui unicum tantum argenteum Salonini *Augusti* agnovit, reliquos aliorum exemplo Valeriano jun. adjudicavit.

III. Habemus argenteos Salonini numos inscriptos VICTORIA. PART., perinde ac patris Gallieni, et avi Valeriani. Omnium una est sententia, hos signatos occasione victoriae, quam hic sub initium expeditionis suae de Persis retulit. Relatam hanc chronologi statuunt V. C. 1012, qui Breckignyo ipso iudice fuit postremus Salonini. Tamen is in hoc numo Caesar tantum dicitur, qui tum vel maxime Augustus dicendus fuerat.

IV. Recitat Muratorius insignem inscriptionem dedicatam Valeriano, Gal.

H h h

lieno, quorum utrique additur trib. potestas VII., et Salonino, qui dicitur: P. CORNELIVS. SALONINVS. VALERIANVS. NOBILISS. CAES. PONT. Currebat illorum tribunatus VII. cum anno V. C. 1012, Salonini, ut diximus, postremo, et tamen Caesar adhuc tantum appellatur. Lapis teste Muratorio ^{a)} repperitus est in Italia. An et haec quoque regio ad senatum pertinuit?

V. Quin et ipsi numi, qui Saloninum Augustum pronunciant, plerique aliquid illi de Augusto honore detrahunt. Ea aetate Augustorum capita in numis cujuscunque commatis nuda nunquam comparent. At Saloninus est Augusti titulo tumidus tamen in numis Aegypti, et plerarumque aliarum urbium, quo caput teneret, non reperit. Eodem modo numi Aegyptii Philippum juniorem, quo tempore Caesar tantum erat, rite quidem capite nudo proponunt, et tamen Καίσαρα Σεβαστον appellant.

VI. Denique cum numi omnes, qui hactenus Valeriano jun. ab antiquariis tribui consueverunt, haud dubie Salonino restituendi sint, ut sequente diatriba adcurate comprobabo, ex quo sequitur, nequaquam unicum tantum Salonini numum argenteum cum titulo Augusti agnoscendum, sed plures, eosque justo numero, Brequignyi sententia sumapte corrui. Nam cum hi numi manifeste sint commatis Romani, et Saloninum, seu vivum seu defunctum, jam Caesarem jam Augustum promiscue dicant, titulus Augusti non jam ex varia mente provinciarum est explicandus, sed mirum hunc dissensum intra ipsam ur-

bem fuisse agnoscimus. At enim idoneam ejus commemorare causam, hoc opus, hic labor. Tentabo tamen. Video in nonnullis monumentis Saloninum *imperatorem* nob. Caesarem absque titulo Augusti dici. Recitat Gruterus marmor inscriptum: IMP. CAES. P. LICINIO. CORNEL. VALERIANO. NOBILISS. - - CES. PRINCIPI. IVVENTVTIS. ^{b)} Si vera est lectio numi, quem supra ex museo Genovevae citavi, et qui est commatis Romani, in hoc quoque dicitur IMP. C. L. VALERIANVS. NOB. CAES., ut mittam numos plures Graecos, in quibus solum titulum *αυτοκρατορος*, *imperatoris* praefert. Videri igitur possit, Saloninum, cum vice patris apud exercitum Gallicum subsisteret, ut majore polleret auctoritate, imperatoris titulo, sed militari tantum, fuisse ornatum. Quid quod eadem ratione paullo post numi non pauci Carini et Numeriani inscripti fuere: IMP. C. M. AVR. CARINVS. vel NVMERIANVS. NOB. C., cujus veram causam in utriusque numis ex Vopisco proponam. Praecipuum exemplum Iulianus apostata, in iisdem Galliis et Caesar tantum, et imperator. Si vera sunt Trebellii testimonia, etiam Valerianus jun. dictus erat imperator, quem tamen neque Caesarem, neque Augustum fuisse sequente diatriba luculente probabo. Non hic disputo, quid hac aetate, et in hac rerum omnium perturbatione in imperatoris vocabulo ejusque sensu potuerit imitari, etsi Titum, Trajanum, Antoninum Pium, Commodum, Caracallam jam viderimus imperatores, et tantum

a) Pag. 460. 5.

b) Pag. 158. 8.

Caesares, si modo vetera majestatis Rom. exempla hujus aevi opprobriis possunt æquiparari. Quod huc facit, video Victorem in Caesarib. acerbe conqueri, Gallieno imperante non modo rerum vim, sed et nominum fuisse corruptam. Quid igitur mirum, in communi ea perveritate monetarios non paucos imperatoris titulo deceptos, cum eum plerumque alias cum Augusti nomine conjunctum viderent, eum revera Augustum dicendum fuisse arbitratos. Quod si ad istud stabiliendum requirimus exemplum, illustre, ac simillimum nobis suppeditant numi Macrini, in quorum aliis, etsi uno eodemque anno signatis, legitur: TR. P. II. COS. aliis: TR. P. II. COS. II., cujus causam jam tum in consulatus a monetariis varie numeratos contuleram. Paucis ut quaestionem totam absolvam, omissis in ipsis, ac fere omnibus consecrationis numis titulus Augusti tanti esse momenti mihi videtur, ut verisimile non sit, Saloninum certa quadam lege promulgatum Augustum, talemque per imperium agnitum.

DIATRIBE. II.

De numis Valeriano jun. hactenus adjudicatis.

Omnium antiquariorum judicio Valerianus junior senioris filius, Gallieni frater germanus suos habuit numos. Re maturius expensa visum, numos omnes, quos eruditi usque modo eidem proprios voluerunt, restituendos Salonino. Cum mihi hoc loco adversum inveteratam omnium sententiam, qui nu-

mos antiquos tanta cum gloria illustrare, pugnandum sit, necesse est, causam omnibus copiis, quas ars nostra suppeditat, instruere, ne temere ad evertendam opinionem tantis nixam auctoritatibus processisse videar, quod facile obtinebo, siquidem evicero, Valerianum hunc neque Caesarem, neque Augustum unquam fuisse; nam constat, nonnisi iis, qui hac dignitate praefuere, dedicatam monetam fuisse. Omnium ergo primo sequens thesis probanda.

§. I.

Valerianus junior neque Caesar, neque Augustus probari ex veteribus monumentis potest.

Vetera monumenta dicimus I. historicos, II. fastos, III. marmora, IV. numos, quae omnia quam parum faveant Valeriano, seorsim contemplabimur.

I. *Historici.* Ex his unus Trebellius Pollio Valerianum aut Caesarem aut Augustum profitetur, at quam istud ambiguit, ex ipso audiamus. Ait primum in ejus ipsius vita: *a patre absente Caesar est appellatus, a fratre, ut Celestinus dicit, Augustus.* Paulo post: *et quoniam scio, errare plerosque, qui Valeriani imperatoris titulum in sepulcro legentes illius Valeriani redditum putant corpus, qui a Persis est captus, ne ullus error obrepat, mittendum in literas censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum addito titulo Claudii jussu: VALERIANVS IMPERATOR.* Alio loco: *ubi (circa Mediolanum) continuo et frater ejus Valerianus est interfectus, quem multi*

Augustum, multi Caesarem, multi NEV-TRVM fuisse dicunt, quod verisimile non est. Siquidem capto jam Valeriano scriptum invenimus in fastis: VALERIANO. IMPERATORE. COS. Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater? Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel ut coeperunt alii loqui, de majestate. O praeclarum historicum! cum quo comparati Thucydides, Polybii, Taciti nihil sunt. Si scriberem ego: mortuus est anno post Christum MDCC XLV. Carolus elector Bavariae, quem multi Romanorum imperatorem, multi Bohemiae regem, multi neutrum fuisse dicunt, si inquam haec Vindobonae, ipsa imperii sede, ubi publica privataque testimonia praesto sunt, quo tempore innumeri adhuc sunt superstites, qui ipsi testes fuere rerum gestarum ejus principis ante annos nonnisi L. defuncti, eadem lege scriberem, narraremque, an non omnibus aut risum moverem, aut stomachum? Anni numerabantur non multo plures XL., qui inter Valeriani senioris fatum Persicum, et Constantini M. imperium, quo regnante Trebellius scripsit, intercessere, et nisi docuisset Celsinus nescio quis, Valerianum fuisse dictum a fratre Augustum, ignorasset rem maximi sane momenti, qui in urbis luce historiam aevi sui scripsit, eamque imperantibus dedicavit, qui Mediolano usque lapidem evocat, cujus fide fabulam de reddito a Persis Valeriani corpore abstergeret, perinde quasi rei ante annos non multos gestae, et ad memoriam insignis testes omnes quodam Deucalionis dilu-

vio interiissent. At enim etsi ridicula haec fuere testimonia, certum tamen reddidere bonum Trebellium, Valerianum suum fuisse Augustum. At cur paulo post in eodem examine diffusus Celsino suo et lapidi Mediolanensi *verisimile* tantum ait, eum Augustum fuisse? Verum jam acrius crisin intendit. Ad fastos provocat, in quibus scriptum testatur: VALERIANO. IMPERATORE. COS., eorumque fide Valerianum imperatorem probat. Non recusamus horum judicium, iisque fasces libenter submittimus. Quis crederet, posse scriptorem tanto testimoniorum hiatus haec denique parturire: *constare quidem de Valeriani genere*, nimirum qui ejus majores, *non satis tamen constare de dignitate vel majestate*, nimirum fueritne Caesar vel Augustus. Totum igitur, quod nos operose docuit Trebellius, huc redit: constat, non constat. Nescio, operae pretium sit, recitare alium adhuc Trebellii locum, qui huc pertinet. ^{a)} Narrat, consularem Aurelium Fulcum Pisoni divinos honores decrevisse, addidisseque: *Gallienum et Valerianum et Saloninum imperatores nostros esse confido*. Memoratus hoc loco Valerianus, ajunt, nequit esse pater Gallieni, qui sane fuisset praeponendus, et qui tum in squalore Persico haesit, ergo frater Valerianus, atque hic ex hoc etiam testimonio imperator. Liceat bona eorum venia aliter sentire, atque istud quoque Trebellii oraculum aspernari. Nam Saloninum tanquam vivum appellat eo tempore, quo verisimiliter in vivis amplius non fuit. Quod si, ut aliqui hanc

a) in tyranno Pifone.

sententiam mitigant, hoc nomine intelligitur Q. Iulius alter Gallieni filius, petam mihi probari, eum et Saloninum fuisse dictum. Novi, istud a nonnullis duci ex numis, sed Goltzianis, tum et Trebellio, verum tota haec Trebellii oratio sensu caret, ut adeo jam Salmasio, tum et Pagio, *) luxata, et ege-
 re ope medica visa fuerit. Atque haec ejus testimonia quantumcunque imbel-
 lia et futilia, unica tamen sunt, quae Valerianum Augustum profitentur, et hoc unico auctore nixi antiquarii, quem pridem Pagius ipsam, quam scripserat, historiam ignorasse arguit, de quo ex-
 stat ipsorum veterum iudicium, eum *multa incuriose prodidisse* b) et qui palam profiteri non dubitavit, se hos de vi-
 ta principum libellos non scribere, sed dictare, et dictare cum ea festinatione,
 ut respirandi non habeat facultatem, c) hoc, inquam, nixi auctore tacentibus
 historicis reliquis non dubitabant Augu-
 stum proclamare.

II. *Fasti*. Ad hos, ut diximus, pro-
 vocat Trebellius, cum in iis legeret VA-
 LERIANO IMPERATORE. COS. Quos
 fastos ob oculos habuerit, nescio; quos
 hodie superstites habemus, hanc formu-
 lam ignorant, neque solum in hoc, sed
 in omnibus retro imperatoribus. Quid
 quod haec formula, saltem ut eam pro-
 ponit, aperte fallit. Additum COS. sim-
 plex notare consulatum I., nemo erit, qui
 ambigat. Valeriani nostri consulatum I.
 fuisse suffectum, docent fasti. An habe-
 mus adhuc exemplum, illi, qui Augu-
 stus fuit, delatum fuisse suffectum, non

ordinarium? Sed mittamus haec. Op-
 ponet aliquis, in Chronico Alexandrino
 annum post Christum 265 signari con-
 sulatu Ουαληριανου Αυγουστου το Δ, id est:
 το δευτερον, iterum, et constat, eodem
 hoc anno Valerianum nostrum processis-
 se consulem iterum. At quis non videt,
 Chronicon istud, ut omnia sus deque
 miscet, ita et hoc loco parachronismum,
 admittere se dignum, nam *Valeriani*
Augusti nomine non intelligit juniorem
 nostrum, sed seniore[m] hujus patrem.
 Ceterum mirari subit, Trebellium, cum
 Valerianum probare Augustum cupit,
 nullum proferre monumentum, quod
 eum revera Caesarem vel Augustum
 dicat, dum omnia, quae adfert, exclu-
 so quovis alio titulo eum imperatorem
 tantum faciunt. Quod si etiam demus,
 non fuisse deceptum Trebellium legen-
 dis his epigrammatis, tamen probatum
 nondum est, Valerianum propterea,
 quod imperator dicebatur, fuisse aut
 Caesarem, aut Augustum. Vidimus
 diatriba superiore, Saloninum et Cari-
 num cum fratre, etiam cum Caesares
 tantum essent, dictos tamen imperato-
 res; poterat ergo et Valerianus, ut o-
 lim Drusus senior dici imperator titulo
 nempe militari, etsi neque Caesar esset,
 neque Augustus. Vide, quae de hoc
 argumento in laudata diatriba ad nume-
 rum VI. plura commemoravi.

III. *Marmora*. Vnicum, quod equi-
 dem norim, marmor exstat, quod Va-
 lerianum nostrum prodat. Est apud Gru-
 terum d) et insignis sane auctoritatis,
 nam inhaeret arcui portae urbis Vero-

a) Crit. Bar. ad V. C. 1013. § 3.
 d) Pag. 166. 2.

b) Vopiseus in Aureliano c. 2.

e) in Cenforino tyr.

nenfis. Legitur in eo omifis reliquis : VALERIANO. II. ET. LVCILIO. CONS. et paucis interjectis : IVBENTE. SANC. TISSIMO. GALLIENO. AVG. Vbi in hoc epigrammate, quod majorem Trebellianis omnibus fidem meretur, Valerianus nofter vel Caefar, vel Auguftus, vel imperator? In eodem Gallienus rite dicitur Auguftus, nimirum quia talis fuit. Igitur cum idem titulus omittatur in Valeriano, patet, eum Auguftum non fuiſſe.

IV. *Numi.* Ad hos potiffima antiquariorum provocatio, nam horum nullus adhuc fuit, qui non fuos Valeriano juniore numos eſſet largitus. Ergo quod fequitur, novere hujus numos ab aliorum imperatorum moneta ſecernere.

Tres modi horum criterium conſtituunt, I. lineamenta vultus, II. epigraphe capitis, III. variae in averſa periffaſes. At omnes tres modos in Valeriano eſſe fallaces, nullumque ex numis hactenus illi tributis, qui non aeque poſſet ad Saloninum referri, nunc comprobatum eo.

Lineamenta vultus. Haec in numis Valeriano huic tributis tam ſunt ambigua, ut ex iis ſolis ipſi illi, quos artis noſtrae principes magiſtros agnoſcimus, arbitrari vereantur, ſintne tribuendi Salonino, an hujus patruo Valeriano, coganturque propterea epigraphes modum ſuppelias vocare, ut mox ſeſtione ſeſtiente intuebimur. Neque vero et mihi, ut ingenue fatear, inſpectis tot hujus generis numis vel leviſſimum diſcrimen a lineamentis capere licuit. Et non mirum illud videatur, cum utriusque ae-

tas juſto intervallo diſtaret? Mortuus eſt Saloninus, cum annum ageret fere XVII., quam aetatem produnt etiam ejus numi. Demus, Valerianum annis XX. fuiſſe fratre Gallieno juniorem, cum hic anno aetatis L. caeſus ſit, necesse eſt, Valerianum egiffe tum annum XXX. Fateor, artificum peritiam in fingendis vultibus jam tum deficere coepiſſe, at non uſque eo prolapſam dicemus, ut peradoleſcentis, virique lineamenta confunderent, quae facile fuerat addita Valeriano barba diſtinguere, quam ejus aevi principes, cum primum natura dedit, promittere non neglexerunt. Inſpice, quaefo, numos Auguſti titulo inſignes, quos tribuere hactenus Valeriano jun. conſuevimus, an non in his omnibus genae perinde leves ac facies puerilis appareant, atque in iis omnibus, quos certo eſſe Salonini novimus.

Epigraphe capitis. Ad hanc recurri coeptum, cum prior ratio anceps eſſet, et in utramque partem fallax. Ut minoris ſubſellii praeceptores praeteream, de ea haec Vaillantius: ^{a)} *Plurimi Salonini numi ei (Valeriano juniore) tribuuntur. Qui enim in epigraphe his literis COR. aut SAL. aut DIVI nomine gaudent, Valeriani junioris non ſunt, ſed Salonini.* Huic fere conſona ſcribit Iobertus: ^{b)} *Oportet noſſe diſtinguere inter numos duorum Valerianorum, nimirum ejus, qui fuit filius Gallieni et Saloninae, dictus Cornelius Saloninus, et ejus, qui fuit filius Valeriani et Marinianae, dictus Licinius. Cum nihil ſcribitur praeterquam VALERIANVS, difficile diſcrimen, at cum additur COR. vel SAL. vel DIVVS,*

a) Num. praef. T. I. p. 190. ed Rom.

b) Tom. II, p. 28.

vel *CONSECRATIO*, certissimum habemus *Saloninae filium*; *Marinianae enim filius consecratus non est. Contra cum additur LIC., is tibi constanter Valeriani filius esto*, nempe Valerianus junior.

Regulam Vaillantii non valere ad omnes, de quibus controvertitur, numos, eam vero, quam dictavit Iobertus, esse falsam, facile demonstramus.

Nomina Salonini, quae vel ipsi numi Romani praeferunt, fuere P. LICINIVS. CORNELIVS. SALONINVS. VALERIANVS. Certum est, numos, in quibus Cornelii vel Salonini nomina adduntur, Valeriani jun. esse non posse, etsi hic suos, quod negamus, haberet numos, sed esse Salonini, qui ea a matre Corn. Salonina traxit, quae ad Valerianum nostrum non pertinuit. Certum est etiam, potuisse a monetariis ex pluribus his nominibus aliqua tantum adhiberi neglectis aliis, cujus exempla obvia per omnes fere Augustos habemus. Quin in eo conspirant omnes, etiam cum solum *Valeriani* nomen in numis est, nonnunquam haud dubie unum Saloninum indicari. Sic in plerisque ejus consecrati numis legitur tantum: DIVO. VALERIANO. CAES. In numis maximi moduli Nicaeae et Nicomediae signatis: ΑΥΤ. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟC. ΓΑΑΑΙΗΝΟC. ΟΥΑΑΕΡΙΑΝΟC. CΕΒΒΒ. *Capita Valeriani sen. et Gallieni laureata, Salonini nudum.* *) Verum quidem, non non defuisse viros praestantes, qui altero hoc numorum Graecorum Valeriano intelligendum esse Valerianum juniorem sanxerunt, quos inter fuit Morelli-

us, ^{b)} quem secutus deinde est Bandurius. ^{c)} Verum praeterquam quod satis ex hactenus dictis didicimus, Salonino perinde Valeriani nomen fuisse, jam suboluit pridem Pagio, male Morellium in his numis videre Valerianum juniorem, qui revera esset Saloninus, ^{d)} Bandurium vero mentem mutasse, patet ex iis, quae ipse in praefatione ad tomum I. docuit. Ergo si jam solum Valeriani nomen suffecit ad indicandum Saloninum, sufficere etiam poterant sola nomina *P. Licinii Valeriani*, cum iisdem vere praeditus fuerit, etsi forte abessent nomina *Cornelii* vel *Salonini*, ut jam Bimardus adversum Iobertum advertit. ^{e)}

At saltem de numis Valeriani, Augusti titulo insignibus, et juvenilius caput offerentibus dubitari non poterit, eos vere Valeriano juniore esse tribuendos. Istud modo inquirendum. Exstant numi copiosi argentei sic inscripti: *

VALERIANVS. P. F. AVG. in aliis:

IMP. VALERIANVS. P. F. AVG.

Caput juvenile radiatum.

Habemus binos, quos supra in Salonino descripsi:

IMP. SALON. VALERIANVS.

AVG. *Caput juvenile radiatum.*

Posteriores nemo negat esse Salonini, illos antiquarii omnes Valeriano juniore tribuunt, quo persuasi argumentò? an lineamentis? Haec, ut supra docui, discrimen non praebent. An titulo Valeriani? Sed nomine isto compellatus etiam fuit Saloninus. An nomine Augusti? Verum hoc, ut altius ex numis ipsis vidi-

a) Mus. Theup. Bandur. in praefat.

b) in Specim. p. 117. edit. primae et p. 196. sec.

c) Num. imp. Tom. I. p. 135.

d) Crit. Bar. ad V. C. 1013. § 17.

e) ad Tom. II. p. 102.

mus, datum etiam fuit Salonino. Ergo nihil habet in his numis Valerianus, quod sibi prae nepote faveret. At memorat nobis Bimardus argenteum ex museo Rothelin: ^{a)}

VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

CONSACRATIO. *Aquila imperatorem fursum effert.*

• Numum hunc confidenter Valeriano jun. tribuit, atque, ex eo intelligi, hunc quoque principem consecrationis honorem abstulisse. At enim secundum ea, quae diximus, nihil habet numus, quod non et suum profiteri posset Saloninus. Quid quod adduci non possum, ut credam, Valerianum junio-rem, et si Augustum fuisse demus, coelestes unquam honores sortitum. Narrat Victor in Caesaribus, coactum fuisse a Claudio senatum, ut Gallienum in divorum numerum referret, quam consecrationem in hominem spurcissimum collatam acerbe infectatur. An tacuisset tum, parem honorem impetratum etiam fratri eodem tempore ac loco una cum hoc interempti? Et an credibile, exstare consecrati hujus Valeriani numos, cum hactenus Gallienum, de cujus consecratione certi ex Victore sumus, ex numis consecratum ignoremus? Neque enim satis ad fidem idoneos puto aliquos ejus divis adscripti numos, quos supra in illius moneta recensui. Saloninum consecratum omnes novimus, eumque adhuc vivum jam Caesarem, jam Augustum dici. Cum variatum sit in vivo, cur variatum in mortuo incredibile videatur? Quid quod Bimardus sententiam

suam suis ipsius armis evertit. Nam si hic consecrationis numus est Valeriani junioris, necesse est, eum esse signatum sub Claudio. Esse argenteum, proficitur ipse, et tamen alio ejusdem operis loco ^{b)} diferte adferit, inde a Claudio usque ad Diocletianum non reperiri amplius monetam argenteam.

Quae ad *aversae peristases* attinet, peragentur sectione sequente.

§. II.

Valerianum juniorem neque Caesarem unquam fuisse, neque Augustum, numi plane persuadent.

Argumentis duobus, quorum unum ex moneta Romana, alterum ex Alexandrina peto, sententiam stabiliam.

I. Varias sunt eruditorum opiniones, quo anno Valerianus dictus Caesar videatur. Aliqui id factum non multo post susceptum a patre imperium putant, aliqui serius. Neque magis conveniunt in tempore collati tituli Augustei, tamen adferunt plerique, hunc illi honorem accessisse a Gallieno, postquam pater a Persis captus fuit. Mihi, qui Valerianum aut Caesarem, aut Augustum fuisse pernego, nullatenus de harum dignitatum epocha est laborandum, satisque ad meum institutum habeo, refellere illud, in quo conspirant omnes, Valerianum saltem extremis Gallieni annis fuisse fratris in imperio conlegam.

Esto, quod visum Brequignyo, quod nullus, quod sciam, copiosius Valeriani hujus historiam illustravit, ^{c)} esto,

a) ad Iobert. V. II. p. 103.

b) Pag. 404.

c) Mem. B. L. T. XXXII. p. 274. seq.

inquam, eum non a patre Valeriano, sed fratre Gallieno summos honores adsecutum, et quidem Caesaris circa annum P. X. 260, Augusti circa annum P. X. 264. Ergo totum tempus, quod sive Caesar, sive Augustus exegit, in Gallieni aetatem cadit. Haec si vera sunt, nemo erit, qui non ab ejus moneta ejusdem generis typos exigat, quibus insignes fuere numi Gallieni conlegae. Novimus, vetus fuisse institutum, ut imperatores typos suos cum conlegis Augustis, aut filiis Caesaribus communicarent, quod, quippe tironibus cognitum, exemplis stabilire supersedeo, quae obvia sunt ante et post Gallieni aevum. Novimus etiam, in universa Gallieni moneta esse, quantum in nullius imperatoris, miram, eamque non injucundam typorum varietatem, horumque multos adhuc incognitos novosque, propositos majorum gentium deos plerosque, legiones, virtutes etc. Quoniam id genus typhi neque in numis Valeriani patris, neque Salonini filii comparent, indubitatum est, illos post utriusque miserum fatum adhiberi coeptos, nempe ab anno V. C. 1013 P. X. 260, id est ab eo tempore, a quo Gallienus fratrem Valerianum, ut ajunt, sibi sociavit. Ergo, inquires, verisimile est, fratrum typos fore communes. Falleris. Quantumcunque voles, totam Valeriani sive Caesaris, sive Augusti monetam illustrato, nullum ex his reperes etiam, qui non exstaret in moneta Valeriani patris, si principis juventutis numos demas. An non vel hoc uno manifestum sit, Valerianum non fuisse sociatum fratri, quoniam istud non cessarent praedicare nu-

(Vol. VII.)

mi intra annos omnino octo signati, et quod consequitur, mala fide, quae usucapionem non admittit, occupasse fundum nepoti Salonino inique ademptum. Adde hujus naturae argumentum aliud multo validissimum. Cum duo simul fuere Augusti, inde a Severo in omnibus averfis, siquidem hae utrique applicari potuere, scribi consuevit AVGG. pro AVG. Verum in numis omnibus Gallieni, ex quo pater Valerianus aut decessit, aut negligi coepit, constanter valuit simplex AVG., quin et in numis numinum omnibus Iuppiter, Hercules, Neptunus, aliique CONservatores AVG., certo indicio, nullum tum alium, praeterquam Gallienum; agnitum fuisse Augustum.

Non minus urget argumentum alterum a numis Alexandrinis petitum. Quam sedula hoc aevo Aegyptus fuerit in dedicanda principibus suis moneta. norunt musea omnia. Atque hic adfectus non ad solos tantum Augustos valuit, sed Caesares etiam, et ipsas Augustas. Obvii ergo sunt numi Valeriani senioris et Gallieni, quin et Saloninae per omnes fere annos XV., quibus imperavit maritus, continuatam habemus monetam. Salonini numi, ut vidimus, exstant quatuor variis annis insignes. Successoris Claudii numi in hac regione signati, etsi breve fuit ejus imperium, propter copiam vilescunt. Inter haec quis sibi non persuadebit, parabiles esse debere Valeriani junioris id genus numos, qui octo ipsos annos seu Caesar, seu Augustus summae rei praefuisse fertur? Contra accidit. Ereptis imperio primum Salonino, deinde Valeriano se-

niore fui Gallieno ac Saloninae signati numi, ejus frater Valerianus vel unum, quem exhibere posset, non habet.

Cum ergo Valerianum^{*} sive Caesarem, sive Augustum ignorent historici omnes dempto Trebellio, qui tamen et ipse dubitat, ignorent etiam fasti, marmora, et quod amplius est, ipsi numi tanta cum copia iis, qui Augusti vel Caesares fuere, signati, licebit et nobis ignorare Valerianum sive Caesarem, sive Augustum, ne plus nosse ipsis veterum monumentis videamur. Video enim vero, ab eruditis artis nostrae magistris non alia de causa ei tributos numos, quam quod Trebellii oraculo Augustum adferentis fidem habuere, quo admissio necesse sane fuit, ei de moneta sua providere, cum credibile nullo pacto esset, Augusti fratrem, ipsumque et Caesarem et Augustum, et annis adeo octo in eo honore conspicuum, agnitumque non modo per imperium, sed a senatu etiam populoque R. numis carere. Ergo ex iis, quae copiose modo disputavi, sequentia partim posse erui, partim adhuc ad ea animadverti existimo.

I. Numi omnes Valeriano jun. a nobis hactenus tributi Salonino sunt restituendi, neque solum ii, qui Caesaris nomen praefecerunt, sed etiam, qui Augusti, quique propter juvenilia oris lineamenta Valeriano seniori tribui nequeunt. Ergo deinceps numi Salonini *Augusti* inter raros recensendi non erunt, etsi rarissimi sint, qui nomen SALON. addunt, et quorum testimonio constat, fuisse eum saltem ab aliquibus Augu-

stum habitum, et quod sequitur, posse ei numos alios Augusto nomine insignes, etsi Salonini nomen absit, confidenter applicari.

II. In numis Graecis discrimen facile est inter numos Valeriani avi, et Valeriani Salonini nepotis cum ex lineamentis, tum quod hujus caput plerumque nudum est, isque Caesar tantum saepe dicitur, et ex additis nominibus aliis, ut *Cornelii, Salonini, Gallieni*, quae avum non tangunt. Vaillantius inter Graecos Valeriani jun. numos recitat numum Samiorum, in cujus antica legitur: ΙΓ. ΠΟ. ΔΙΚΙ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟC. Praefixum ΙΓ. *Egnatium* notat, pro quo Graeci scripsere ΙΓΝΑΤΙΟC, ut supra in nominibus Gallieni advertimus. Ex addito ipso hoc nomine satis docemur, numum hunc Valeriani jun. esse non posse, sed Salonini. Traxit hic nomen istud a patre Gallieno, qui, ut in ejus nominibus vidimus, Egnatii nomen non a patre Valeriano, sed matre habuit, quam verisimiliter dictam Egnatiam Gallienam diximus. At cum constet, Valerianum jun. ex alia matre natum, illi in haec nomina jus non fuit. Similem huic Nicaeensem numum in ejusdem Valeriani jun. moneta memorat Pellerinius, inscriptum: Γ. Π. ΔΙΚΙ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟC, ^{a)} ex quo sequeretur duplex ei praenomen fuisse, *Caii*, et *Publii*. Vix credo exstare exemplum duplicis praenomina in uno eodemque monumento, si Getae numos Graecos de mas. Quare suspicor, in hoc quoque legendum ΙΓ elemento I oculos fugiente.

a) Mel. II. p. 230.

III. Tillemontio verisimile non videtur, a Valeriano patre, cum primum imperium adiit, non continuo alterum quoque filium creatum Caesarem, cum istud hactenus imperatores negare prolibus non consueverint. a) Arduum non est dubium istud expedire. Cum imperium arripuit Valerianus, non modo filium habuit aetatis jam maturae Gallienum, sed etiam ex hoc nepotem Saloninum jam succrescentem, ut adeo factis jam firmata videri potuerit domus Caesarea, neque expedire, multiplicandis Caesaribus multiplicari etiam dissi-
diorum semina, ut patuit in Caracalla et Geta. Eodem modo Constantius Chlorus unum Constantinum successorem de-

signavit, reliquis tribus filiis testamento privatam agere vitam iussis. Cur deinde fratrem non extulerit Gallienus, causae multae esse poterant, quas ignoramus. Sed neque istud citra exemplum. Nam nec fratrem Getam Severus, nec Priscum Philippus, nec tres suos fratres Constantinus M. Caesares dixere, nimirum quod filios jam habuerant, ut et Gallienus etiam caeso Salonino Q. Iulium.

IV. Non imperium modo iniuste usurpavit hic Valerianus, sed conjugem etiam, quam plerique fuisse Corn. Superam opinati sunt. Quare ea, quae de hac Augusta, mihi Aemiliani uxore, differui, hac disputatione plene confirmantur.

PRETIUM.

Commatis Romani :

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei ordinarii	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.

Commatis peregrini :

Hujus generis omnes	-	-	-	-	-	-	-	RR.
---------------------	---	---	---	---	---	---	---	-----

IVLIVS GALLIENVS.

Gallieno praeter Saloninum fuisse filium alterum, docet Victor in Epitome: *Gallienus quidem in locum Cornelii filii sui Saloninum alteram filium subrogavit. No-*

mine Cornelii Victor intelligit Saloninum Postumi victimam, ut ex praecedentibus ejus narratis intelligitur. Teste ergo Victore Gallieno bini fuere filii nomine

a) Nota III. in Valerianum.

Salonini. Aliud nomen Gallieni filio impertit marmor Gruteri: *) IMP. Q. IVLIO. FILIO. GALLIENI. AVG. ET. SALONINAE. AVG. Numus, quem continuo describam, nobis memorat Q. Gallienum, qui adeo, si modo cimelium istud certae est fidei, idem haud dubie est cum Q. Iulio laudati marmoris. De eo plus non constat. Nam quae Occo, Bandurius, Brequignyus de altero hoc Gallieni filio prodidere, quem Q. Iulium Saloninum Gallienum appellant, caelumque esse sive in Gallia, sive cum parentibus Mediolani, haec aut nullo auctore perhibentur, aut ex numis Goltzianis, et Trebellio in *duobus Gallienis*, sed cuius enarrationem aut Apollo intelligat, aut nemo. Interfectum Romae iubente senatu una cum patruo Valeriano, tradidit Zonaras.

Numi:

DIVO. CAES. Q. GALLIENO.

Caput radiatum imberbe.

CONSECRATIO. *Ara ignita.* (Pembrok P. III. tab. 27.)

Singularem hunc numum reprobare, quem ipse non vidi, nequeo. Sin probae est fidei, docemur, hunc Q. Gallienum mature mortuum, et a patre moesto consecratum. Memoratur et alius:

DIVO. CAES. GALLIENO. *Caput laureatum.*

CONSECRATIO. *Aquila coelum respiciens.* AR. (Tanini.)

Hunc numum Taninius ad consecrationem patris Gallieni refert, an iuste, indagavimus supra in Gallieno consecrato.

VALERIANVS IVNIOR.

Valeriani senioris filius, Gallieni frater, sed ex alia matre, quae Mariniana fuisse creditur. Testibus Fastis consulatus duos gessit. Una cum fratre apud Mediolanum caeditur V. C. 1021. Vide Trebellium, et Eutropium. Zonaras jussu senatus una cum superstite Gallieni filio Romae post Gallieni mortem necatum dixit.

Vxorem ei plerique antiquarii constituerunt Corneliam Superam, sed quam certius cum Aemiliano jungendam, in hoc diximus.

Numi:

Huic Valeriano viri eruditi hactenus omnes suos esse tribuendos numos sanxere. Verum in singulari diatriba, quam paullo altius post Salonini mentam proposui, evincere conatus sum, eum neque Caesarem, neque Augustum unquam fuisse, numosque omnes huic tributos restituendos Salonino.

*) Pag. 275. 5.

LICINIA GALLIENA.

Gallieni consobrina auctore Trebellio in Celso tyranno. De numo exiguae sane fidei cum epigraphe LICIN. GAL·LIENA. AVG., quem Barthelemyus huic largiendam putavit, vide, quae copiosius differui ad numos Gallieni in-

scriptos VBIQVE. PAX. pag. 412. Fuere etiam, qui numos, in quorum antica est caput Gallieni cum epigraphe GAL·LIENAE. AVGVSTAE, eidem tribuendos putarent, quam sententiam eodem loco refutavi.

TYRANNI.

Horum triginta Gallieni adfixisse imperium tradit Trebellius, nimium certe aucto numero; verum, ut creditur, placuit homini sciolo inferre tyrannos triginta, quia a tyrannis totidem olim vexatas Athenas constat. Vt in imperium, ita in imperii quoque jura involasse, numi copiosi, qui eorum memoriam conservavere, testantur. Si Goltzio fidem habemus, eorum nullus est, quem

ignoret scientia numismatica. At is in hac quoque serie infaustam nobis suam ubertatem obtrusit. Ejus nos mercedem pro instituto nostro indicabimus tantum, non explicabimus.

Horum monetam tyrannorum a Postumo auspicabimur, quia Gallieni vitam copiosius illustrat, diuturniorque et reliquis insignior ejus fuit seditio.

M. CASSIANVS LATINVS POSTVMVS.

M. Cassianus Latinus Postumus, haec enim vera ejus fuere nomina, (V. infra in Nomisib.) obscuro loco in Gallia natus propter singularem virtutem a Valeriano Galliae praefectus, ejusque limitis adversum Germanos custos constitutus est. Ep. usus adjutore Gallienus primis imperii annis Germanos fortiter repressit. V. C. 1010 Gallienus adversus Ingenuum in Pannonia rebellantem proficisci coactus filium suum Saloninum Sylvani interea fidei creditit. Quem honorem cum sibi praereptum doleret Postumus, occasione militis adver-

sus Sylvanum irritati commode usus imperatorem sese creari passus est, ac Saloninum una cum Sylvano Coloniae Agrippinae inclusit, quod factum suspicor V. C. 1011, ut dicitur infra sub trib. potestate.

V. C. 1011. P. X. 258.
TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.

Cum Augusti titulo honores omnes cum hoc connecti solitos adoptat. Saloninum Coloniae Agrippinae obsessum tenet.

A. IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG.

*Caput laureatum.*P. M. TR. P. COS. P. P. *Leo capite radiato ore fulmen gerit.* AV. (Band.)

De hoc typo egimus ad numum Caracallae V. C. 967.

B. IMP. CAES. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*P. M. TR. P. COS. P. P. *Miles stans d. globum, f. hastam.* AE. I. (Band.)

V. C. 1012. P. X. 259.

TR. P. II. COS. II. DES III. P. M. P. P.

Consul II. in Gallis procedit. Coacta ad deditionem Colonia Agrippina Salo- ninum neci dat.

C. IMP. CAES. POSTVMVS. P. F. AVG.

TR. P. II. P. P. *Miles stans d. globum, f. hastam.* AR. (Band.)*Vt lit. A. et B.*P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Idem ty- pus.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Numerus trib. potestatis non modo in numis, sed etiam marmoribus Postu- mo dicatis saepe omittitur.

V. C. 1013 P. X. 260.

TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.

Bellum cum Gallieno, qui ejus ul- tum perfidiam cum magnis copiis ad- venerat, varia fortuna gerit. ^{a)}*Vt lit. A. Caput radiatum.*COS. III. *Victoria stans.* AE. III. (Mus. Caes.)*Vt lit. A. et B.*P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Miles stans d. globum, f. hastam.* AR. I. II. (Band. Mus. Caes.)*Vt lit. A.*P. M. TR. P. IMP. II. COS. III. P. P. *Sex figurae ante templum sacrificantes.* AV. (Tanini.)*Vt lit. A.*P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Mars gradiens cum hasta et tropaeo.* AR. (Band.)

V. C. 1014 P. X. 261.

TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P.

Inter haec haud dubie bella interna cum Gallieno, externa cum Germanis.

*Vt lit. A. Caput radiatum.*P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Mars gradiens cum hasta et tropaeo.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1015. P. X. 262.

TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.

Quinquennales celebrat. A victis Ger- manis *Germanicus Maximus* dicitur.D. POSTVMVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*QVINQVENNALES. POSTVMVS. AVG. *Victoria stans clypeo. inscribit.* VOT. X. AV. (Band.)

Quoniam Postumus, ut videbimus, in tribunatu X. vota decennialia peregit, consequens est, cum in tribunatu X. sol- visse quinquennalia, et suscepisse de- cennialia. Quinquennalia Augustorum ad- huc in numis memorata non sunt.

^{a)} Brequigny Mem. B. L. T. XXX. p. 349.)

Vt lit. A. Caput radiatum.

P. M. TR. P. V. P. P. *Imperator stans d. ramum, f. hastam.* AE. III. (Band.)

In hoc numo alteruter numerus fallit.

E. POSTVMVS. AVG. *Caput Postumi galeatum.*

VIC. GERM. P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *Imperator paludatus stans d. globum, f. hastam coronatur ab adstante Victoria.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numus praefens per tribunatum V. Germanos hoc anno a Postumo caesos profitetur, et verisimile facit, sequentes quoque numos ad hunc annum pertinere.

Eadem aduersa.

P. M. G. M. T. P. COS. III. P. P. *Tropaeum adfidentibus duobus captivis.* AV. (Band.)

Eundem hunc numum jam olim edidit Ioach. Mejerus addita dissertatione totam Postumi vitam complexa. *) Singularem faciunt literae G. M. *Germanicus Maximus*, quem titulum haud dubie nunc ob victos Germanos, quod praecedens numus palam profitetur, adscivit. Eum apertius exhibet numus sequens:

Vt lit. B.

GERMANICVS. MAX. *in aliis: MAX. V. Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AE. II. (Band.)

Eadem aduersa est etiam in numis Gallieni, quos descripsimus in numis *expeditionis Germanicae*. Docuimus ibi, additam literam V indicare Germanos *quingues victos*, et *Germanici Max.* ti-

tulum toties partum, quod numus sequens copiosius demonstrabit. Videtur Postumus hos numos opposuisse similibus Gallieni numis, cum non minus suae virtutitribuendum esset, quod Galliae a perpetuis Germanorum incursionibus servatae essent.

Vt lit. D.

P. M. TR. P. IMP. V. COS. III. P. P. *Imperator sedens d. globum, f. sceptrum.* AV. (Band.)

En revocatum *imperatoris* ex victoriis titulum tot jam annis inde a Caracalla ex moneta exulem. Egregie conspirat titulus IMP. V. cum memorato mox GERMANICVS. MAX. V., quorum pertinent et illa Gallieni: VICTORIA. AVG. VI. VII. VIII., ex quo apparet, varium fuisse hac aetate victorias numerandi modum. Ceterum etiam marmor, quod infra in nominibus Postumi citabo, eum in consulatu III. GER. MAX. appellat. Extremo ejus anno comparet etiam IMP. X.

V. C. 1016 P. X. 263.

TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.

Hujus anni et numi et facta incerta,

V. C. 1017. P. X. 264.

TR. P. VII. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.

Incerta etiam hujus anni facta.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VII. COS. III. P. P. *Mars gradiens.* AV. (Mediob.)

*) Woltereck Elect, p. 203.

Si numus verum eloquitur, Postumus consulatum IV. non inivit nisi anno sequente. Eum tamen non vidit Bandurius, etsi catalogum suum concinnavit in Gallia, quae Postumi moneta supra quam credibile est, abundat. Mediobarbi praeconia nimium intuta.

V. C. 1018. P. X. 265.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P.

Hoc forte anno Postumus Victorinum sibi conlegam adsciscit.

Epigraphe varia.
P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. *Arcus, clava, pharetra.* AR. (Band.)

V. C. 1019. P. X. 266.
TR. P. IX. COS. IV. DES. V. P. M. P. P.

Incerta hujus anni omnia.

Vt lit. A.
P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. *Arcus, clava, pharetra.* AR. (Catal. d' Ennery.)

V. C. 1020 P. X. 267.
TR. P. X. COS. V. P. M. P. P.

Audito, Laelianum (aliis Lollianum) ducem suum arripuisse imperium, Moguntiacum, cui se incluserat, obsidet, capitque, at cum urbem diripi vetaret, militum conspiratione occiditur. (Eutropius aliique.)

Vna est scriptorum omnium sententia, ejus unius virtute servatas Gallias, ne Germanorum invasione perinde ac ple-raequae aliae imperii provinciae perirent. Praeclarum Valeriani de ejus mo-

ribus ac vita judicium servavit Trebellius, et hoc teste fuere etiam, qui adfirmarent, nequaquam ejus jussu interfectum Saloninum, sed Gallorum conspiratione, qui ignavum Gallienum, ejusque filium urgentibus tum bellis externis, atque his patriae periculis imperatorem detrectabant. Eum Goltzius suo senatus consulto consecravit.

Vxor *Iunia Donata* ex aliquorum sententia, de qua, filioque Postumo infra.

Vt lit. A. Caput radiatum.
P. M. TR. P. X. COS. V. P. P. *Victoria stans clypeum tenet, cui inscriptum: VO. XX. In aliis: Imperator stans d. elata, s. sceptrum.* AR. (Band.)

A praeclaris his numis comprobatur, Postumum in annum X. prorogasse imperium, de quo copiosius agetur infra.

Eadem adversa.
IMP. X. COS. V. *Victoria stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Quem ante quinquennium vidimus imperatorem V., habemus modo imperatorem X. Adreverint lauri cum a Germanis, tum Gallieno.

Numi vagi:

A. POSTVMVS. PIVS. FELIX.

AVG. *Capita duo jugata laureata prolixae barbata, in AV. et AR.*

B. IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG. *Capita similia. AE. m. m. Caput radiatum in AE. I. II. etiam laureatum in AE. II.*

C. POSTVMVS. AVG. *Caput galeatum AV. AR.*

D. POSTVMVS. AVG. *Protope ra-*

diata d. clavam super humero et excuvias leonis in AR.

- E. VIRTVS. POSTVMI. AVG. *Caput galeatum, in AV. AR. AE. I.*
 F. VIRTVS. POSTVMI. AVG. *Protome, galeata d. hastam, s. clypeum, in AE. I.*
 G. IMP. POSTVMVS. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III.*
 H. IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III. laureatum in AE. I. II. etiam radiatum in AE. II.*
 I. POSTVMVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV.*

Ad partes anticæ nonnulla observanda. In numis sub lit. A et B exhibentur, ut dixi, capita duo jugata laureata barbata, quin eadem ipsa repetuntur in averfa numi aurei singularis musei Caesarei addito: COMITI. AVG. Quorum ea sint capita, dubitatum. Fuere non pauci, qui Postumorum, patris filiique ea esse edixerunt, quos falli patet cum eo, quod capitis utriusque indiscreta est similitudo, et aetas, tum vero iis, quae infra ad creditos junioris Postumi numos disseram. Alii caput Iovis Postumi capiti sociatum adseruerunt, melius alii me iudice Herculis; nam infra ex numis *Herculis* patebit, quam impense huic numini devotus fuerit Postumus, et patet ex numis sub lit. D descriptis, voluisse Postumum tam factorum gloria, quam cultu Alcumænae filio æquiparari, eumque sibi perpetuum comitem adsciscere. Non multo post in moneta Probi videbimus,

hunc Augustum eodem modo sibi iunxisse caput Solis.

In numis E et F est caput Postumi galeatum, vel protome galeata d. hastam, s. clypeum; quin in averfa numi aurei apud Bandurium cum epigraphe VIRTVTI. AVG., duo item capita jugata visuntur, laureatum unum, galeatum alterum. Istud esse Martis, cultus ipse eloquitur, atque ut in prioribus probatur Postumus Hercules, ita idem in praesentibus Mavors.

Vt lit. H.

ADVENTVS. AVG. *in alio AVGG. S. C. Imperator, eques d. elata, s. sceptrum. AE. I. (Band.)*

In numis Postumi omnia ex more Romano. Adventus Romae intelligi nequit, at cujus Galliae urbis, incertum. De vocabulo AVGG. agetur infra in creditis numis Postumi filii.

Vt lit. H.

CASTOR. *Ipse paludatus stans d. equum retinet, s. hastam. AR. (Band.)*

Eadem averfa est etiam in moneta Getae, et Gallieni.

Vt lit. A.

CLARITAS. AVG. *Capita jugata Solis et Lunae. AV. (Liebe Goth. num. p. 65.)*

Solem et Lunam aeternitatis esse symbola satis hactenus vidimus. In praesente numo aliam allegoriam constituunt, nimirum praeclearis suis factis inclarescere Postumum, et esse late conspicuum aequae ac solem et lunam astra lucentissima. Similis epigraphe est etiam in numis Diocletiani. Numus est singularis.

Vt lit. A. Capita duo jugata laureata barbata.

COMITL AVG. *Eadem capita, quae in antica. AV. (Mus. Caes.)*

Numus propter eundem in utraque facie typum singularis, et ignotus Argo Bandurio. Quae de hoc dici possunt, jam occupavi paulo altius in animadversione ad partes anticās.

Vt lit. G.

CONCORD. EQVIT. *Mulier stans d. pateram, s. gubernaculum, pro pedibus protra navis. AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)*

Infolitum *Concordiae equestris* symbolum, et in conjecturas patens, quibus abstineo.

Vt lit. A. et H.

CONSERVATORES. AVG. *Capita jugata Martis et Victoriae. AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.)* In alio: *Capita jugata Apollinis et Dianae. AV. (Catal. d' Ennery.)*

Vt lit. H.

DIANAE. REDVCI. *Diana d. cervum adprehensio cornu ducens, s. arcum. AR. (Band.)*

Aversam commendat novitas, sed ejus causa ignota.

Vt lit. B.

EXERCITVS. ISC. S. C. *Imperator eques d. elata, praet quo plures figurae militares. AE. I. (Band.)*

Vt lit. B.

EXERCITVS. VAC. S. C. *Idem typus. AE. I. (Band.)*

Horum typorum archetypon quaerendum in moneta Hadriani. Eruditi, qui hos numos illustrare, addita nomina ISC. et VAC. ad *Yscam* Britanniae urbem, et *Vaccæos* Hispaniae populum vocaverunt. Aliquibus suspecta lectio

visa, et subesse error monetarii, quorum ego judicia prioribus longe praefero. Vide ad hos animadversionem Bandurii.

Vt lit. A.

FELICITAS. AVG. *Protomae duae jugatae, quarum una Victoriam refert cum laurea et palmae ramo, altera Pacem cum ramo oleae. AV. (Band.)*

Vt lit. A.

FELICITAS. AVG. *Capita duo se respicientia laureata barbata. AV. (Band.)*

Vides eadem capita in aversa, quae jam sinit adversa, sed jugata. Postumorum ea esse a nonnullis creditum; sed horum alterum esse Herculis, dixi in animadversione supra proposita.

Vt lit. B.

FELICITAS. *inscriptum epistyllo arcus triumphalis, infra AVG. AE. I. (Mus. Caes.)*

Numum

GERMANICVS. MAX. V. *descriptum vide in numis anni 1015.*

HERCVLES.

Diximus pagina praecedente, Postumum in numis suis frequenter caput suum cum Herculis capite fugasse. Iudicium istud confirmatur numis frequentibus, quos in ejus honorem variis nominibus ferri iussit, quo in proposito Gallis suis obsecutus haud dubie est, a quibus Herculem impense cultum constat, cumque studiose illi vultus sui tribueret lineamenta, consecuturum se inde speravit, ut sacrosanctus ipsi populo superstitioni mirum in modum addicto haberetur. En horum numorum seriem.

* * *

Vt lit. B. Capita iugata etc.

HERCVLI. COMITI. AVG. COS. III. *Hercules nudus flans cum clava et leonis exuviis, juxta imperator velatus super tripode sacrificans; adstat victimarius bovem attinens.* AE., m. m. (Morelli Specim. p. 41.)

Praemittendus huic fuerat Hercules ARGIVVS, sed cum hunc numum ex solo Goltzio apud Mediobarbum citari videam, iniecit fraudis suspicionem. In numo praesente, quem integerrimum, et elegantissimae caelaturae proficitur Morellius, non modo capita anticae secundum lineamenta omnia sibi respondent, sed his etiam vultus Herculis et Postumi, quos averfa sistit, sunt simillimi. Ex quo verisimile visum ipsi quoque Morellio, capita obvia jugata, quae sunt in anticis numorum Postumi, non esse Postumorum, sed Postumi Herculisque.

Vt lit. A.

HERCVLI. CRETENSI. *Hercules taurum domans.* AV. (Band.)

Hercules cognomine *Cretensis* memoratus Diodoro. Cum hoc nomine pars averfa conjungit fabulam domiti ab Hercule tauri, quod peractum in Creta mythologia docet.

Vt lit. H.

HERC. DEVSONIENSI. *Hercules flans d. clavam, s. arcum et exuvias leonis.* In aliis: *Idem flans intra templum tetrastylum.* AR. AE. m. m. I. II. (Mus. Caes.)

Cognomen hoc inditum Herculi a loco, ubi colebatur, uti dubium non est, ita nondum satis exploratum, ubi situm *Deuso*, vel *Deuson*. Non improbabile

visum Trifano post alios, hunc locum esse eundem, de quo Hieronymus in Chronico Eusebii: *caesifunt Saxones Deufone in regione Francorum.* Conjicit Trifanus, Deufonem esse posse hodiernum *Duyz* Coloniae Agrippinae oppositum intermeante Rheno. Si adfinitate nominis pugnandum, necesse non est, Deufonem trans Rhenum petere; nam in ora citeriore hodieque occurrunt oppida varia *Duisburg* dicta, quae ex *Deusotymon*, trahere possunt. Herculem hunc eundem esse cum sequente *Magusano* censent auctores operis: *la religion des Gaulois* L. III. c. 8.

Vt lit. A.

HERCVLI. ERYMANTHINO. *Hercules aprum gestans, pro pedibus vas.* AV. (Band.)

Nota fabula apri Erymanthini, quem Hercules vivum Eurystheo stiterat. Vas adstitutum haud dubie est illud ipsum, in quod Eurystheus metu apri conspecti sese abdiderat, quod magis elucet ex numis Perinthis et Pergami similis argumenti, quos confer. Eadem averfa est etiam in moneta Probi.

Vt lit. A.

HERCVLI. IMMORTALI. *Hercules Cerberum catenis vinctum trahens.* AR. (Theupoli, Spanh. Caes. Iul. p. 13.)

Vt lit. A. et H.

HERCVLI. INVICTO. *Hercules clavam et exuvias leonis gestans figuram armatam humi jacentem pede calcat.* AR. (Mus. Caes. Band.)

Vt lit. A.

HERCVLI. LIBYCO. *Hercules sublatum Antaeum comprimens.* AV. (Morelli Specim. p. 78.)

Antaeum Terrae filium in Libya ab Hercule interemptum in vulgus notum.

Vt lit. H.

HERCVLI. MAGVSANO. *Hercules stans d. femori admota, s. clavam cum exuviis leonis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes. Band.)

Vt de Hercule Deufonienfi, ita de Magufano difceptatur. Verifimile, Macufam, vel Magufam fuiffe oppidum Herculis cultu celebratum. Bina hujus nominis Herculi dedicata marmora, repertaque in Belgio recitat Muratorius.^{a)} Varias de hoc conjecturas vide apud Trifitanum, Muratorium,^{b)} et laudatos supra auctores operis *de la Religion de Gaulois*. Anonymus Ravennas inter urbes Mofelae fluvio aditas nominat *Mecufam*,^{c)} a qua forte Hercules nomen traxerit. Harduinum, qui fic dictum putat a Magufa Aethiopiae,^{d)} vix aliquis facile audiet. Keyslerus marmor vulgavit repertum Wefticapellae, in quo legitur: HERCVLI. MAGVSANO . . . TERTIVS. V. S. L. M. addita praeterea ejus imagine, quae fiftit deum nudum ftantem, qui d. delphinum, f. truncum bifidum tenet, pro ejus pedibus fcorpium,^{e)} quae tamen attributa, quo pacto ad Herculem, qualis nobis cognitus eft, pertineant, ignoro. Praefentium numorum typi nihil habent a Graecorum Hercule alienum.

Vt lit. A.

HERCVLI. NEMAEO. *Hercules leonem suffocans.* AV. (Catal. d' Ennery.)

Vt lit. H.

HERCVLI. PACIFERO. *Hercules stans*

d. ramum oleae, s. clavam et exuvias leonis. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

HERCVLI. ROMANO. AVG. *Arcus, clava, pharetra.* AR. (Band.)

Eadem epigraphe, et typus ex numis quoque Commodi sunt cogniti.

Vt lit. C.

HERCVLI. THRACIO. *Hercules equum domans.* AR. (Tanini.)

Noti equi Thracis Diomedis, quos hero per vim abstulit Hercules.

Ex universo hoc catalogo fatis apparet, Postumum hoc Herculis obtentu voluiffe significare. quemadmodum hic tyrannis ac monftris extirpatis tranquillitatem orbi reddidit, ita et fe submoto Gallieno et depulfis barbaris libertatis patriae fuiffe vindicem.

Vt lit. I.

INDVLG. PIA. POSTVMI. AVG. *Imperator fedens dextram porrigit mulieri genu flectenti.* AV. (Band.)

Averfae epigraphe propter novitatem commemoranda.

Vt lit. H.

I. O. M. SPONSORI. SAECVLI. AVG. *Iuppiter nudus stans s. hastam, juxta imperator facrificans.* AE. II. (Band.)

Ait Bandurius, extare numum Commodi cum eadem epigraphe, in quo fallitur; nam in eo legimus I. O. M. SPONSOR. SEC. AVG., quo loco SEC. non *saeculum*, fed *fecuritatem* notat. De Iove fponfore eodem loco egimus, atque ut Commodi juffus eft fpondere fecuritatem, ita nunc Postumo feu fae-

a) Pag. 64. n. 1. et 2.
c) Antiq. feptomtr. p. 200.

b) l. c.

c) Geogr. L. IV. c. 26.

d) ad Plin. L. VI. p. 344.

culum felix, seu longum aevum spondere jubetur.

Vt lit. H.

MERCVRIO. FELICI. *Mercurius cultu solito stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

MINER. FAVTR. *Dea gradiens d. rammum, s. hastam cum clypeo.* AR. (Mus. Caes.)

Mercurius Felix, et Minerva Fautrix nova in numis cognomina.

POSTVMVS. AVG. *Caput Postumi nudum aduersum.*

POSTVMVS. AVG. *Caput Postumi galeatum.* AV. (Band.)

Numus hic propter singularem modum recitari meruit. In hujus numi averfa exhiberi Postumum Martem, patet ex iis, quae in animadversione ad vagos hos numos monui.

Vt lit. H.

SALVS. PROVINCIARVM. *Rhenus bicornis jacens d. ancoram, s. arundinem, et simul urnae innititur.* AV. (Band.) AR. (Mus. Caes.)

Elogium istud promeritus haud dubie Rhenus est, qui barbarorum in Romanas provincias incursiones aut arcuit, aut difficiles reddidit. Fingitur armatus duplici cornu, recte secundum Virgilium: *Rhenusque bicornis*,^{a)} quod et repetiit Aufonius,^{b)} et bicornem vocat etiam Eumenius.^{c)} Vt veteres omnibus passim fluvii cornua tribuerunt, ita magis idonee Rheno, quia per duo cornua in mare exivit. Vnde paullo infra

idem Eumenius: ^{d)} *alvei unius impatiens in sua cornua gessit excedere.*

Vt lit. A. Capita jugata etc.

VIRTVTI. AVG. *Capita duo barbata jugata, quorum unum laureatum, alterum galeatum.* AV. (Band.)

Offert unus idemque hic numus Postumum hinc cum Hercule, inde cum Marte jugatum, ut dixi altius in animadversione huic vagorum seriei praefixa.

IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG.

Caput Postumi laureatum.

VIRTVS. POSTVMI. AVG. *Caput Postumi galeatum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc secundum eandem animadversionem explica.

Animadversio ad numos Postumi.

Insignes in comitatu suo monetarios habuisse Postumum, probant ejus numi aurei, quorum complures ea arte elaborati sunt, quam neque altius imperatorum aevum fastidiret. Hac inferiores sunt argentei et aenei, atque ex aeneis non paucos esse fusos, certum est ex ipso testimonio Gallorum eruditorum,^{e)} quod magni esse momenti debet, cum ingens apud eos monetae Postumi copia reperiatur. Teste Brequigny^{f)} habentur etiam copiosi ejus numi, credo argentei, qui praecedentium imperatorum fuere, quos Postumus suo nomine et effigie recudit, quod saepe a tyrannis factum, observabimus infra in moneta Regaliani tyranni. Frequenter in aeneis observatur nota S. C., mani-

a) Aen. VIII. 727.

b) Eidyll. X. p. 436.

c) Paneg. Const. M. cap. XI.

d) Cap. XIII.

e) Beauvais T. III, p. 419.

f) Mem. B. L. T. XXX. p. 347.

festo argumento, ut jam indicatum supra, Postumum, ut omnia ad morem Romanorum constituit, ita suum etiam in Gallia habuisse senatum.

Nomina Postumi.

Numi nihil plus offerunt praeter M. CAS. LAT. vel LATI. POSTVMVS, cumque ejus nomina apud Victorem legerentur *Cassius Labienus Postumus*, creditum ex hoc truncas numerum voces explendas, legendo: *M. Cassius Latinus*, Victorisque testimonium ex numis corrigendum. Serius Fabrettus inscriptionem protulit in oppido Guadix repertam, in qua ejus nomina perscribuntur: IMP. CAES. M. CASSIANIVS. LATINIVS. POSTVMVS. PIVS. FEL. INVICTVS. AVG. GER. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. COS. III. P. P. PROC. *) Eam ipsam restituit Muratorius, testatus exsistere Cordubae, b) ut adeo ambigi non possit, ejus vera nomina fuisse: *M. Cassianus Latinus Postumus*. Ignavo Trebellio constanter dicitur *Posthumus*.

De trib. potestate, et initio imperii.

Trebellio teste imperavit Postumus annis VII. Cum Eutropio et Orosio ejus imperium annis X. definentibus magis conspirant monumenta certissima, numeros intelligo, quorum non pauci tribunatum X., et quod amplius est, vota XX. suscepta memorant, ut supra in serie chronologica vidimus, ut adeo comparatum cum his Trebellii testimonium

floci faciendum sit. Ergo ex numerum praecepto altius est imperium Postumi ordiendum. Brequignyus, qui historiam Postumi, quantum inter has tenebras capi potest, adcuratius descripsit, c) statuit, Postumum anno P. X. 257 adclamatum imperatorem, et ab hoc mox Coloniae clausum Saloninum, et biennio serius P. X. 259 expugnata urbe occisum, ipsum deinde Postumum anno 267 succubuisse. At mihi uno anno serius, nempe P. X. 258 ejus ordiendum imperium visum, quia verisimile non est voluisse Gallienum in alterum annum spectare obsessi filii pericula, quin illi quocunque pacto succurreret, quem quam impense dilexerit, patuit ex colato consecrationis honore, et tot numis ejus nomine post mortem feriri iussis. Atque etiam fixo ad annum P. X. 258 imperii exordio, quoniam in mea sententia principio anni sequentis mox tribunatum II. inchoavit, tamen tribunatus ejus X. in fixum a Brequignyo annum 267 incidit, quo anno serius caesus Postumus statui nequit; nam hunc Victorinus, Victorinum Marius, Marius Tetricus excepit vivo adhuc Gallieno, qui caesus demum est anno P. X. 268. At enim sententia haec, quae usus est Brequignyus, et ego quoque, tum tantum vera erit, cum fidem habebimus Trebellii testimonio, sub initium Claudii Gothici jam caesum fuisse Postumum, et tum Tetricum in Galliis tyrannum stantentis. d) Verum Zosimus meminit Aureliani, qui paullo ante Gallieni mortem iustus erat cum copiis suis equestribus prohibere Postumum, ne in Italiam

a) Inscrip. p. 686. 95.

b) Pag. 460. 6.

c) Mem. B. L. T. XXX. p. 338.

d) in Claud.

transiret. Et secundum Zonaram Claudius ad imperium evectus edixit: *bellum Postunicum mea interest*. Ergo Postumus Gallieno superstes fuit, et secundum hos jus fuit eruditis serius Postumi imperium auspicandi. Quis decidat in his et dissidiis et tenebris?

Numus Coloniae Agrippinae.

Vide hunc in numis hujus coloniae in Gallia Belgica sitae in operis hujus volumine I.

PRETIUM.

Commatis Romani:

Aurei	-	-	-	≡	-	-	-	-	-	R.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. II. III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C. ³

IVNIA DONATA.

Hujus numum: IVNIA. DONATA. AVGUSTA. ꝛ SALVS. PROVINCIA-RVM. promulgavit Ioan. Iacobus Chiffletius ex codice MS. Goltzii in suis *Luminibus praerogativis* a nemine alio in haec usque tempora conspectum, et

jam hodie a cordatis omnibus neglectum, contemptumque. Quare ut numus ipse, sic et Donata Postumi uxor, quam historicorum nullus prodidit, jam nemini creditur.

POSTVMVS FILIVS.

Vnus Trebellius filii Postumi patri cognominis meminit, quem pater post arreptam purpuram continuo Caesarem, mox Augustum dixit, deinde una cum patre apud Moguntiacum interemptum. Cum igitur Trebellii fide filium Augustum fuisse constet, nullo pacto verisimile visum, ei, qui in summo fastigio constitutus fuerat, negatos fuisse hono-

res monetarios. At fuit difficile inter patris filiique numos reperire discrimen. Tamen obstaculum istud perripuit antiquariorum ingenium. Nam detegere denique, aut detegere sibi visi sunt certum discrimen in prolixiore barba, vel lineamentis narium, ut testatur Bandurius.²⁾ Senior crisis nullos novit Postumi junioris numos. Nam duo capita jugata in

a) Tom. I. p. 313.

Postumi moneta obvia, et quibus non pauci utrumque Postumum indicari opinati sunt, adeo sunt et lineamentis et aetatis indicio similia, ut unum ab altero nulla diligentia discreveris. An verisimile istud aetate usque adeo dispari, et in numis, quales sunt praecipue aurei Postumi, affabre factis, cum Tetricorum patris filiique numi tam facili negotio discernantur? Qui duos credunt in numis Postumos deprehendi, verba sunt Harduini, *) eo quod nunc barba proluxa, nunc crispa cernitur, hi geminum quoque Albinum inducant, siquidem hac una ratione nitantur; nam et ille certe nunc crispa, nunc proluxa barba, ac propterea prorsus sui dissimilis pingitur, sed hoc discrimen effecit diversitas officinarum. Quod si, cum duo occurrunt capita, totidem diversi notarentur Augusti, addita epigraphe, ut in aliorum imperatorum numis factum, duos etiam Augustos enunciaret. Sed contra accidit. Ad numos alios quod atti-

net, Bandurius in tanta Postumi numorum eluvione binos tantum reperit, qui Augustos plures produunt, ambos aeneos I. formae, nimirum *Adventus* AVGG. et *Moneta* AVGG., qui ipsi aut sociatum Victorinum, aut uxorem Augustam indicare possunt, et in numo quidem *adventus* plane certum est intelligendam uxorem; nam si filium comprehenderet, duos numus Augustos equites siseret, non unum. Quod si verum est testimonium Trebellii, filium continuo a patre ad imperium vocatum, mirum profecto videatur, nullum exsistere numum certum filii, qui in decimum annum una cum patre imperavit, et nescio, an non hic ipse ejus numerorum defectus certius probet adversus Trebellium contrarium adfirmantem, nullum fuisse Postumo filium, aut saltem neque Caesarem, neque Augustum. Auctorem toties mendacem etiam hoc loco nobis imposuisse nemini mirum videbitur.

VLP. CORN. LAELIANVS.

Teste Trebellio b) *Lollianus* quidam interempto Postumo imperium in Gallia invasit, vir strenuus, et provinciae adversum barbaros propugnator. Occisus deinde a Victorino conspirantibus militibus, quod in exigendis laboribus nimius esset. Lolliani quoque nomen eidem homini tribuit Victor in Caesariibus, c) et Eutropius. At Paeanius, qui Eutropium Graece reddidit, eundem,

nisi error irrepfit, vocat *L. Aelianum*, Victor in Epitome d) simpliciter *Aelianum*. Et tamen, ut ex iisdem scriptoribus diserte colligitur, omnia haec nomina unum eundemque, qui Postumi caesi causa exiit, indicant. Vide de hoc disidio plura apud Tillemontium. e)

Exstant, aut saltem jactantur numi non solum *Lolliani* et *Aeliani* nomine, sed etiam *Laeliani*. Fuere tamen, qui

a) Hist. Aug. p. 856. XII. in Gallien.

b) in Lolliano tyr.

c) Cap. 33.

d) Cap. 46.

e) Nota

haec secuti indicia in numis inscriptis LAELIANVS elemento primo L pro praenomine Lucii accepto legendum esse fuere L. AELIANVS, eosque largiti sunt Aeliano cuiuspiam, qui auctore Eutropio serius, pimirum imperante Diocletiano, imperatorem se in Gallia dixit. Nos ducibus numis, quos continuo proferemus, *Laelianum* appellabimus, eique largiemur numos sequentes omnes, quod fabricam in iis eandem, quam in Postumi moneta, deprehendimus.

Numi:

IMP. C. LAELIANVS. P. F.
AVG. *Caput laureatum barbatum.*
TEMPORVM. FELICITAS. *Mulier humi*

decumbens d. ramum oleae tenet, ad manum sinistram cuniculus. AV. (Mus. Caes. Bandur.)

En rediunt in moneta cuniculum, vetus Hispaniae symbolum, ex quo apparet, his Galliae tyrannis etiam Hispaniam, aut certe ejus partem fuisse subjectam.

Eadem epigraphe, sed in aliis rarioribus

IMP. C. VLP. COR. LAELIANVS. *Caput radiatum.*

VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens.*
AR. AE. III. (Bandur. Mem. Trev. in Mart. 1709.)

• Ex inscriptione posteriore nobis de veris hujus tyranni nominibus constat.

PRETIVM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Achei.	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.

LOLLIANVS.

Continuo diximus, Postumi percussorem aliis dictum *Lollianum*, aliis *Aelianum*, aut aliter. Antiquariorum nostrae aetatis iudicio numi omnes, qui Lolliani nomine inscripti sunt, falsi putantur, quos inter etiam *Spur. Servilius Lollianus* Goltzii. Tamen nuper emerit unus, qui majoris fidei putatur:

IMP. C. LOLLIANVS. P. F.
AVG. *Caput radiatum.*

ARA. PACIS. *Templum Iani clausum, ante quod ara accensa.* AE. III.

Singulare istud cimelium Taninius ex museo cels. principis de Waldeck vulgavit. Consultus a me vir nobilissimus adfirmavit, eum olim in sua fuisse potestate, sed sibi serius furto sublatum. Si ergo vere exstat numus nomine *Lolliani*, atque hic idem putandus, qui Postumum suscipit, cujus putabimus esse

numos, quos proxime *Laeliani* nomine dedimus? Adeo infelicis hujus aevi reliquiae ipsas etiam conjecturas difficiles reddunt.

Q. VALENS AELIANVS.

Video ab auctore musei Theupoli ad haec tempora revocari numum sequentem: ^{a)}

IMP.C.Q.VALENS.AELIANVS.

P. AVG. Caput barbatum radiatum.

IOVI. CONSER. AVGG. *Iuppiter stans d. fulmen, f. hastam, in imo S. M. L. AE. III.*

Hoc ergo testimonio habemus etiam Aelianum a Laeliano priorum numorum, ut indicant addita alia nomina, diversum. Diversum etiam esse a L. Aeliano Eutropii, praenomen *Quinti* indicat. Pae-

anias Eutropii metaphrastes Aelianum alium dedit, qui imperante Diocletiano seditionem in Gallia movit, quemque, sed ex numis suis, Goltzius *Aulum Pomponium Aelianum* vocat, sed eum ipsum Eutropius vocat Aemilianum. Equidem auctor essem, numum hunc in Diocletiani tempora differre, quo imperante moneta in infima sui parte copiosius literas solitarias, ac quidem etiam literas S. M. L. recepit. Trebellius in tyrannis *Valentes* duos memorat, unum Achaiae, alterum Illyrici tyrannos, sed temporibus diversis.

M. PIAVVONIVS VICTORINVS PATER.

Filius Victorinae vel Victoriae, quae tanta apud militem valebat auctoritate, ut Augusta, et Mater castrorum diceretur, cumque ipsa imperium adire non posset, caeso filio illud in Marium, deinde Tetricos transferret. ^{b)} Ad eam Mahudelius refert marmor repertum apud Langones, et inscriptum: ^{c)}

DIS. MANIBVS

L. VICTORINI. VICTORIA
PIISSIMA. VICTORINI. VXOR. etc.

A Postumo, cui adiutore in gravi ad-

versus Gallienum bello opus fuit, collega adscitus, atque illo, mox etiam Lolliano caesis solus aliquamdiu in Gallis imperavit, dum ab actuario, cuius uxori vim obtulit, caederetur. Eum Trebellius omnibus, qui praecessere, principibus virtute ac meritis comparat dempta libidine, qua tanta fuit, ut omnium iudicio, quae passus fuerat, promeritis videretur. Vide etiam Victorem, ^{d)} et Eutropium.

Quo anno adlectus a Postumo sit, non satis constat. Brequignyus id factum conjicit V. C. 1018 P. X. 265;

^{a)} Pag. 278. ^{b)} Trebell. in Lolliano. ^{c)} Hist. B. L. Tom. IX. p. 146. ^{d)} in Caesarib. c. 33.

tamen neque repugnant anni priores. Illud certius, eum caesum V. C. 1020, eique successisse Marium brevis imperii, hinc Tetricum, quo tyranno Gallias obtinente caesus Gallienus V. C. 1021, eique suffectus Claudius, ut in Postumo verisimile diximus. Sed haec omnia confundit Victor, ^{a)} qui Victorinum nequaquam cum Postumo sociat, sed caeso Postumo Marium suffectum docet, et hoc primum sublato delectum Victorinum, qui et ipse post exactum imperii biennium interemptus est. Conciliet haec, qui volet.

Numi:

- A. IMP. VICTORINVS. PIVS. AVG. *Capita jugata, Victorini laureatum, Martis galeatum, in AVreo singulari musei Caes.*
- B. IMP. C. vel CAES. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum, vel ejus protome armata in AV. AR. AE. III.*
- C. IMP. C. PL. vel PIAV. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III.*
- D. IMP. C. M. PIAVVONIVS. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III.*
- E. VICTORINVS. AVG. *Protome galeata cum hasta et clypeo. AV.*

Inscriptos M. AVR. VICTORINVS Bandurius ipse non vidit, sed ex solo Mediobarbo recitat. Igitur jure suspecti.

Vt lit. B.

ADIVTRIX. AVG. *Protome Dianae d. telum e pharetra depromentis, s. arcum. AV. (Band. Pembrok P. III. tab. 35.) AR. (Tanini.)*

Victorini in Dianam adfectum proficitur hic numus, ut et alius VOTA. AVGVSTI, de quo infra. Eadem epigraphe est etiam in numo Carausii.

Vt lit. B.

LEG. III. FLAVIA. P. F. *Duo leones ex adverso stantes, superne caput galeatum. AV. (Band.) In alio: superne caput muliebre elephantii exuviiis tectum. AV. (Pembrok.)*

Eadem legio est etiam in numis Gallieni, sed unius tantum leonis typo. Ceterum quae ad legiones numis inscriptas pertinent, in volumine VIII. persequar.

Vt lit. B.

LEG. X. FRETENSIS. P. F. *Taurus. AV. (Catal. d'Ennery.)*

Hujus legionis frequens est mentio in marmoribus. An intelligendi milites in freto quopiam, v. c. Siculo lecti? Cicero mare Siculum appellat *Fretense*, ^{b)} si modo sana lectio. Memorantur Ammiano *Decimani Fortenses*, ^{c)} pro quo posset videri legendum *Fretenses*, nisi *Fortenses* legerentur aliquoties in Notitia imperii. Vide eruditos criticos ad hunc Ammiani locum.

Vt lit. B.

LEG. XX. VAL. VICTRIX. P. F. *Aper. AV. (Catal. d'Ennery.)*

In lamina aenea apud Buonarrotium ^{d)} legitur LEG. XX. V. V. additudo item apro. In utroque monumento ro V vel

a) l. c.

b) ad Attic, L. X. ep. 7.

c) L. XVIII, c. 9.

d) Offerv. iser.

VAL. legendum *Valeria* praecunte Dione: *) οἱ εἰκοστοί, οἱ καὶ Ουαλερῆιοι καὶ Νικητορεὶς ὠνομασμένοι, *legio XX, quae et Valeria et Vietrix appellata*. Vide, quae huc pertinentia ad numos gentis Valeriae-Flaccorum dixi.

Vt lit. B.

LEG. XXII. PRIMIGENIE. *Vir nudus pallio in brachium rejecto stans d. clavam, f. arcum tenet, juxta capricornus*. AE. III.

Numum hunc Bandurius ex Harduino recitat, sed qui typum sic describit: b) *Hercules stans arcum f. tenet, d. cervum ducit*. Bandurio favet numus Gallieni cum eadem legione XXII. et typo capricorni. Legio XXII. Primigenia saepe in marmoribus occurrit, eique in Germania praefectum fuisse Did. Iulianum postea Augustum, docet Spartianus.

Vt lit. B.

LEG. XXX. VLP. VICT. P. F. *in alio VLPIA. P. F. Iuppiter d. hastam, f. fulmen tenens capricornum respicit*. AV. (Band.)

Eandem legionem exhibet numus Gallieni, sed typo Neptuni.

Vt lit. B.

LEG. XXXVI. P. VICT. P. F. *Figura nuda stans d. hastam cum capricorno*. AV. (Mediob.)

Numus sic vulgatus a Mediobarbo, sed etiam solo. Dubium non videtur, esse eundem cum praecedente, et pro XXXVI. P. legendum XXX. VLP.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator paludatus gradiens d. hastam, f. tropaeum*. AE. III. (Band.)

Vt lit. E.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Imperator sacrificans*. AV. (Band.)

Vt numi hi per tribunatus et consulatus numeros notas chronologicas offerunt, non docent tamen principium, ex quo eae pendent.

Vt lit. A. Capita jugata etc.

VICTORIA. AVG. *Protome, Victoriae laureata d. lauream, f. palmam*. AV. (Mus. Caes.)

Eximius hic numus per capita jugata, quae in nullo Victorini numo reperit Bandurius, Postumi aetatem luculente profitetur. Ergo et Victorinus, perinde ac Postumus, Marti sese adsimilavit. Khellii conjecturam, qui caput alterum esse Victorini filii suspicatur, c) infra in hoc refutabimus.

Vt lit. B.

VOTA. AVGVSTI. *Capita Martis et Dianae jugata*. In alio: *Capita adversa Apollinis et Dianae*. AV. (Band. Pembrock.)

Divus Victorinus.

DIVO. VICTORINO. PIO. *Caput radiatum*.

CONSACRATIO. *Aquila rostro coronam strigens, et insitens globo*. AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.) In alio:

PROVIDENTIA. AVG. *Providentia stans*. AE. III. (Mus. Caes.) In alio:

FIDES. MILIT. *Mulier stans utraque manu signum militare tenet*. AE. III. (Mem. Trev. Mart. 1709.)

Coelestes a Gallis honores agente matre Victorina inter hos praepotente, de qua supra egimus, obtinuisse dubium non est.

a) L. LV. § 23. b) Hist. Aug. p. 869. c) Subpl. ad Vaill. p. 196.

VICTORINVS.

453

PRETIVM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei puri	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I, et II. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.

VICTORINVS FILIVS.

De hoc sequentia Trebellius: *) fuisse Victorino filium cognominem, Victorinae nepotem, atque a patre sub eadem hora, qua interemptus Agrippinae a militibus est, et avia puerulum admodum Caesarem nuncupatum, et statim hunc quoque ab iisdem peremptum. Exstare denique apud Agrippinam humilia utriusque sepulcra inscripta: *Hic duo Victorini tyranni siti sunt.*

Ne frustra haec Trebellius dixisse videretur, sui huic quoque ab antiquariis quaesiti numi, horumque bene multos reperit ultra modum sedulus Mediobarbus. Moderatior Bandurius tres tantum secrevit, quos filio tribueret, qui nempe vultum a paterno omnino diversum ostentabant, et, ut ipsi visum, annorum triginta, omnesque esse inter se similes, nimirum: IMP. C. PI. VICTORINVS. AVG. X AEQVITAS. AVG. Mirum pro-

fecto iudicium. Vt juveni huic Victorino suos possit numos tribuere, auctorem unum habet Trebellium, nam nemo alius ejus meminit, cujus tamen ipsa testimonia numis his aperte adversantur. Eum illi dicunt Augustum, Trebellius tantum Caesarem. Facies virum ostendit annorum XXX., Trebellius puerulum, cum caesus esset, appellat. Eodem teste occisus est eadem hora, qua Caesar nuncupatus, ergo necessario fuit, intra tantundem temporis hos feriri numos, quod utrum ullo pacto credibile? Verisimilius ergo, nullos hujus esse numos, omnesque, qui hactenus illi tributi fuere, restituendos patri, et si in aliquibus vultus apparet juvenior,tribuendum istud potius artificum inscitiae, quam sane neque aevum, neque Gallia, in qua cusi sunt, diffitebitur.

VICTORINA.

Supra in Victorino seniore de hac ejus matre Victorina vel Victoria (nam utrumque nomen prodit Trebellius, posterius Victor) ejusque apud exercitum

gratia egimus. Codex Palatinus e melioribus unus eam *Vitruviam* appellat. Huic sequens numus tribuitur:

a) in utroque Victorinae.

IMP. VICTORIA. AVG. *Caput galeatum.*

II. *Aquila expansis alis.* AE. III.

Numum hunc Mediobarbus ex Strada, praeclaro scilicet teste, descripsit, sed et exploisit Bandurius, cujus iudicium etsi sanum justumque videretur, tamen commemorandum hunc numum sensui, quia eum fidei indubitatae adferuari in museo d' Ennery testatur el-Beauvais. *) Adde simillimum alium in museo Pembrock, nisi quod capitis inscriptio fertur: IMP. VICTORINA.

AVG. b) de quibus adeo numis plane singularibus iudicent ii, qui videre. Si verum est testimonium Trebellii narrantis in haec verba: c) *cusi sunt ejus numi aerei, aurei, et argentei, quorum hodieque forma exstat apud Treviros*, non desperandum de aliis ejus numis, quos olim proferat tempus, tametsi mirum, ejus vix unum alterumve circumferri, et quem major pars vix genuinum credet, cum tamen aliorum ejus aevi Galliae tyrannorum abundant numi.

M. AVR. MARIVS.

Olim faber ferrarius, atque ad istud opificium propter incredibile membrorum robur magis a natura factus, quam ad imperium, quod non corporis, sed animi virtus regitur. Tamen caelo Victorino Augustus dictus favente palam Victorina saepe nobis memorata. d) Paulo post caesus est a milite ejus quendam in fabrili officina operario, addito per contemptum: *hic est gladius, quem ipse fecisti.* Arripuit ergo imperium et cum vita amisit V. C. 1020. Haec Trebellius, e) et Victor. f) Triduum imperii ei largitur Trebellius, Victor et Eutropius nonnisi biduum. Verum an credibile intra biduum vel triduum tot potuisse feriri Marii numos, qui etsi obvii non sunt, tamen iusto numero exstant, iique non modo parte antica, sed etiam averfa varii? Accedit, quod idem Victor alibi Marium hunc, etsi ortu

humillimum, tamen in imperio *superbia atque ambitione immodicum* fuisse adseruit, g) quae quidem vitia ut praedicari de quopiam cum ratione possint, pluribus experimentis opus est, quam quae biduum capere possit. Certum igitur praecipientibus istud numis quovis historicorum testimonio valentioribus, unum alterumve saltem menssem Marii imperio adjiciendum.

IMP. C. MARIVS. *vel:* IMP. C. M. AVR. MARIVS. P. F. AVG. *Caput laxreatum in AV., radiatum in AR. et AE III.*

CONCORDIA. MILITVM. *Duae dexterae junctae.*

FELICITAS. AVG.

FIDES. MILITVM. *Mulier stans cum signis militaribus.* AV. (Tanini.)

a) Hist. abr. T. II. p. 65.

b) P. III. tab. 28.

c) in Tyranno XXX.

d) Trebell

in Lolliano, e) in ejus vita.

f) in Caels. sub Gallieno.

g) in Caels. sub Dioclet,

PACATOR. ORBIS. *Caput solis radiatum.* AE. III. (Band.) SAECVLI. FELICITAS. *in omni metallo.* VICTORIA. AVG. — VIRTVS. AVG.

PRETIVM.

Aurei RRRR.
Argentei impuri et AE. III. R.

C. RESVVIVS TETRICVS PATER.

Etſi in ipſum Aureliani imperium du-
ravit, tamen hiftoriae cauſa a praecedentibus Galliae tyrannis, ex quibus poſtremus fuit, ſeparari nolui. Ejus hiftoriam ex auctoribus veteribus accurate congeſſit de Boze, ^{a)} ex qua praecleara meſſe pauca excerpto.

Victorino et Mario caeſis famigerata Victorina; rerumque, ut diximus, tum in Gallia potens effecit, ut imperator adclamaretur Tetricus vir ordinis ſenatorii, conſularis, et jam Valeriano probatus, quique tum utrique Aquitaniae praefedit, ei praeterea feminae adſinitate conjunctus. Factum iſtud oportuit exeunte anno V. C. 1020. P. X. 267, aut principio ſequentis. Nam quo tempore Claudius caeſo Gallieno imperium adivit, ſcilicet meſſe Martio anni P. X. 268, jam conſtabat Roma, Tetricum in Galliis imperatorem agnitum, ut diſcimus ex Trebellio. ^{b)} Claudio imperante non modo quiete tenuit Gallias Hispaniamque, ſed et apparebant non obſcura conſtitutae inter utrumque concordiae argumenta, ut ex ipſis numis patebit, neque infracta ea eſt

Aureliano ad imperium erecto. At enim irrequietum ſuorum ingenium ac ſeditio-
nes pertaeſus Gallias Aureliano reſtituendi cepit conſilium, eoque clam invitato, ut per ſpeciem belli in Galliam veniret, cum ambo exercitus in conſpectu eſſent, transitione facta ipſum etiam exercitum duce deſtitutum ejus ſeſe arbitrio ſubjicere coegit. Si vera referunt ſcriptores, non ſatis famae tuae conſuluit Aurelianus, cum ſponte dedititium in triumpho, quem de Zenobia egit, captivum duci paſſus eſt, quanquam deinceps non ceſſaret omnibus eum officiis ornare, ſic ut conlegam ſaepe, ſaepe imperatorem appellaret, ac denique Italiae totius correctorem conſtitueret, ſuis etiam honoribus in filium Tetricum, antea Caefarem, collatis, de quo infra. Quo imperante hic inſignis famae vir diem obiverit, proditum non eſt. Diutiſſime adhuc vixiſſe privatum tradit Eutropius. Ergo imperium Tetrici circumſcribitur anno V. C. 1020 P. X. 267, quo illud adiit, et V. C. 1026 P. X. 273, quo actum ab Aureliano triumphum dicemus.

a) Mem. B. L. T. XXVI. p. 504. b) in Claudio.

Numi:

- A. IMP. C. TETRICVS. P. F. AVG.
Caput laureatum in AV., radiatum in AR. AE. III.
- B. IMP. TETRICVS. PIVS. AVG.
Caput laureatum in AV. AR.
- C. IMP. C. C. PESV. TETRICVS. AVG.
Caput laureatum in AV. radiatum in AE. III.
- D. IMP. TETRICVS. AVG. *Protome laureata d. ramum, f. scipionem cum aquila, in AVreo max. mod. (B. L. Tom. XXVI. p. 504.) Caput radiatum in AR. AE. III.*
- E. IMPP. TETRICI. AVGG. *in aliis PII. AVGG. Capita Tetricorum, patris laureatum, filii nudum, in AR. AE. III. (Band.)*
- F. IMPP. TETRICIS. AVGG. *Capita jugata Tetricorum, patris laureatum, filii nudum, in AR. (Band.)*
- G. IMPP. INVICTI. PII. AVGG. *Capita jugata Tetricorum, patris laureatum, filii nudum, in AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)*

IMP. TETRICVS. - - AVG. *Caput laureatum.*

ABUNDANTIA. *Vas monotum. AE. III. (Mus. Caes.)*

In numis aliis cornucopiae, vel dona Cereris cum hac inscriptione plerumque junguntur, at in praesente vel dona Bacchi, vel Minervae.

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVG. *Imperator eques pacificatoris ritu. AV. (Band.)*

Vt in Postumo, sic in Tetrico quoque ignoramus, cujus adventus urbis intel-

ligatur. Absentem ab exercitu adclamatum imperatorem, et Burdigalae sumpsisse purpuram, tradit Eutropius.

Vt lit. A. Capita Tetricorum, ut in aliis.

AETERNITAS. AVGG. *Mulier stans d. globum, cui impositus phoenix. AV. (Band.)*
Numum commendat pars antica. De phoenix aeternitatis symbolo actum alibi.

Vt lit. A.

COMES. AVG. *Victoria stans. AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)*

Eadem averfa reperitur etiam in numis Victorini.

Vt lit. G.

HILARITAS. AVGG. *Mulier stans d. oblongum palmae ramum, f. cornucopiae, adstant duo parvuli. AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)*

Numum descripti propter singularem partem anticam, quam supra dedi.

Vt lit. D.

IMP. C. CLAUDIVS. AVG. *Caput Claudii Gothici radiatum. AE. III. (Band.)*

Praeclarus hic numus confirmat, quae de concordia inter utrumque imperatorem supra insinuavimus, facile nimirum permittente Claudio, ut vir tantae virtutis ac moderationis praesesset Galliae, qui Germanorum intrusiones arceret, dum ipse bellum cum Gothis gereret, neque eodem tempore et pugnare cum his, et Tetricum revocare ad obsequium posset.

Vt lit. A.

NEPTVNO. CONS. AVG. *Equus marinus. AE. III. (Band.)*

Eadem omnino averfa exstat etiam in numis Gallieni, quos vide.

Vt lit. A.

NOBILITAS. AVGG. *Mulier stans d. hastam, s. globum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)

Haec averfa hactenus ex filii tantum numo fuit cognita. Poterat suam Tetricus jactare nobilitatem; nam ante imperium non senator modo et consul fuit, sed et ortus familia nobili teste Victore in Caefs.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator togatus stans vel sedens cum variis attributis.* AV. (Mus. Caef.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator stans cum hasta et globo.* AV. (Band.)

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Mulier stans d. signum militare, s. hastam.* AV. AR. (Band. Mus. Caef.)

Vt lit. E.

P. M. TR. P. COS. III. P. P. VOTA. *Vterque princeps sacrificans, quorum unus Victoria adstans coronat.* AE. III. (Band.)

Vt lit. A.

PRINC. IVVENT. *Imperator paludatus stans d. baculum trifidum tenet, hastas adnititur sinistra.* AE. III. (Band.) In alio: *Imperator ad aram sacrificat, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caef.)

VOTA. etc. vide payllo altius sub P. M. etc.

IMP. TETRICVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

IMP. C. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.* AE. III. (Tanini.)

Nisi permutatae sunt matrices, Tetricus hoc numo singulari Victorini memoriam restituit.

(Vol. VII.)

Tetrici an divi?

Mediobarbus numos in medium protulit, qui utrumque Tetricum superis adscriptum testantur. Illud eximio Bandurio crucem fixit, cum difficile sit credere, eos, qui in vita privata decessere, in superos relatos, et eorum nomine auctoritate publica signatam monetam. Praestitisset me iudice, horum numorum fidem in dubium vocare, quod mihi semper permillum puto in numis singularibus, et insolentibus, cum horum fides solo Mediobarbi praeconio nititur. Post haec binos vidi a Taninio promulgatos numos:

IMP. C. TETRICVS. P. F. AVG.

Caput radiatum.

CONSACRATIO. *Mulier stans ad aram d. sceptrum, s. hastam.* AE. III. (ex mus. d'Ennery.)

IIVIDC. TETRI. - - DV. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Ara.* AE. III. (ex mus. Com. Verità.)

Numus prior nihil habet consecrationis praeter vocabulum CONSACRATIO, non epithetum DIVI, non solitum tygum averfae. Ergo non temere hanc discordiam imputabimus monetarii sive ruditati, sive negligentiae ex Tetrici numis satis cognitae. Deinde dubitari potest, utrum alterius numi epigraphe luxata iustum argumentum suppeditet. Nondum igitur satis causae apparet, cur privatam Tetricum in superos relatam liceat existimare.

Animadversio in numos Tetricorum.

Quod ad Postumi monetam observa.
Mmm.

vimus, hujus numos aureos non vulgaris esse elegantiae, ad aureos etiam Tetricorum valere debet. Vltimam vero barbariem redolent plerique eorum numi aenei, sic ut non in provincia aliqua pridem exulta, sed Sarmatas inter Gothosque, quibus ipsa Romanorum lingua peregrina fuit, percussa videri possint. Susplicari igitur licet, monetam eorum auream in ipsa Galliae luce, et sede principis advocata peritior manu fuisse elaboratam, dum vilior pecunia artificibus provincialibus tam artis quam linguae rudibus relicta fuit.

Nomina Tetricorum.

Tetrici senioris nomina in numis leguntur: C. PESV. TETRICVS. Marmor repertum Rothomagi nomen curtatum explet: C. PESVBIO. TETRICO. NOBILISSIMO. CAES. P. F. AVG. L. I. ^{a)} Verum ergo gentis nomen fuit *Pesubius*, vel *Pesuvius*, si modo tuto stari potest

auctoritate hujus marmoris admodum mutili, quod multo accuratius, quam Sponius praestitit, proponitur in Memorii Inscr. Parisinis Tom. III. hist. p. 235 et T. XIV. hist. p. 154. Contra filius plerumque in argenteis et aeneis dicitur: C. PIVESV., rarius PIVESVS, tamen in aureis et aliquot aeneis etiam PES., quod cum nomine paterno congruit, probatque, eum quoque *Pesuvii* nomine in numis suis usum. At cujus generis nomen alterum filii *Pivesus*? Cederem, ab incitis monetariis intrusum, sed vetat numerorum conspirantium copia. Quare verisimile, filio id nomen accessisse a matre, ut saepe alias, cui *Pivesae* forte nomen fuerit. Viros eruditos, qui Tetrico seniori praenomen *Publii* adfinxere, decepti oraculum Goltzii, nam numi, et laudatum marmor Rothomagense eum *Caium* constanter appellant. Cl. Beauvais adfirmat, in aliquibus legi praenomen G, nempe *Gnei*. ^{b)} Verum *Caius* et *Gaius* perinde olim scribebatur.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aureum praegrands moduli ex museo regis Galliarum edidit cl. de Boze. (Mem. B. L. T. XXVI. p. 504.)										
Argentei impuri	-	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	C.

a) Spon Miscell. P. 274.

b) Hist. abrég. T. II. p. 94.

TETRICVS FILIVS.

C. Pefavius Pivesus Tetricus, quae filio fuisse nomina supra in patre diximus, hoc ad imperium promoti Caesar appellatus est machinis famigeratae Victoriae, ut docet Trebellius, et Victor. Ab Aureliano una cum patre ductus in triumphum deinceps victoris indulgentia ad omnes senatorios honores admissus non apud hunc modo, sed alios etiam principes successores gratia valuit. Fueritne antehac a patre dictus Augustus, infra expendetur.

Numi :

- A. C. PES. TETRICVS. CAES. *Caput nudum in AV., raro in AE. III.*
- B. C. PIVESV. TETRICVS. CAES. *Caput radiatum in AR. et AE. III.*
- C. PIVESVS. TETRICVS. CAES. *Caput radiatum in AE. III.*
- D. C. TETRICVS. CAES. *Caput radiatum in AE. III.*
- E. IMP. CS. TETRICVS. C. *Caput radiatum in AE. III.*
- F. IMPE. TET. PIVES. *Caput radiatum in AE. III. (Band.)*

Omitto numos, in quibus ejus caput sociatur cum capite patris, quos vide in patre; item inscriptiones capitis mire varias, sed cujus una causa monetariorum ruditas, literis turpiter disjectis, saepe nullo sensu, ut jam in patre monui.

Vt lit. E.

ABVNDANT. AVG. *Vas ansatum.* AE. III. (Band.)

Similem aversam jam ostendimus in moneta patris.

Vt lit. B.

IMP. TETRICVS. P. F. AVG. *Caput Tetrici patris radiatum.* AE. III. (Band.)

Numus vel in ipsa Gallia rarissimus.

Vt lit. B.

SECVLVM. *Ara luculenta.* AE. III. (Band.)

Nova aversae epigraphe et additus huic typus sensum recondit, quem explicare non tento.

C. PIV. TETRICVS. A. *Caput radiatum.*

SOLI. CONSER. *Centaurus arcum tenens.* AE. III. (Band.)

Vide, quae ad numum similem Gallieni cum epigraphe APOLLINI. CONS. AVG. notavi.

Vtrum Augustus?

Tetricum filium fuisse Augustum, probat Bandurius

I. ex numis inscriptis: IMPP. TETRICI. AVGG., aut similiter, quos recitatos vide in numis patris.

II. ex titulo IMP. ejus nominibus in binis numis praefixo.

III. ex numo ejus postremo mox producto, in cujus antica sub finem additur A., quod ait notare Augustum.

Addo ego his fortius argumentum aliud ex numo musei Caesarei:

- - - TETRICVS. AVG. *Caput radiatum puerile.*

SALVS. AVG. *Salus stans.* AE. III.

Addo denique testimonium Vopisci, eum a patre in Gallia nuncupatum imperatorem adferentis. *)

Argumenta haec ut valida in specie videri possunt, tamen collatum Augusti titulum non satis evincunt. Nam I. in numis aureis, quorum praeconium propter operis nitorem, et quia haud dubie in ipsa principis sede, atque accuratius cusi sunt, solum est audiendum, Augustus nunquam dicitur, nisi in consortio patris. At vidimus alias, non raro manifestos Caesares per causam praesentis Augusti patris participasse honorem Augusteum sibi indebitum, cujus exempla dedimus in Maximino et Maximo, et alibi. II. Si vere Augustus fuit, cur in iisdem his numis ejus caput constanter est nudum, cum tamen patris constanter sit laureatum? Sane hoc

aevo caput nudum indubitatum est Caesaris indicium. III. Obvii sunt Tetrici jun. numi, in quorum antica is Caesar tantum dicitur, at in averfa scriptum SALVS. AVGG. — SPES. AVGG. — NOBILITAS, AVGG. etc. ut ergo his in numis ro AVGG. Tetricum jun. nequaquam Augustum probat, etsi illum quoque complectatur, ita neque in aliis. IV. Titulum *imperatoris* non semper probare etiam Augustum, satis supra in moneta Salonini disserui. Quod si revera Augustus dicitur in aeneis, iisque paucissimis, et explicate in unico tantum, facile istud tribui potest monetarii ignorantiae titulorum vim non satis percipientis, praecipue cum operis ruditas, quae plerosque Tetricorum aeneos inter barbaros jure ablegat, abunde doceat, ab imperitissima eos manu fuisse elaboratos. Denique Trebellius et Victor, qui utramque ejus fortunam prodidere, eum Augustum nunquam, quod memorare certe non neglexissent, sed Caesarem solum appellant.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei impuri	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.

PISQ. FRVGI.

A veteribus illis Calpurniis creditus genus ducere, propter justitiae et integritatis commendationem apud summos

juxta ac infimos gratiosus. A Macriano ad interficiendum Valentem missus, cum exsequi mandata non posset, in

*) in Aureliano c. 34.

Theſſaliam abiit, imperiumque ibi paucis conſentientibus ſumpſit, dictus propterea *Theſſalicus*, paullo poſt miſiſ a Valente percufforibus e medio tollitur. Vide Trebellium in Tyranno XX.

Numi:

Ejus numum Latinum, in cuius averſa THESSAL. AVGVS. dicitur, alterum Alexandrinum Bandurius ex uno Mediobarbo hauſit, ſed de quorum fide nunc vulgo dubitatur.

VALENS.

Achaiae proconſul a Gallieno conſtitutus a Macriano inſidiis petitur, quas ut declinaret, imperium arripit, ſed brevi a militibus interimitur. Vide Trebellium in Tyranno XVIII.

Numum ejus Alexandrinum Bandurius ex uno Occone novit; nunc nemine illum alio vindicante contemnitur.

BALISTA.

A Valeriano ad maximas dignitates, et ipſam praetorii praefecturam promotus, eumque ad bellum Perſicum adſecutus, illo a Perſis capto Macriano ad ſumendam purpuram auctor fuit, quam et ipſe ſerius arripuiſſe fertur, etſi, utrum vere imperaverit, adſerere non audeat Trebellius. a) In Oriente dum

verſatur, Odenathi inſidiis occubuiſſe creditur. Vide Tillemontium ſub Valeriano et Gallieno.

Hujus tyranni numum Latinum hauſit Mediobarbus ex Occone. Alexandrinum addidit Goltzius. Neutri fides habetur.

REGALIANVS.

Regillianum vocant Trebellius, et Victor in Epitome, et ex hoc nomine Goltzius Q. Nonium *Regillianum* ſuae auctoritatis eſt fabricatus. *Regallianum* dixit Victor in Caefaribus, b) at numi genuini, quos mox producam, P. C. *Regalianum*, incerto adeo gentis ſuae nomine, cum ꝛo C varie accipi poſſit. Fuit natione Dacus, et credebatur ſan-

guinem a Decebalo ducere. Cum Gallienus Ingennum, qui audito Valeriani fato tyrannidem in Illyrico arripuerat, apud Muſſiam deviciſſet, et inhumana barbarie in illos, qui ab eo ſteterant, ſaeviſſet, veritus exercitus Moeciſiacus, ne idem ab irato victore pateatur, Regalianum Auguſtum dixit, ſed eundem poſtea ſuccedente a Gallieno

a) in Tyranno XVII.

b) ſub Gallieno.

metu interemit etiam. Haec Trebellius, et uterque Victor. Si vera narrat Trebellius, ^{a)} imperavit eo tempore, quo Gallienus decennium suum celebravit, quod factum constituimus V. C. 1016 P. X. 263.

Numos *Regiliani* nomine, et in averfa consecrationis protulere Trifanus, Strada, Fulv. Ursinus. Verum cum ab horum aetate numi similes reperti non essent, jure de eorum fide dubitari coeptum. Tamen eorum tres ex solis museis Austriacis lectori objicio, fidei integerrimae, quantam unquam veteri cimelio possumus tribuere. Omnium eorum fabrica barbara, nimirum qualem praeflare poterat Moesia, argentum ejus indolis, cujus sunt numi Caracallae, cujus ratio ex iis, quae mox dicam, facile patebit.

IMP. C. P. C. REGALIANVS.
AVG. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVGGG. *Mulier stans d. scrumenam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nunc primum occurrit AVGGG. obvium in numis infimi aevi. Non tento evincere, qui fuerint tres hi Augusti. Forte hoc nomine uxorem, filiumque Caesarem intelligi voluit.

IMP. C. P. C. REGALIA - - -
Caput radiatum.

ORIENS. AVG. *Sol capite radiato stans d. elata, s. flagellum.* AR. (Olim Vindob. in museo de France.)

Qui sequitur, non vulgaris est meriti, quem, ut est, adcurate describo.

- - C. P. C. REGALIANVTO.
RI. *Caput radiatum.*

- - - CON - - - *Figura stans d. - - - s. hastam, in reliqua peripheria: ANTONINVS. PIV - - et aperta vestigia capitis laureati Caracallae.* AR. (Mus. Caes.)

Praeclare comprobatur hic numus, tyrannos, cum eos deficeret argentum; et tamen vellent suo nomine signare pecuniam, quod summae potestatis argumentum fuit, veterem monetam ad incudem revocasse, atque ut praesentis numi testimonio careremus, ejus generis copiosos exstare Postumi, in quibus veteris matricis rudera aperte tralucunt, testatur Brequignyus. ^{b)} Instituto examine cum numo, de quo ago, adverti continuo, ante metamorphosin fuisse numum obvium Caracallae, in cujus antica est: ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum,* in averfa: MARTI. PACATORI, ex qua gemina epigrapha malleum recentioris manus evaserunt: ANTONINVS. PIV. et TORI.

• IMP. C. P. C. REGALIANVS. - -
Caput radiatum.

VICTORIA - - *Victoria stans.* AR. (Tanimi.)

Praeter citatos hos numos Regaliani alium non novi. Cum in ipsis nostris terris, in quibus reperiuntur, sint rarissimi, causam tenemus, cur nobilissima aliarum provinciarum musea iis careant.

a) in Gallieno.

b) Mem. B. L. T. XXX. P. 347.

DRYANTILLA.

463

PRETIUM.

Argentei tantum cogniti, iique - - - - RRRR.

SVLPICIA DRYANTILLA.

Hujus Augustae numi Vindobonae primum coepere innotescere. Horum unus repertus in Austria ab aratore opus faciente Iosepho comiti Arioſto oblatus fuit anno circiter 1760. Motus is rei novitate varios per Europam viros eruditos consuluit, cujus thalamo ignotam hactenus Augustam sociandam putarent. Tacentibus reliquis, quod nihil occurrerat ad causam opportunum, vocem extulit Eduardus Corfinus, atque edita Liburni anno 1761 proluxa dissertatione illustrare argumentum aggressus est, re ipsa aliud nihil attulit praeter conjecturas plane infirmas, quibus nihilo plus profecit, quam qui tacuere. Arioſtiani istud cimelium lucem adfudit alteri simili, qui, sed minus integer, pridem in museo Caesareo servabatur, et nomine KYANTILLA a Froelichio in Cimelio Caes. Vindob. pag. CLXIV. editus est. Ab hoc tempore reperti plures, ac compertum mihi, eorum exempla singula exſtare aut exſtitisse in museis illi: com. Vitzai, Rev. Klimo olim episcopi Quinque ecclesienſis in Hungaria, et cl. Neumanni nostri. Alius nuper repertus, et hic quoque in Austria, ubi Hungariae, contermina est, in cujus antica legitur: SA AVG YANTILLA - - - X: P V V N O N I. R E D I N., qui nunc est in

museo ill. Alexandri Bar. de Seckendorf. Denique alium citari video a Froelichio, sed ipsi sibi tum ignotum, *) in cujus parte adversa legitur: PIETASACILL - - in averſa: IVLIANIREDIN. Fuit is Vindobonae in museo Garelliano. Eundem hunc numum serius mihi inspicere licuit, sed in cujus antea luculentam vidi epigraphen PIETASNTIL - - nimirum ro PIETAS restat ex matrice vetere, ro NTIL - ad *DryaNTILLam* pertinet. Satis apparet, utrumque hunc numum esse reculum, et antea alterius Augustae, et Seckendorſianae quidem fuisse *MacSAe* AVG. cum averſa *PVdicitiae*, alterum Garellianum cujuscunque *IVLIAe* cum averſa PIETAS, quod arguunt residuae literae prioris matricis mixtae cum literis matricis noviciae. Alium hujus Augustae in exterorum museorum catalogis nondum memorari vidi.

Eam me iudice non posse opportunius sociari, quam Regaliano, sequentia videntur persuadere. I. Ejus hactenus numi in sola Hungaria, et contigu- is provinciis reperti sunt, quo palam docemur, fuisse uxorem unius ex tyrannis, qui imperium sibi in hoc tractu per vim extorsere, qualis erat Regalianus. Fabrica, ac literarum forma tam

*) IV. Tentam. p. 438.

in Regaliani, quam Dryantillae numis omnino est eadem, quo solo argumento absteritus sum, quo minus, quod aliquando tenuiter suspicabar, Pacatiani uxorem, hujus quoque tractus tyranni, statuerem, quod in hujus numis plus artis, multo majorem characterem elegantiam perspicue animadverteram. III. Vtriusque numi idem habent volumen, idem fere pondus, ejusdem rationis argentum, quod bonitate multum praestat argento, ex quo cusi sunt numi Gallieni, aliorumve ejus aevi tyrannorum. Pronunciare isthaec confidenter possum, qui utriusque numos prae manibus habeo, ac fere omnes eos, qui nunc alibi sunt, ipse inspexi. IV. Fuisse Regaliano uxorem, dubitare non finit ejus numus supra laudatus: LIBERALITAS. AVGGG., qua formula comprehensam etiam Augustam uxorem du-

bitari vix potest. V. Quemadmodum numum Regaliani ex numo Caracallae formatum vidimus, sic idem factum videmus in numis Dryantillae. Sane nullum hujus Augustae numum conspexi, in quo non exstarent luculenta prioris cujuspiam matricis indicia. Commemoravi argumenta, iusta sint, nec ne, lector eruditus arbitretur.

* * *

SVLP. DRYANTILLA. AVG.

Ejus caput super luna.

IVNONI. REDINE. (sic) *Dea stans d. porrecta - - - f. hastam.* AR. (in Mus. Caes. aliisque supra laudatis.)

Cum typo diverso nullus alter mihi cognitus. Ejus iconismum rite expressum habes in Khellii Supplemento ad Vailantium p. 190, nisi quod in nomine Dryantillae ponitur V pro Y.

PRETIUM.

Argentei tantum, iique

RRRR.

AVREOLVS.

Dacus natione, et si fides Zonarae, olim opilio, deinde ducendo exercitui a Valeriano praefectus, serius a Gallieno defecit, adclamatus imperator a legionibus secundum hos Illyrici, secundum illos Rhaetiae, at quando, in tantis auctorum disidiis, quae enarrat Tillemontius, ^{a)} plane incertum. Quin probata jam ejus perfidia, cum victo ae-

mulo Macriano creyisset viribus, cum Gallienus belli adversus Postumum gerendi socium adhibuit. Rupta concordia Gallienus victum Aureolum Mediolani obsidione premit, sed qui discrimen caeso inter haec Gallieno evadit. Novissime a Claudio victus tyrannidem cum vita posuit V. C. 1821. P. X. 261.

^{a)} Nota VI, in Gallieu.

IMP. AVREOLVS. AVG. *Caput radiatum.*

CONCORD. EQVIT. *Mulier stans d. pede prorae navis imposito, f. gubernaculum gerit.* AE. III. (Band.)

IMP. C. AVREOLVS. AVG. *Caput radiatum.*

CONCORD. IIMC. *Duae dexterae junctae.* AE. III. (Band.)

Addit his binos Pembrockius, sed attritos. (Part. III. tab. 28.)

Duos, qui sequuntur, Bandurius ex uno Traiano produxit, sed cuperem ab aliis quoque inspectos, adprobatosque.

IMP. AVREOLVS. . . *Caput radiatum.*

L. I. MIN. RESTITVTA. *Minerva et Aureolus stantes dexteris jungunt.* Incerti moduli.

Numus praeclarus, si modo certae fidei.

IMP. M. ACIL. AVREOLVS.

• P. F. AVG. *Caput radiatum.*
PROVIDENTIA. AVG. *Typus Providentiae.* AV.

Marci, vel Manii Acilii nomina jam Goltzius ex numo suo promulgavit haud dubie conficto.

PRETIVM.

Aurei, si modo genuini.	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei	-	-	-	-	-	-	RRRR.

SVLP. ANTONINVS.

Antoninum Zosimus inter hujus aetatis tyrannos nominat, cui ab eruditissimis nonnullis numi bini Graeci inscripti: ΑΥΤΟΚ. ΚΟΡΑΙ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΚ. ΚΕΒ.

tribuuntur, quos una conjunxi et explicavi in numo Sulp. Vranii Antonini postnumos Mamaeae.

MACRIANVS PATER ET FILIVS.

Macrianus a Valeriano inter exercitus duces adlectus coluisse artes magicas ferebatur, et fuisse auctor princeps ejus odii, quo Valerianus Christianos persecutus est, de quo vide Tillemonium in hoc argumento more suo abundanter. (Vol. VII.)

dantem. Ei Valerianus suscepto in Persas bello, malo, ut eventus docuit, consilio rei summam credidit; nam perfide principem in ea dicitur loca deduxisse, unde exire amplius non dabatur, et fuisse adeo causa praecipua ejus capti, et
N n n

in miseram servitutem abstracti. Ut erit, collectis exercitus reliquiis, quod supra modum dives esset, ac rei militaris cumprimis gnarus, etsi per aetatem ac morbos jam parum validus agente Balista adversus Gallienum imperator dicitur filiis Macriano et Quieto conlegis additis. Rebus in Oriente ordiatis, relictoque ibi Quieto, una cum altero filio in Occidentem movet hunc quoque sibi subjecturus, jamque in Illyricum pervenerat, quod tum Aureolo paruit, verum collatis cum hoc signis inferior ipse cum filio interficitur V. C. 1015 P. X. 262.

Numi Macrianorum.

Ait Bandurius, *) nullum adhuc in oculos suos incurrisse Macriani nomine insignitum numum, qui ad filium non pertineret, idemque sibi accidisse testari plerosque alios antiquarios. Revera numi Macriani usque modo cogniti vultum juvenilem exhibent, qui adeo patris esse non possunt, quem senio gravem prodidere historici. Et vero ipso hoc ejus numorum defectu potest videri verisimile, quod refert Zonaras, b) Macrianum propter adfecti pedis incommoda detrectasse purpuram, eamque utrique filio argutum, cum quo fere conspirat Dionysius Alexandrinus apud Eusebium. c) Narrat quia etiam Trebellius, Macrianum, cum ad imperium peteretur, excusasse senectutem, morbos, curandi corporis necessitatem, neque antea consensisse, quam ad eundem honorem vocatus esset uterque filius. Qua-

re cum nulli ejus habeantur numi, etsi supersint copiosi filiorum, non obscure colligimus, Macrianum patrem, ut imperium acceptaverit, id forte magis filiorum causa fecisse, et quos a se amolitus est honores publicos, unis his permisisse. Tamen si unus tantum existat in numis Macrianus, mirum, cur hic unus varia in illis praeferat nomina. In numis Alexandrinis aliis dicitur: T. Φ. ΙΟΤΝ. ΜΑΚΡΙΑΝΟC, *Titus Fulvius Iunius Macrianus*, in aliis: M. vel MA. ΦΟΤ. ΜΑΚΡΙΑΝΟC, *M. Fulvius Macrianus*. An unus idemque eodem tempore praenomen habuit *Titi* et *Marci*? Quod si audiamus testimonium cl. Sestinii, vidit is numum Macriani, quem infra describemus, in quo Macrianus capite barbato exhibetur. Quare existimat, Macrianum barbatum existimandum patrem, imberbem filium. d) Sed haec adhuc admodum incerta, ut continuo dicetur, et expectandae aliorum suppetiae numorum, qui veritatem certius edoceant. Observari etiam meretur, a Zonara loco supra indicato tantum filium dici *Macrianum*, patrem constanter *Macrinum*. Numi ergo Macriani nomine inscripti sunt sequentes:

Macrianus Caesar.

MACRIANVS. NOBIL. CAES.
Caput radiatum.

FIDES. MILITVM. *Tria signa militaria.*
AR. (Haym. T. I. tab. 29. n. 7)

Macrianus Augustus.

IMP. C. FVL. MACRIANVS:
P. F. AVG. *Caput radiatum.*

a) Pag. 271.

b) L. XII. c. 24.

c) H. E. L. VII. c. 10.

d) Lettere T. IV. p. 132.

APOLLINI. CONSERVA. — ROMAЕ.
AETERNAE — SOLI. INVICTO —
VICTORIA. AVGG. etc. *typis congruis.*

Numi Alexandrini.

A. K. T. Φ. IOTN. MAKPIA.
NOC. E. *vel* ETC. CEB. *Caput laureatum.*

L. A. *variis typis Aquilae, Victoriae, Spei etc.* AE. II. (Band. Muf. Caef.)

In nonnullis catalogis legitur IOTA. pro certiore IOTN.

• A. K. MA. ΦΟΥ. MAKPIANOC.
CEB. *Caput laureatum.*

L. B. *Roma sedens.* AE. III. (Band.)

A. K. M. ΦΟΥ. MAKPIANOC.
ET. ETC. *Caput laureatum barb-
batum.*

L. B. *Aquila stans.* Potin II. (Sestini l. c.)
Adverte in hoc numo ad tautologiam
ET. ETC., nisi forte erravit monetari-
us, aut in describendo calamus.
Ceterum hunc ipsum Sestinii numum vi-
deo eodem loco ambiri ab aliis, quos
variis hujus operis locis non dubitavi
spuriis, aut certe valde suspectis accen-
sere.

Numi hi invicte docent, Macrianum
in Aegypto Imperatorem pro Galliēno
fuisse agnitum, et opportune hoc loco
Bandurius ex Dionysio Alexandrino ob-

servat, Gallienum septennali circulo jam
finito nonum imperii annum tunc egisse,
cum ad ejus auctoritatem Aegyptus se
iterum adplicuit, omisso scilicet anno
VIII., quod Macrianorum partes haec
regio interea secuta esset. Et vero etsi
obvii sunt Gallieni numi Alexandriae si-
gnati, rarissimi tamen sunt cum anno
• H, seu VIII., ut diximus in horum nu-
morum classe. Coepit hic exeunte Au-
gusto V. C. 1013 P. X. 260, et con-
stat, paullo post Valerianum a Persis
captum, ac tum Macrianos Orientem sibi
subjecisse. Illo igitur jam inchoato
Macrianus in Aegypto agnitus est impe-
rator, duravitque eius imperium saltem
usque ad exeuntem Augustum anni se-
quentis, quo culus fuit numus L. B.

Numi Nicaensium.

Exstant numi ab his Macriano, tum
et fratri Quietō, quos dabimus infra,
signati, ex quo apparet, eorum in Asia
quoque agnitum fuisse imperium.

TI. ΦΟΥ. ΙΟΥ. MAKPIANOC.
CEB. *Caput juvenile imberbe ra-
diatum.*

NIKAIEΩN. *Castræ praetoria.* AE. II.
(Haym. T. II. p. 393. Pellerin Mel. II.
p. 231. Muf. Caef.)

PRETIUM.

Aurei	O.
Argenti impuri	RR.
Aenei III. formae	RR.
Signati Nicaeae	RRRR.
Alexandrini	RR.

Nnn 2

QVIETVS.

C. Fulvius Quietus alter Macriani filius eo modo, quo diximus, donatus purpura, patre ac fratre ab Aurelio superatis caesisque ab Odenatho Palmyrae principe Emefae, quorsum confugerat, obsessus, eaque expugnata interemptus est. Vide Trebellium variis locis.

IMP. C. FVL. QVIETVS. P. F.
AVG. *Caput radiatum.*

Averfae eadem, quae in numis fratris Macriani, cum typis obviis; sunt praeterea eodem fere numero, fabrica, raritate.

Numi Nicaensium.

Fratris numos ab his signatos proxime recitavimus. En alios Quieti :

- - - ΦΟΥΛ. ΚΤΗΤΟΣ. CEB.

Caput radiatum.

NIKAIEΩ. *Castra praetoria.* AE. II. (Pel. Ierin Mel. II. p. 232. Arigoni.)

Numi Alexandrini.

A. K. Γ. ΦΟΥΛ. ΚΟΥΗΤΟΣ. C. CEB. *Caput laureatum.*

L. A. *Aquila.* (Mus. Theup. Band.)

Numus Theupolianus nos de praenomine *Caii* instruit.

PRETIUM.

Aurei	○	-	-	-	-	-	-	-	○.
Argenti impuri	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei II. formae (Mus. Caes.)	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR:
Signati Nicaeae	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.

ALEXANDER AEMILIANVS.

Alexander Aemilianus Aegypti sub Gallieno praefectus, ut Alexandrinorum adversus se conspirantium furorem evaderet, consentiente exercitu imperium sumpsit. Eum Gallienus misso Theodoto duce vivum cepit, et ad se adductum iu carcere strangulari iussit. *)

De numis Latinis hactenus editis, sintne genuini, dubitat Bandurius

ipse, ac peritiores omnes. Alexandrinum pridem vulgavit Occo, aut verius Goltzius, cujus fidem utrum satis idonee confirmet numus sequens, inquirendum.

A. I. TIB. ΚΕΤ? ΑΛΕΞΑΝΔ. ΑΙΜΙΑΙΑΝΟΣ. CEB. *Caput diadematum.*

*) Trebell. in Tyranno XXI.

L. A. *Aquila*. AE. II. (Pellerin Additions p. 7.)

Diadema caput ambiens res est hac adhuc aetate infolens, et si numus genuinus est, ejus certe pictura, qualis a Pellerinio proponitur, fallere videtur. Nimirum suspectum A. I. pro A. K., deinde forma literarum E. E pro E. II praefens aevum non sapiunt. Suspectum etiam, quod epigraphetota cum illa conspirat, quam promulgavit Goltzius, qui tyrannorum nomina et praenomina pro libitu confinxit, ut adeo verisimile sit, falsarium, si modo numus spurium est,

capitis inscriptionem ad autographum Goltzianum conformasse. Sane *Tib. Cestii* nomina auctorum veterum nemo huic Aemiliano praefixit. Pellerinii auctoritas in numo suo adprobando propterea minus valet, quoniam, quo tempore numum hunc protulit, oculorum ulum jam amisit. Sed desino diutius altercari; nam video, huic geminum ab erudito Beauvais ex muleo suo laudari, nisi forte unus idemque est, eumque hic Pellerinio petenti cesserit. Mihi certe omnes hi Aemiliani numi parum probantur.

TREBELLIANVS.

In Isauria sub Gallieno sua sponte imperatorem se appellavit; sed misso exercitu victus in praelio occubuit. ^{a)}

Cum de eo Trebellius diserte dixerit: *Monetam etiam cudi iussit*, defuisset partibus suis Goltzius, nisi et ejus aliquem numum quaesivisset, reperissetque. Ex

hoc ergo fonte habemus IMP. C. C. ANN. TREBELLIANVS., nemini adhuc alteri visum. Neque majoris facio alium cum consecrationis nota, qui auctorem habet Trifanum, virum, ut insigniter eruditum, sic ad parandam numis fidem parum idoneum.

CELSVS.

Vir justus, ac integer, cum privatus in Africa agros suos coleret, a partibus ad acceptandum contra Gallienum imperium adigitur, deficiente vero purpura peplo deae Coelestis ornatur. Idem septimo imperii die occiditur, tanto in eum vulgi furore, ut, cum corporis ejus nihil superesset, quia objectum ca-

nibus fuit, ejus saltem imago novo injuriae genere in crucem tolleretur, tanquam patibulo ipse Celsus videretur affixus. ^{b)}

Numos Graecos et Latinos cum nominibus *T. Cornelii Celsi* praeter Goltzium nemo vidit.

a) Trebellius in Tyranno XXV.

b) Trebellius in Tyranno XXVIII.

SATVRNINVS I.

Incertum, qua in regione imperatorem se aliquamdiu tulerit. Vide Trebellium. ^{a)}

Bini tyranni Saturnini produntur, unus sub Gallieno auctore Trebellio, ^{b)} aliter sub Probo teste Vopifco. Vtriusque numos protulit Goltzius; prior illi est *Sex*.

Iul. Saturninus, ^{d)} alter *P. Semp. Saturninus*, ^{e)} quam ego distributionem parum moror, cum utrosque esse confictos non dubitem. De Saturnino quodam tertio, et jactato ejus numo agemus post monetam Constantis.

CYRIADES.

Sapogem Persam ad inferendum Romanis bellum hortatus, arrepta deinde purpura Orientem graviter adflixit, mox imminente ad bellum Persicum Valeriano a suis occiditur. ^{e)}

Numum Latinum et Graecum divulgavit Goltzius, ^{f)} neque majorem fidem meretur is, quem ex Fulvio Ursino hausit Mediobarbus.

INGENVVS.

Imperante Gallieno Pannoniarum rector a Moesiacis legionibus imperator adclamatur, sed ab adcurrente Gallieno vincitur, et e medio tollitur. ^{g)}

Ejus numos dedit Goltzius, alium Mediobarbus ex schedis Faeschianis, ejusdem sane cum priore fidei.

CLAVDIVS GOTHICVS.

M. Aurelius Claudius obscuro genere ex Dardania aut Illyrico ortus, quos postea adeptus est honores, virtuti bellicae, quae tum fere sola tenuem fortunam evexit, acceptos tulit. Ejus nomen inde a Decio militiae laude clarum usque eo sub consequentibus Augustis in-

valuit, ut eum Gallienus, quod propter virtutem necessarius videretur, in pretio haberet, at simul propter populorum adfectum reformidaret. Ab hoc, cum bellum in Aureolum moveret, in Italiam accitus est V. C. 1021 commissa Ticini custodia, caesoque paul-

a) in Tyranno XXII. b) l. c. c) Thef. p. 116. d) Ibid. p. 119. e) Trebell.
 in Tyranno I. f) Thef. p. 115. g) Trebell. in Tyranno VIII.

lo post hucum conspiratione Gallieno, cujus eum saltem fuisse conscium ne ii quidem, qui ejus res gestas omnes ad coelum extulere, audent plane inficiari, ab universo exercitu imperator adclamatur, omni senatu ejus arbitrium die XXIV. Martii, quo Romam perlatus nuncius, communibus studiis comprobante.

V. C. 1021. P. X. 268.

TR. P. COS. DES. P. M. P. P.

Paterno II., Mariniano cof.

Gallienum in superos refert. Aureolus praelio inferior victoris se arbitrio permittit, sed ab iratis militibus caeditur. Alamannos irruentes prope lacum Benacum interneccione caedit. ^{a)}

Certi anni hujus numi desunt.

V. C. 1022. P. X. 269.

TR. P. II. COS. P. M. P. P.

Claudio Aug. II., Paterno cof.

Gothi paratis ad Tyrae ostia bis mille navibus (sex millia tradit Zosimus) impositisque trecentis viginti millibus hominum Tomos, Marcianopolin, Cyzicum tentant. Vbique oppidanorum virtute rejecti per freti angustias in Aegaeum enixi Macedoniae urbes oppugnant. Verum Claudio cum magno exercitu adventanti obviam progressi atroci praelio in Moesia superiore vincuntur magna superlitum parte fame, frigore, morbis hausta: Claudio propterea honorificum *Gothici* nomen accedit.

IMP. C. CLAVDIVS. AVG. Caput radiatum.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. typis variis obviis. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

V. C. 1023. P. X. 270.

TR. P. III. COS. P. M. P. P.

Antiochiano, Orfito cof.

Gothos intra Haemi latebras interneccione delet, dedititiis partim in exercitum adlectis, partim ad opus ruri faciendum adactis. Peste tum late grassante correptus ipse Claudius apud Sirmium Pannoniae exstinguitur incertum quo mense.

Ex unanimi historicorum consensu propter morum integritatem, justitiam, frugalitatem, virtutem bellicam inter laudatissimos principes eximium locum est promeritus. In majus auxisse ejus famam per adulationem videri possent, quod eorum plerique sub Constantii progenie scripsere, cujus ipse, ut mox videbimus, in majoribus fuit habitus, quos inter Trebellius laudatorem magis, quam historicum agit; verum easdem laudes recitat Zosimus testis vel ideo sincerus, quod Constantinum scriptis suis acerbè ubique persequitur.

De uxore non constat. Fratres habuit *Quintillum*, qui in imperio successit, et *Crispum* patrem Claudiae, quae de-nupta Eutropio filium habuit Constantium Chlorum subinde Augustum.

Hujus quoque anni numi incerti.

Numi vagi.

A. IMP. C. CLAVDIVS. AVG. vel IMP. CLAVDIVS. AVG. vel ad-

a) Victor in Epit.

- dito P. vel P. F. AVG. *Caput laureatum in AV. AE. I. II. radiatum in AE. III.*
- B. IMP. C. M. AVR. CLAVDIVS. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*
- C. IMP. CAES. CLAVDIVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AE. m. m.*
- D. IMP. C. M. AVR. CLAVDIVS. GER. GOTHICVS. *Caput laureatum in AV. (Tristan.)* Additum GER. suspectum, ut dicitur infra in nominibus Claudii.
- E. IMP. CLAVDIVS. CAES. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*
- F. IMP. CLAVDIVS. A. *Caput radiatum in AE. IV. (Mus. Caes.)*

Vt lit. A.

CONSERVAT. PIETAT. *Imperator paludatus stans dextram porrigit figurae genu flectenti; f. hastam. AE. III. (Mus. Caes.)*

Numus rarissimus, sed cujus averfa jam ex Gallieni numo cognita, quo loco vide, quae notavi.

Vt lit. A.

DEO. CABIRO. *Cabirus pileatus alte cinctus d. malleum, f. forcipem. AE. III. (Band.)*

In sole hoc numo commatis Romani, atque hoc rarissimo Cabirus occurrit, cujus frequens mentio in moneta Thessalonicensium, quorum eum fuisse tutelarem in eorum moneta diximus. Recte igitur advertit Bandurius, deum hunc grati animi causa a Claudio monetae insertum, tanquam ejus numine Gothi Thessalonicae obsidione, quam

ab iis fuisse tentatam narrant, Zosimus, et Trebellius, a) depulsi essent.

Vt lit. A.

IOVI. FVLGERAT. *Iuppiter gradiens fulmen vibrat. AE. III. (Tanini.)*

Vt lit. A.

IVNO. REGINA. *Dea stans d. pateram, f. hastam, pro pedibus pavo. AE. III. (Mus. Caes.)*

Commemorandus hic numus videbatur, quoniam haec averfa hactenus in Augustarum tantum numis fuit observata.

Vt lit. A.

IVVENTAS. AVG. *in aliis IVVENTVS. AVG. Hercules stans d. clavam, f. globum et exuvias leonis. AE. III. (Mus. Caes. Band.)*

Eadem epigraphe exstat in numo Gallieni, ut praeteream numos Aurelii Caesaris inscriptos IVVENTAS vel IVVENTVS, quo loco abunde egi de dea Iuventate a Romanis culta. In utriusque numis causam hujus epigraphes constituimus juventutem seu veram, seu comparatam, sed quae in Claudium quadrare nequit, qui et solus Augustus fuit saltem Romae agnitus, et si fides Chronicis Alexandrino, et Eusebii, cum obiit, annum egit LVI. Videtur ergo hac averfa celebrari Claudii et si senioris vigor juvenilis, quo velut alter Hercules ingruentia in imperium monstra debellavit, perinde ac de Charonte Maro: b)

Iam senior, sed cruda deo, viridisque senectus.

Qui ingeniosas in numis adulationes optat, habet in hoc numo Iuventatem,

a) Cap. 9.

b) Aen, VI, 304.

Graecis Heben, cum Hercule matrimonio junctam, ut docet mythologia.

Vt lit. A.

NEPTVNO. AVG. *Neptunus stans d. delphinum, f. tridentem.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hoc numo Claudius Neptuno acceptam refert cladem, quam barbarorum classis in Propontide passa est navibus aquarum moli in his angustiis coartatae resistere non valentibus et violente collisis, ut refert Zosimus. Eadem de causa in numis Claudii Alexandrinis hujus anni Neptunus comparet.

Vt lit. A.

REGI. ARTIS. *Vulcanus stans d. malleum, f. forcipem.* AE. III. (Mus. Caes. Spanheim Caes. Iul. p. 96.)

Habemus numos Valeriani et Gallieni inscriptos DEO. VOLKANO cum simili Vulcani stantis typo, quanquam non alienum videtur, hunc *regem artis* esse eundem cum *deo Cabiro* in superiore numo memorato, qui, ut vidimus, Claudio beneficus est creditus, quique *rex artis* perinde dici potuit, ut ejus numi typus, et doctrina de Cabiris persuadent. Quidquid erit, certe Plutarchus apposite ad hunc numum Vulcanum appellat *ἀρχηγόν των τεχνων, ducem artium*,^{a)} et aliquoties Homerus *κλυτοτεχνην, arte celebrem*.^{b)} Propius Nonnus Panopolites,^{c)} qui Vulcanum *κοιρανόν τεχνης* vocat, id est: *regem ar-*

tis, quo modo Himerius sophista Hermodem procol. Graeciae *εασιδεα της τεχνης*, nempe ejus, quam exercent Musae.^{d)} Quod inter deos mares fuit Vulcanus, illud inter alterius sexus deos habita Minerva, mille operum inventrix, ac propterea epitheto *Εργανης, ornata*, atque ob eandem causam sociata cum Vulcano in eximia urna operis anaglyphi, quam vulgavit Gorius.^{e)} Vide et numum Antonini Pii pag. 34. hujus voluminis. Si risum appetis, lege modum, quo Harduino numi hujus epigraphen et imaginem explicare placuit.^{f)}

Vt lit. A.

SALVS. AVG. *Hygia stans.* In aliis: *Aesculapius.* In aliis: *Apollo d. ramum, f. tyram.* In aliis: *Isis stans d. sistrum, f. situlam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Non injucunda varietas deorum, quos salutis suae sponsores sibi Claudius delegit.

Vt lit. A.

SOL. AVG. *Sol stans d. elata, f. flagellum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed scriptum: SOLVS. AVG. (Pellerin Supplem. II. p. 99.)

Haec aversa epigrapha in solis Claudii numis habetur. Pellerinius scriptum in numo suo SOLVS. AVG. non sine certa ratione conjicit; innui nempe, Claudium *solum* exclusis Tetrico et Zenobia imperii principem agnoscendum. Acute!

a) Comparat. aquae et ign. T. II. p. 958.

b) Il. A. v. 571.

c) Dionys. L. XXX. v. 66.

d) Orat. XIV. § 6.

e) Inscr. T. III. tab. XXX.

f) Mem. Trev. April. 1707. Iobert.

T. II. p. 34.

(Vol. VII.)

Verum cum reliqua omnia cum numo praecedente conspirent, dubium non est, vocabulum SOLVS augere catalogum mendorum. quae negligentes monetarii perlaepe intrufere.

Vt lit. B.

VENVS. AVG. *Dea flans d. globum, f. hastam, clypeum humi attinet.* AE. III. (Band.)

Idem de hac averfa sentiendum, quod supra de numo IVNO. REGINA diximus.

Vt lit. A. et B.

VICTOR. GERMAN. *vel: VICTORIA. GERMANICA. Tropaeum inter duos captivos.* AE. III. (Muf. Caef.)

Vt lit. A.

VICTORIA. G. M. *Victoria flans inter duos captivos humi sedentes d. clypeum, f. palmam.* AE. III. (Muf. Caef.)

Hanc *victoriam Germanicam maximam* difsimulatam Trebellio, etfi in Claudio abundanti, testatam reliquit Victor in Epitome. *Exftincto*, ait, *a fuis Aureolo receptis legionibus adverfum aciem Alamanorum haud procul a lacu Benaco dimicans tantam multitudinem fudit, ut aegre pars dimidia superfuerit.* De collato propterea *Germanici* titulo agetur infra in nominibus.

Vt lit. A.

VICTORIAE. GOTHIC. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AE. III. (Muf. Caef.)

En praecipuum Claudii decus a fcriptoribus omnibus, ac praecipue Trebellio copiofe celebratum, *Victoriam Gothi-*

cam. Adpellatum propterea *Gothicum*, dicitur infra in nominibus.

Divus Claudius.

Tot exstant Claudii consecrati numi, quot nullius alterius Augusti. Quo incorrupto post mortem testimonio docemur, veras esse laudes, quibus eum fcriptores omnes exornavere, et sinceram esse orationem, qua ejus vitam finit Trebellius: *illum et senatus et populus ante imperium sic dilexit, ut satis constet, neque Trajanam, neque Antoninos, neque quemquam alium principem sic amatum.* Sed Eumenius rhetor his illi verbis parentavit: *Vtinam diuturnior recreator hominum, quam maturior deorum comes!* ^{a)} Quanquam non solis numis postumi ejus honores steteret; nam statuas aureas, clypeumque ex eodem metallo publice positum tradidere Victor et Trebellius.

DIVO. CLAVDIO, *addito in aliis, sed perraris GOTHICO. Caput radiatum.*

CONSECRATIO *vel* CONSACRATIO. *Aquila, vel Ara ignita, rarius Rogus.* AE. I. III. (Band. Muf. Caef.)

DIVO. CLAVD. OPT. IMP. *Caput laureatum,* et velatum.*

MEMORIAE. AETERNAE. *Aquila.* AE. III. (Muf. Caef.) In alio: *Leo, superne clava.* AE. III. (Band.)

Nova epigraphe in consecrationis numis, quam a nonnullis sequentium imperatorum restitutam videbimus. Novus etiam in his numis typus leo cum clava. Nimirum Claudius Herculea sua vir-

a) Panegy. Constantini c. 2.

tute, qua barbarorum prodigia evertit, *memoriam aeternam* adsecutus.

DIVO. CLAVDIO. OPTIMO.

IMP. *Caput laureatum et velatum.*

REQVIES. OPT. MER. *vel* OPTIMOR. MERIT. *Imperator velatus sedens d. elata, f. sceptrum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Haec item averfa novae formae, sed quam Maximianus, et Constantius Chlorus refuscitabunt.

DIVO. CLAVDIO. *Caput radiatum.*

AEQVITAS. AVG. — APOLLINI. CONS.—LAETITIA. AVG.—LIBERT. AVG. — PAX. AVG.—PIETAS. AVG. — PROVIDENT. AVG. *cum suis typis.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Animadversio

in numos Romanos argenteos inde a Claudio signatos.

Placet huc referre iudicium Baldinii, quod legere est in ejus Vaillantio Romae restituto: a) *In Claudio Gothico, ait, desinunt numi argentei Augustorum. Quos enim numographi in catalogo argenteorum recensent, sunt ex aere puro superinducta tenui pellicula stanni, unde candor et splendor conciliaretur. Frustra itaque quaeras a Claudio usque ad Diocletianum numos ex argento quantumvis impuro, quales Gallienus, Postumus, et modo usque recensiti imperatores cuderunt. Diocletianus purum postea argentum revocavit, ita tamen, ut cudendi etiam in aere pelliculato monetariis facultatem, quae tamen sub Constantino penitus sublata est, non abstulerit.*

Etiam Bimarodus ab hoc tempore argentum usque ad Diocletianum plane deficere contendit. b) Haec regula ut generatim valere potest, tamen exceptione non caret. Nam vidi in variis museis, neque defunt in Caesareo, numos Aureliani, Probi, aliorumque, eosque vere antiquos, qui argenti probitate praecedentium proxime Augustorum numos etiam superant, quanquam verum sit, horum numerum esse perexiguum. Sed hoc jam argumentum tractavi fufius Vol. I. in Proleg. gen. p. XXVII.

Numi commatis peregrini.

Hujus classis numi fere eidem cum Claudio tumulo sunt illati; nam deinceps numum in Graecia, si Alexandinos demas, aut colonia signatum vix reperias. Facile etiam Claudii id genus numeros numeraveris. Praeter Cyzicenum a Vaillantio oblatum reliqui omnes sunt urbium Pisidiae, nempe coloniae Antiochiae, cujus numi editi sunt ex museo Caesareo, et a Pellerinio, et urbium liberarum Sagalasi et Seleuciae. Cur una haec regio cessantibus fere penitus aliis in vetere suo instituto permanserit, vix adsequare. Forte istud factum grati animi causa; nam a Claudio domitos Isauros, qui finitimos, inter quos fuere et Pisidiae, incursionibus vexabant, refert Trebellius. c)

Priorum defectum farciunt numi Alexandrini, quorum ingens superest copia cum annis A. B. G. Valuit annus A a Martio usque ad exeuntem Augustum

a) Tom. III, p. 24.

b) ad Iobert. T. II. p. 404.

c) in Trebelliano tyr.

V. C. 1021, exinde B usque ad idem tempus anni 1022, quo coepit annus Γ, atque hoc labente mortuus est anno Iuliano 1023. Norisius cum videret legem a Claudio subscriptam ex ante diem VIII. Kal. Novembres postremi hujus anni, arguit contra Petavium aliosque, Claudium exeunte Octobri ejus anni adhuc vixisse. ^{a)} Verum praeterquam quod exigua harum subscriptionum est fides, mirum videretur, in tanta numorum Alexandrinorum copia cum Claudii capite percussorum nullum certum reperiri cum anno Δ, cujus solidos duos menses, nempe a fine Augusti usque ad finem Octobris vivendo exegisset. Refert quidem numum cum hoc anno Bandurius, ^{b)} tum et Arigonius, ^{c)} at constat, saepe falsi oculos in iudicio elementorum A et Δ. Istud certe de numo suo non diffitetur Bandurius. ^{d)} Quam vero incerta sit fides ectyporum Arigonii, omnes novimus. Qam absurda dictaverit Mazzolenus, quod utrique numo fidem habuit, in Aureliano persequemur. Pridem haec scripseram, cum serius vidi a cl. Zoega produci unum cum L. Δ., alterum cum L. E., verum cum neutrum is ipse viderit, sed ex aliorum fide recitet, possumus aequae jactatam lectionem in dubium vocare.

Nomina ac tituli.

Flavius. Istud nomen Claudio tribuit Trebellius, ^{e)} et Vopiscus. ^{f)} Adde magnor, quod Gruterus ex Panvinio hausit, ^{g)} sed quod jam pridem suspectum

visum est Trifano, ^{h)} ut generatim marmoribus Panvinianis perparum fidei impertimur. Ex his testimoniis, qualiacumque ea sint, conjiciunt plerique, ab hoc Constantium, qui Claudii generis proles dicitur Trebellio, Flavii appellationem traxisse, de quo vide disputantem Salmasium. ⁱ⁾ Quod vero idem ex Panvinio memorat, eum in numis passim dici *Fl. Claudium*, istud falsum, nullo mihi cognito ejus numo sic inscripto.

Valerius. Etiam sic obiter nominatur a Trebellio, et solo. ^{k)} Et constat, Valerii quoque nomen fuisse eidem Constantio, de quo vide plura apud eundem Salmasium. ^{l)}

Germanicus. A Claudio victos Germanos supra ex numis VICTOR. GERMAN., et laudato ejus occasione Victore vidimus. Tamen dubium videtur, utrum Germanici titulum ex hac victoria abstulerit. Eum dissimulant marmorae Claudii omnia. Numum cum hoc elogio obtulit Trifanus addito nimirum in antica GER. GOTHICVS; ^{m)} istud tamen mirum, nomen GER. omitti in addito iconismo, et tantum comparere in numi descriptione. Ergo aut erravit chalcographus, aut auctor. Etiam Medobarbus aliquos cum hoc *Germanici* honore commemorat, sed cujus pleraque suspecta putanda.

Gothicus. Hujus nominis causa cognita, illudque adstruunt ejus consecrati numi. Singularis est inscriptio super arcu triumphali, quam refert Reinesius: ⁿ⁾

a) de Vol. decenn. c. 6. b) Tom. I. p. 353. c) in Alexandrin. tab. XXIX. d) in Praefat. e) Cap. 7. f) in Aureliano c. 17. g) Pag. 275. 9. h) Comm. hist. T. III. p. 193. i) in Trebell. 330. k) Cap. 18. l) l. c. m) Tom. III. p. 193. n) Infer. ant. T. I. p. 318.

CENSORINVS.

478

DIVO. CLAVDIO. GOTHICO
 MAXIMO. PIO. FELICI. VICTORI. AC
 TRIVMPH . . SEMPER. AVGVSTO
 MVNICIPI. . . . VATORI
 AMPLIFICATORIQ.
 OB. ILLVSTRIA. IPSIVS. GESTA
 ET. AMOREM. IVXTA. CIVES
 ORDO. INTERAMNATIVM
 ARCVM. TRIVMPHIS. INSI . . .
 DEDICA . .
 M. CLAVD. TACIT . . .
 PATRO . .

Optimus. Habetur in numis consecrationis tantum propter merita exemplo Trajani delatum.

P R E T I V M.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	O.
Aenei max. mod.RRR.
Aenei I. et II. formae	RR.
Aenei III. formae	C.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum et coloniarum	RR.
Alexandrini	C.

CENSORINVS.

Functus muneribus omnibus, et gemino consulatu, et uno pede claudicans ab iis ipsis, qui fecere, interemptus. Vide Trebellium.
 ex vulnere, quod bello Valeriani Persico acceperat, cum in agro suo degeret, factus est imperator, paullo post Latinum dedit Goltzius, Alexandrinum Triffanus, utrumque aut confictum, aut male lectum.

M. AVREL. QVINTILLVS.

Claudii superioris frater, quo defuncto ab exercitu, cui apud Aquileiam praefuit, imperator est adclamatus conlente facili propter virtutis opinio-

nem senatu. Verum cum interea milites, qui Sirmii stetero, Aurelianum imperatorem elegissent, desertus a suis, quibus disciplinae rigor invisus erat, venas sibi ipse exsolvit, propter moderationem et integritatem vitae imperio habitus dignissimus.

Plerique scriptores veteres eum dies decem ac septem praefuisse imperio tradidere; verum cum insignis suppetat ejus numerorum copia, iique typis insigniter variis, quorum opus plus temporis postulat, malle sententiam Zosimi praeferre, saltem paucis mensibus ejus imperium definentis.

• V. C. 1023. P. X. 270.
TR. P. COS. P. M. P. P.
• Antiochiano, Orfito cof.

IMP. QVINTILLVS. AVG.
IMP. C. M. AVR. QVINTIL-
LVS. AVG.

IMP. C. M. AVR. CL. QVIN-
TILLVS. AVG. *Caput in omni-
bus radiatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator pa-
ludatus stans d. hastam, f. globum.* AE.
III. (Harduin.)

Si verus est hic numus uni Harduino-
visus, Quintillum nostrum etiam consu-
larem habemus. Fuit ergo suffectus,
nam ordinarium ignorant fasti.

Numi ejus reliqui aversas obvias ac
pridem cognitatas habent, quas adeo
commemorare inutile.

Numi commatis peregrini

Vna Alexandria Aegypti id genus nu-
mos suppeditat:

A. K. M. ATP. KA. KTINTIA-
ΔOC. CEB. *Caput laureatum.*
L. A. *Aquila.* (Band. Theup.)

PRETIUM.

Aurei

RRRR.

Horum numum certae fidei sibi cognitum testatur Beauvais,^{a)}
eumque citat catalogus musei d' Ennery inscriptum FIDES. MILI-
TVM. Haud ita pridem alium insignem ex nobili hoc metallo, et
sine dubio sincerum museo Caesareo acquisivi: IMP. C. M. AYR.
CL. QVINTILL - - - *Caput radiatum, X FIDES. MILIT. Mu-
lier stans d. et f. signum militare tenet.*

Argentei

O.

Aenei I. et II. formae

O.

Aenei III. formae

C.

Alexandrini

RRR.

a) Hist. abr. T. II. p. 79.

L. DOMITIVS AVRELIANVS.

Obscuro genere Sirmii vel in Dacia Ripensi natus, sed tanto illustrior virtute bellica et disciplina militari omni rigore exacta. Atque tantae laudis opinione adeptus est, ut mortuo Sirmii Claudio praefens ipse imperator ab exercitu appellaretur, Quintillo, qui fratri Claudio etiam senatus suffragiis adjutus successerat, resistere non auso, sed fortioris Aureliani metu vitam cum morte commutante. Incertus est natalis imperii, ut dicetur infra.

V. C. 1023. P. X. 270.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Antiochiano, Orfito cof.

Rebus Romae prospere dispositis in Pannoniam adversus Gothos proficiscitur, iisque redire ad sua coactis altero Alemannorum bello excipitur, quos primum in Vindelicis vincit, at vicem rependerunt acri apud Vincentiam praelio victores. In tanto urbis ipsius periculo Aurelianus resumptis animis barbaros denuo aggressus caesis fere omnibus Umbriam, quorsum jam enisi fuere, ac Italiam omnem terrore liberat. Vide haec accurate collecta apud Tillemontium.

Paucissimi sunt Aureliani numi, qui tribunatus et consulatus inscriptos offerunt, et qui istud praestant, chronologiam magis impediunt, quam adjuvant. Quare ab his per annales digerendis abstinebo, omnesque ejus numos, qui dignum quidpiam offerent, promiscue recitabo.

V. C. 1024. P. X. 271.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.
Aureliano Aug., Ceionio Virio Basso II.
cof.

Hoc anno creditur Aurelianus inchoasse murum, qui hodieque superstes urbis ambitum definit, ipsis jam imperii propugnaculis ad urbis principis defeensionem invalidis. (Tillemont.)

V. C. 1025 P. X. 272.
TR. P. III. COS. P. M. P. P.
Quinto, Voldumiano cof.

Bellum in Zenobiam Orientis reginam movet. Per iter Gothos in Thracia atterit, et Asiam minorem sibi iterum subjicit. Zenobiam victam Palmyrae obsidet.

V. C. 1026. P. X. 273.
TR. P. IV. COS. DES. IV. P. M. P. P.
M. Claudio Tacito, Placidiano cof.

Zenobiam rebus desperatis Palmyra elapsam ex fuga retrahit, urbemque ipsam deditione accipit. Comperto in Thracia, Palmyrenos iterum defecisse, continuo reversus urbem eorum excindit, motis deinde in Aegyptum castris, in qua Firmus tyrannidem arripuit. Eo victo, et mori coacto tranquillitatem restituit. In Occidentem redux Tetricos inde ab anno V. C. 1020 Galliarum tyrannos seu vincit, seu volentes in fidem recipit, magnifico demum acto triumpho, quem Zenobiam Tetricique vinctis

post tergum manibus comitantur. Haec Tillemontius. Verum an facta tanti momenti, ac tanta cum ipso exercitu itinerà unius possunt anni finibus circumscribi? Numi hujus aetatis, malum! ad chronologiam nihil conferunt, reliqua crisis ad meum institutum non pertinet.

V. C. 1027 P. X. 274.

TR. P. V. COS. II. DES. III. P. M.
P. P.

Aureliano Aug., C. Iulio Capitolino cof.

Magnificum Soli templum aedificat. In Moesiã proficiscitur, ibique Daciam novam constituit. (V. infra in numo *Dacia felix*.) In urbe bellum cum monetariis vitiatae pecuniae causa, et postquam id competum, poenae metu seditionis, aucto eorum ad VII. millia numero, quos victos in Caelio monte Aurelianus atrocibus poenis castigat. a)

V. C. 1028. P. X. 275.

TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.
Aureliano Aug. III., T. Nonio Marcelino cof.

Bellum in Persas moliens infidiis Mnesthei liberti apud Coenophrurium Byzantium inter et Perinthum interficitur circiter medio Martio. b)

Vir fuit neque in malis principibus numerandus, quia virtute sua per omnes fere provincias probatã imperium imminente exitio eripuit, neque in bonis propter crudelitatem, qua in viros nobilissimos ac praestantissimos etiã oblata

tenui suspicione animadvertit, sic ut neque sanguini proprio, sororis filio parceret. Magis igitur imperio necessarius, quam amabilis est habitus, atque haec una causa fuit, cur eum caelum graviter ferret orbis, et divorum numero infereret. Memorandum, quod narrat Victor, c) eum primum apud Romanos capiti diadema innexuisse, quod tamen numi ipsi non confirmant, quod de argumento agetur alibi.

Vxor Severina, de qua infra.

Numi:

- A. IMP. AVRELIANVS. AVG. Caput vel laureatum, vel radiatum in AV., laureatum in AE. II., radiatum in AE. III.
- B. IMP. C. L. DOM. AVRELIANVS. AVG. Caput laureatum, vel radiatum in AV., radiatum in AE. III.
- C. IMP. C. AVRELIANVS. AVG. Caput laureatum, vel radiatum in AV., radiatum in AE. III.
- D. IMP. C. L. D. AVRELIANVS. Caput radiatum in AE. III.
- E. IMP. C. DOM. AVRELIANVS. AVG. Caput radiatum in AE. III.
- F. AVRELIANVS. AVG. Caput radiatum in AE. III.
- G. IMP. C. L. DOM. AVRELIANVS. P. F. AVG. Caput laureatum in AV.
- H. IMP. CAE. vel CAES. CL. DOM. AVRELIANVS. AVG. Caput radiatum in AE. III. (Band.)
- I. DEO. ET. DOMINO etc. Vide infra sub RESTITVT. ORBIS.

a) Eutrop. Victor, Vo piscus cap. 38.

b) Tillemont nota XII. in Aurelian,

c) in Epitome

Vt lit. C.

CONS. PRINC. AVG. *Imperator stans dexteram tropaeo adplicat, f. hastam.* AR. (Band.)

Aversae epigraphe insolens, cujus sensum mihi ignotum profiteor, et ab sineo conjecturis. Ejus etiam explicatum nobis invidit praeco Bandurius.

Vt lit. A.

DACIA. FELIX. *Mulier stans d. hastam asini capite praefixam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similem Daciae typum jam in moneta Decii vidimus, unde explicationem pete. Quod ad praefens aevum pertinet, constat ex Eutropio et Vopisco, Aurelianum abjecta spe retineri posse Daciam, Gothicis aucto etiam per clades numero incurfantibus, milites inde incolasque omnis sexus et aetatis abduxisse; hosque cis Danubium locasse distributis inter duas Moesias agris, atque addita huic tractui Daciae appellatione.

Vt lit. B. et A.

GENIVS. ILLVR. *Genius stans d. patenam, f. cornucopiae, juxta signum militariae.* AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Similem quoque aversam in Decii moneta vidimus. Aurelianus in hoc tractu, et ab ejus legionibus primum agnitus imperator, et rebus in eo ex longo gestis insignis hujus typi causam praebuit.

Vt lit. C.

PANNONIAE. *Mulier stans d. extenta, f. signum militare.* (Band. Mus. Caes.)

Ex caulis similibus lecta haec aversa.

Pannoniarum jam meminere numi Aelii Caesaris et Decii. Verum et hac aetate in Pannoniis magna pars potentiae Romanae sita fuit. Non multo post Aureliani imperium dixit Mamertinus ad Maximianum Herculeum: ^{a)} *Quis enim dubitat, quin multis jam saeculis, ex quo vires illius (Pannoniae) ad Romanum nomen accesserint, Italia quidem sit gentium domina gloriae vetustate, sed Pannonia virtute?*

Vt lit. G.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Leo capite radiato in aliis gradiens, in aliis currens fulmen ore gestat.* AV. (Mus. Caes.)

De aversae epigraphe mox infra. Typi explicationem pete ex numo simili Caracallae V. C. 967.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. P. P. COS. *Neptunus dextro pede rupi insistens d. delphinum, f. tridentem.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *Sol stans d. elata, f. globum, pro pedibus captivus sedens.* AV. (Band.)

Vt lit. C.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Mars gradiens d. hastam, f. tropaeum super humero.* AV. (Mus. Caes. Band.) Similem item aureum citat Occo, sed inscriptum: COS. III.

En numos Aureliani omnes usque modo cognitos notis chronologicis insignes, sed quas praestaret prorsus abesse, nam tum chronologiam etsi non juvarent, non turbarent tamen. Sane quo anno tribun. potestatem VI. inivit,

a) Paneg. ad Maximian, c. 2.
(Vol. VII.)

saltem jam fuit COS. III., tribunatum autem VII. in nulla quorumcunque sententia potuit attingere. Nolo cum Bandurio ad eorum lapsum, qui numos descripsere, confugere, cum numum postremum, unumque omnium maxime mendacem prae oculis ipse habeam. Verius sic statuemus, inde a Gallieno omnibus his notis aut nullam, aut paucam exiguam fidem habendam. Ceterum quae ad terminos imperii Aurelianei pertinent, infra tractabuntur.

* * *

DEO. ET. DOMINO. NATO.
AVRELIANO. AVG. *Caput radiatum.*

RESTITVT. ORBIS. *Mulier stans imperatori paludato coronam porrigit.* AE. II. (Spanheim T. II. p. 491. Band.)

DEO. ET. DOMINO. NOSTRO.
AVRELIANO. AVG. *Caput radiatum.*

RESTITVT. ORBIS. *Mulier adstanti imperatori paludato coronam offert.* AE. III. (Mus. Genov. Tab. XXI. n. 11.)

Spanhemius in numum priorem commentatus *) ingeniose animadvertit, Aurelianum in hoc numo dici *deum et dominum NATVM*, ut sese distingueret a Sole, qui est ex numero deorum ἀγεννητων, ingenitorum et aeternorum, quemque mox infra dictum *dominum imperii Romani* videbimus. Quae mihi sententia prae altera Bandurii multo videtur probabilior, existimantis, numum hunc mortuo demum Aureliano fuisse signatum. En insigne argumentum ultimae arrogantiae, quae cadere in mortalem

potest. Iam domini nomen superbius hactenus visum, ac propterea a moneta Romana usque nunc extorre, et illud imperatoribus in salutationibus officiosis, ac sermonibus jam pridem tribueretur, de quo agemus plura in tractatu ad hunc titulum. Nunc vero popalam illud Aurelianus in moneta profitetur, neque eo contentus, orbis dominatum sese invidioso hoc titulo complexum, in coelestia jura temere involat, et vivus adhuc homuncio deum sese monumentis publicis inscribi patitur, quo minus idem deinceps in Caro mirum videbitur, quem utroque serius titulo gloriatum videbimus. Dei et domini titulos Domitiano non modo in operibus figlinis datos vidit Passerius, b) sed a stolido hoc homine appetitos refert Suetonius, c) unde et de eodem Martialis: d) *Edictum domini deique nostri*, sed vivente adhuc; nam idem, quod turpium assentatorum proprium est, ejus defuncti culpavit arrogantiam: e)

*Dicturus dominum deumque (Trajanum)
non sum.*

*Non est hic dominus, sed imperator,
Sed justissimus omnium senator . . .
Hoc sub principe, si sapias, caveto,
Verbis Roma prioribus loquart.*

* * *

AVRELIANVS. AVG. CONS.
*Imperator togatus stans ad aram
d. pateram, f. scipionem.*
SOL. DOM. IMP. ROMANI. *Caput*

a) l. c.

b) Lucern. Tom. I. tab. 74. Tom. III. tab. 26, 38.

c) in Domit. c. 13.

d) L. V. epigr. 8.

e) L. X. epigr. 72.

Solis radiatum, prae quo quatuor ejus equi.
AE. II. (Mus. Caes.)

AVRELIANVS. AVG. CONS.

Idem typus.

SOL. DOMINVS. IMPERI. ROMANI.

Caput Solis nudum absque radiis. AE.
max. mod. (Mus. Pisani) AE. II. (Band.)

Ad eximios hos numos distuli mentionem cultus, quem Aurelianus testibus numis et historicis singularem, et plus omnibus hactenus principibus Soli impendit, quem a matre habuisse hereditarium, ex Callicrate docet Vopiscus referente, fuisse eam sacerdotem ejus astris in eo vico, in quo habitabant parentes. ^{a)} Crevit haec principis in Solem observantia, quando bellum sibi sumpsit adversus Zenobiam gerendum in Oriente, quem Solis arbitrio subesse olim creditum; quare et Solis caput comparet in numis Trajani, quin et M. Antonii IIIviri, qui nempe bellis Orientis distinebantur. Quod quidem Solis in Orientem imperium non primi agnovere Romani, sed jam praecis temporibus ipsi Graeci. Etenim teste Pausania pridem Troezenii aram erexere Ηλιω Ελευθεριω, *Solis Liberatoris*, quod ejus, ut putabant, ope a metu Xerxis et Medorum liberati essent. Ergo et Aurelianus fausto usus ejus bellis exordio Elagabalo Emeseno, qui idem cœm Solis fuit, cuiusque sibi opem per eam expeditionem adfuisse rebatur, vota persolvit, templumque fundavit. ^{b)} Eisdem etiam honores Soli Palmyrae constituit, quae urbs ejus astris numini enixe devota fuit. ^{c)} At praecipuum tanti adfectus argumen-

tum fuit templum immensis sumptibus Romae ejus honori erectum, cujus omnes fere scriptores veteres meminere. Inde factum, ut major numerum Aureliani pars Solis cultum jaetet, et aut solus averfae typum constituat, aut ejus saltem caput in numi area defixum sit. Ejus generis sunt: ORIENS. AVG. *Sol stans*, quorum incredibilis est copia, PACATOR. ORBIS, *Sol stans*. PROVIDEN. DEOR. *Sol, et mulier bina signa militaria gestans stans*. RESTITUTOR. ORIENTIS, *Sol stans*. SOLI. INVICTO. *Sol captivum pede calcans*, de quo titulo egi in numis Emesae Syriae. MARS. INVICTVS, *Sol globum adstanti viro militari tradens*. In numis duobus, in quibus nunc versamur, magis apparent honores in Solem collati, quippe qui eum *dominum imperii Romani* salutant, quod illi decus imperator quoque Iulianus tota ea oratione, quam in regem Solem scripsit, liberaliter detulit, eo usque adulatus serviliter, ut non dubitaret mox in exordio profiteri: και γαρ εἰμι τῆ βασιλευς ὀπαδος Ηλιω, *sum enim regis Solis servus adfectator*. Tanta in Solem hoc aevō obsequia non mirabitur, qui attonitum ad ejus fideris potentiam Plinium, sibi que illud fere unicū numen creditum noverit. ^{d)}

Typus prior propter additas Solis quadrigas illustrior; in altero numo, nisi juvaret inscriptio, Solis caput intelligi non posset.

Vt lit. B.

VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens*. AV.
(Mus. abb. Caccia Cremonae.)

a) in Aurelian, c. 4.

b) Vopiscus.

c) Ibid.

d) H. N. L. II, § 4.

Vt lit. A.

VICTORIA. GERM. *Victoria gradiens.*
AE. III. (Muf. Caef.)

Vt lit. A.

VICTORIA. GOTHIC. *Tropaeum inter
duos captivos.* AE. III. (Tanini.)

Numus alter rarissimus memorat re-
latam de Marcomannis, aliisque Ger-
maniae populis victoriam, -cujus supra
ad annum V. C. 1073 memini. Dictum
ab his victoriis *Germanicum Maximum*,
et *Gothicum Maximum*, in ejus titulis vi-
debimus.

Vt lit. A.

VIRTUS. ILLYRICI. *Mars gradiens,
pro pedibus captivus.* AE. III. (Tanini.)

Divus Aurelianus.

Audita ejus nece continuo ex senten-
tia Taciti tum adhuc privati decreti ho-
nores divini. ^{a)} Sed defunt numi, qui
istud stabilirent. Neque ex marmoribus
plus lucis. Tamen *divus* appellatur in ca-
talogo natalium Caesarum, quem post
Bucherium restituit Marinus. ^{b)}

Numi commatis peregrini.

Numum Graecum Aureliano a Per-
genibus Pamphyliae dedicatum ex sche-
dis Vaillantii recitat Bandurius. ^{c)} Sed
nescio quomodo, odisse plerumque so-
leo jactatas has virorum eruditorum
schedas, seu numos spectes, seu mag-
mora. Proditus item est urbis incertae
alter Graecus, in cujus averfa est ca-

put uxoris Severinae, quem describam
infra in numis hujus Augustae. Sed et
hunc in suspectis habeo.

Alexandrini exstant copiosi cum annis
A — 5, de quibus agetur mox in-
fra.

Nomina ac tituli.

Valerius, Valerianus. Illud Aureliano
tribuit Claudius Aug. in epistola, quam
recitat Vopiscus. ^{d)} Vtrumque eidem
tribuitur in nonnullis fastis, et marmo-
ribus, ut videre est apud Relandum, ^{e)}
et Reinesium. ^{f)} Numis haec non con-
firmantur.

Claudius. Bandurius binos numos lau-
dat inscriptos: IMP. CAE. CL. DOMIT.
etc. ^{g)}

*Germanicus Max. Gothicus Max. Parth.
Max.*, quin et *Arabicus Max. Palmyr.
Max.* nobis offerunt marmora apud Gru-
terum et Muratorium, si modo, prae-
cipue, quae posteriores duos titulos con-
tinent, certae sunt fidei. In numis ho-
rum nullus reperitur. De aliis ejus titu-
lis vide Vopiscum. ^{h)}

De terminis imperii.

Scriptores veteres Aureliano annos
sex, plerique alii quinque cum dimidio
permisere, quorum testimonia collecta
vide apud Tillemontium, ⁱ⁾ et Mazzo-
lenum. ^{k)} Certum est, jam etiam po-
steriorem limitem nimium exspatiari.
Nam cum Aurelianus processerit consul

a) Vopiscus c. 41. b) Frat. arv. p. 387. c) Tom. I. post pag. 544 in Addend.
d) in Aurelian. c. 17. e) Fast. conf. ad ann. P. X. 271. f) Syntag. inscript. T. I. p. 384.
g) Pag. 274. h) Cap. 30. i) Nota III. in Aurel. k) de trib. pot. p. 192.

anno V. C. 1024, factus est Augustus anno praecedente 1023, cumque successor ejus Tacitus processerit consul anno V. C. 1029, factus is est Augustus anno proxime superiore 1028, nimirum ex instituto vetere, quo is, qui imperium suscepit, proximis Kalendis Ianuar. consul semper processit. Ex quo efficitur, imperasse eum annis solidis quatuor, quibus addenda pars anni 1023, quo dictus est Augustus, et pars anni 1028, quo decessit, ex quo tamen anno posteriore eximendi adhuc sunt sex menses interregni ejus mortem consecuti, de quo vide Tacitum successorem, et pars reliqua, quae Tacito Aug. debetur. Videndum jam, quid ad hoc examen conferant numi.

Eos, qui sunt commatis Romani, nihil conferre opis, quin chronologiam turbare potius, jam supra ad numos P. M. TR. P. etc. memoravi. Simile iudicium de marmoribus, quae offerunt Gräterus et Muratorius, in quibus praeter lapsus eorum, qui ea vulgavere, metuas etiam fidem, quod Panviniana pleraque sunt, aut Hispaniensia. Vnicum subsidium a numis Alexandrinis. *Exstant id genus Aureliani numi a L. A. usque L. 5, seu ab anno I. usque ad VI. Certum est, numos inscriptos L. A. fuisse signatos ante exitum Augusti V. C. 1023. Nam esto, eos post hoc tempus esse percussos, ex cognito Alexandrinorum calculo annus 5, seu VI. iaciperet exeunte Augusto V. C. 1028, et quod sequitur, hoc adhuc tempore vixisset Aurelianus. Verum si istud, qua ratione huic adhuc anno inferemus interregnum VI. mensium, quod inter Aureliani mortem, et Taciti electionem in-

tercessisse referunt Vopiscus et uterque Victor? Ergo si verum est horum testimonium, necesse est etiam, annum A pertinere ad tempus diem XXIX. mensis Augusti anni V. C. 1023 praecedens, coepisse tum annum B, ac demum annum 5 initium ducere ab eodem die anni 1027, quo labente, sed anno Iuliano 1028 caesus est Aurelianus. Quare numi Alexandrini cum historicorum testimoniis recte conspirant. Etenim caesus est Aurelianus circiter medio Martio V. C. 1028, quo tempore fluxit Alexandrinorum annus VI., inde interregnum VI. mensium, quo exacto electus Tacitus die XXV. Septembris, ut dicitur, ac tum huius numi Alexandriae signari coepere cum anno A. Ex quo aperte liquet, quod jam in Claudio Gotthico inveni, numos Alexandrinos Claudii cum anno Δ locum habere non posse, ac denique annos VI. imperii, quos variis scriptores Aureliano tribuunt, admitti non posse, nisi, quod ignoramus, Claudius mox ineunte anno V. C. 1023 mortuus statuatur, et ipsum etiam interregnum sex mensium, quod visum nonnullis eruditis, adhuc a scriptoribus sub Aureliani imperio comprehensum est, quanquam vel tum sexennium istud non nisi incompletum intelligendum erit.

At enim descriptum hic ordinem urget difficultas non levis, nempe Severinae, quae certa fuit Aureliani uxor, numi Alexandrini, lique obvii cum anno Z seu VII., ex quo sequeretur, quoniam annus Z duci non potuit, nisi ab exeunte Augusto anni V. C. 1028, neque Augustarum numi nisi vivo marito feriri consuevere, Aurelianum saltem usque ad dictum Augusti diem fuisse su-

perfitem. Non inficior objecti nodi molestiam, neque eum declino, sed cum res ipsa postulet, reperiendum est aliquid, quod ejus ambages resolvat. Animadvertendum cum primis, nullum omnino hactenus cognitum esse Aureliani numum cum anno Z. An vero credibile, si die XXIX. Augusti ejus anni imperavit adhuc, aut nullos deinceps numos cum ejus capite fuisse percussos, aut horum nullum ad nos pervenisse, cum tamen tot cum uxoris capite supersint, et aetatem tulerint? Ipse hic ejus numorum defectus, qui tamen superesse deberent, cum obvis sint uxoris numi, satis nos admonet, Aurelianum dictum terminum non attigisse, et adfertur ab historicis interregnum stabilit potius. At, inquires, num cufos putabimus numos uxoris nomine mortuo etiam marito? Ajo, neque istud nullo exemplo. Liviae Augusti, et Dómnæ Severi habemus numos mortuis maritis per provincias signatos. At harum superfites fuere filii imperantes. Esto: nihil enim plus istud probat, quam fuisse rationem dedicandae utrique etiam post maritorum mortem monetæ. Ergo, etsi non eadem, tamen esse aliqua ratio potuit, propter quam placuerit, Severinae monetam etiam post Aureliani excessum continuare, qualis esse poterat vel adfectus in defunctum, vel quoniam haec una tum superfuit Augusto nomine insignita, et quod consequitur, nemo tunc alius fuit praesto, cujus nomine Alexandriae pecunia in usus quotidianos cudenda insigniretur. Adverto praeterea, nullum adhuc proditum Severinae numum Ale-

xandrinum praeterquam cum annis s et Z, id est VI. et VII., si Arigonii numos demas cum annis A, ^{a)} et B, ^{b)} sed cujus iconismis jure diffidimus. Quod suspicari facit, Severinae nonnisi caeso marito numos Alexandriae dedicari coeptos, idque factum necessario, nullo tum alio vivente, ut dixi.

Haec doctrina ut violenta non est, ita et statutum ab historicis interregnum plurimum adjuvat. Aliorsum ab it Mazolenus, qui ductus auctoritate numorum Latinorum, qui trib. potestatem VII. inscribunt, et Alexandrinorum Severinae cum anno Z, statuit, Aurelianum dictum fuisse Augustum circa initium Decembris V. C. 1023, mox proximo IV. idus iterasse trib. potestatem, ac demum eodem die anni 1028 inivisse tribunatum VII., et secundum eandem legem explicandos etiam Alexandrinos Severinae, quoniam anni his inscripti ex ejus sententia non ab exeunte Augusto deducuntur, sed tribunatum numerum sequuntur. At cum adversari sibi videat Vopiscum adferentem, Tacitum jam VII. Kal. Octobr. anni V. C. 1028 electum imperatorem, atque iterum Vopiscum et utrumque Victorem auctores anarchiae VI. vel VII. mensium, ab his se molestiis continuo liberat inficiando omnium horum testimoniorum veritatem. ^{c)} Necessè non puto, hanc ejus sententiam, cui vix eruditorum quispiam facile subscribet, multis refutare. Ajo tantum, in hac ejus doctrina non potuisse signari numos Aureliani cum anno A, quorum tamen complures in museis exstant, non ante diem IV. idus

a) Num. Alex. tab. XXIX.

b) Numi alii Alex. tab. IX.

c) de trib. pot. p. 193. seq.

Decembres, quia nuncius Aureliani ad imperium adnotatum nondum pervenire in Aegyptum potuit, cum nonnisi initio Decembris adclamatum Augustum ipse statuatur, item quia hoc ipso tempore in Aegypto numi cum anno Δ.

Claudii signabantur, ut ipse Mazzolenus alibi disertè docet. ^{a)} Non post, quoniam tum jam coepit currere annus B. De reliquis ejus sententiae adversantibus arbitretur lector.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RRRR.
Aenei I. formae	RRR.
Aenei II. formae	R.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	Co

VLPIA SEVERINA.

Certa Aureliani uxor cum ex numis, tum marmore Muratorii: ^{b)}

VLPIAE. SEVERINAE. AVG. COIV
GI

D. N. INVICT. AVRELIANI. AVG.

De ea vix quidquam compertum. Superflitem fuisse marito, docent numi Alexandrini.

Filiam natam Aureliano tradit Vopiscus, cujus posterì sua adhuc aetate Romae fuere. ^{c)}

Numi:

SEVERINA. AVG. in aliis: SEVERINAE. AVG. Caput super lucerna bicorni, sed quae abest in aeneis minimi voluminis.

CONCORDIAE. MILITVM. *Mulier stans d. et s. signum militare tenet.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

IMP. AVRELIANVS. AVG. Caput radiatum. AE. I. (Mus. Caes.)

Hic numus Severinam certam Aureliani uxorem facit. Numi reliqui obvios Augustarum typos offerunt.

Numi commatis peregrini.

ΘΕΑ. CEOTHPINA. CEBAÇ. Caput velatum.

ΑΥΤΟΚ. ΑΥΡΗΑΙΑΝΟC. CEBAÇ. Caput laureatum. AE. (Pembrock P. III, tab. 45.)

Numum hunc proponere placuit, quod hac aetate rarissimi sunt numi

a) de trib. pot. p. 190.

b) Pag. 1994, 3.

c) in Aureliano c. 42.

Graece inscripti demptis Alexandrinis, quos continuo indicabimus. Potest tamen de hujus numi fide dubitari. Nam doceret, Severinam, quia in hoc numo consecrata dicitur, ante Aurelianum fuisse mortuam, cum tamen numi Alexandrini contrarium doceant.

ΟΥΑΠ. ΣΕΟΥΗΡΙΝΑ. ΣΕΒ. *Ejus caput.*

L. S. vel Z variis typis. AE. II. III.

Ex his numis Severinae gentem *Vlpianam* tenemus, ex quo suspicio, fuisse eam filiam Vlpiani Criniti, qui Aurelianum adoptavit, qua de adoptione copiose agit Vopiscus. De annis VI. et VII, quos hi numi sistunt, vide, quae in Aureliani moneta adverti, quo loco monui etiam, non haberi certos Severinae numos cum annis aliis.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aesei I.	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei II.	-	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III.	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	R.

PRINCIPES PALMYRAE.

Gallieno imperante vidit Oriens princeps, qui non aliorum ejus aetatis more per scelus imperium invadere, sed primum Roma ipsa approbante, mox etiam connivente Augusti titulum jure tenuere. Eorum sedes Palmyrae fuit regionis cognominis urbe principe versus Euphratem sitae. Magnam eorum fuisse potentiam, argumento est, quod Persiam ipsam terrore complevere, ac deinde cum Romanis ipsis congressi non nisi aegre victi sunt. Eorum vero opes domesticas ac magnificentiam colligimus ex Vopisco, reportatam victa Zenobia avitam praedam copiose describente, a)

tum ex substructionum Palmyrenarum hodieque superstitum stupendis reliquiis, quas delineatas vide ab eruditis Anglis Dawkins et Wood ante annos circiter L. huc profectis.

Eorum res gestas describere ex veteribus Zosimus, b) Trebellus, c) Vopiscus, d) Zonaras, e) minoresque alii, sed sueto hujus aevi scriptoribus dissensu, quo factum, ut multum negotii facerent eruditis, cum eorum testimonia cum numis horum principum contenderent. Vt remotiores Trifanum, Spanhemium, Harduinum, Bandurium, Vaillantium, f) Santinellum g) taceam,

a) in Aureliano. b) L. I. c) in Gallienis, Tyrannis, Claudio. d) in Aureliano. e) in Annalib. f) Mem. B. L. T. II. p. 534. g) Raccolta di Calogerà T. IX. p. 95.

qui eos primi examini subjecere, ante annos non multos trium insignium virorum lucubrationes ad hos explicandos numos uno fere tempore editas vidimus, I. Erasmi Froelichii *de familia Vabalathi numis illustrata opusculum*, quod in illustris ejus viri schedis repertum quatuor post annis, ex quo is diem obiit, Khellius typis vulgandum curavit Vindobonae 1762. II. Eduardi Corsinii *epistolam de Herminae Vabalathi numis, imperio, atque aetate, Liburni 1761*. III. Pellerinii *Reges Palmyrae*, in opere: *Recueil des médailles de Rois pag. 157* edito Parisiis 1762. Horum commentarii non modo in pretio habendi propterea, quod remoto a partium studiis animo scripti sunt, nam eorum nemini de alterius conatibus constabat, sed etiam quod nos abunde instruunt, quoniam ad illustrandam hanc monetam omnem contentionem attulere, et tamen plerumque confugere ad conjecturas coacti sunt, de illustrando amplius hoc argumento desperandum nobis esse, nisi dies olim certioribus nos praesidiis instruat. Quare satis habeo, horum varias opiniones, additis, ubi necesse duxero, meis observatis, paucis commemorare, neglectis tamen plerumque inanibus sententiis, quas veteres artis nostrae magistri ex iniqua inscriptionum lectione, aut quod Goltzii commenta aliquid esse putabant, attulere, quae qui volet, poterit ex laudata Corsinii epistola capere.

ODENATHVS.^{*} Secundum Zosimum illustri Palmyrae loco natus, secundum

Procopium princeps Saracenorum, qui Euphratem adcolebant, capto V. C. 1014 P. X. 261 a Persis Valeriano, eorumque rege Sapore toti Orienti infesto, inito cum Balista praefecto praetorio foedere Saporem trans Euphratem fugat, eum continuo transgressus Ctesiphontem ipsam capit, imperiumque in Oriente Sapore multis cladibus attrito restituit. Gallienus acto Romae de Persis aliena virtute domitis triumpho, ut hominem de se tam praeclare meritum digno praemio adficeret, participato imperio Augustum appellat. Paucis post annis a Maeonio consobрино e medio tollitur V. C. 1019 P. X. 266, vel sequente, ut colligitur ex numis Vaballathi.

Ad hunc Odenathum verisimiliter pertinet marmor repertum Palmyrae, et post alios editum a Renaudotio: ^{a)} ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΟΥ ΤΑΦΕΩΝΟΣ ΕΚΤΙ-
CEN. ΕΞ. ΙΔΙΩΝ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΥ. ΟΔΑΙ-
ΝΑΘΟΥ Ο. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΥ. ΣΤΥ-
ΚΑΗΤΙΚΟΥ Ο. ΑΙΡΑΝΟΥ ΤΟΥ ΟΥΑ-
ΒΑΛΛΑΘΟΥ. Hoc monumentum sepulcrale fecit de sua pecunia Odaenathus vir clarissimus ex ordine senatorio Aeranis filius, Vaballathi nepos. Illustre hoc marmor complura egregie docet, ac I. quidem, orthographiam nominis ΟΔΑΙΝΑΘΟΥ, pro quo Eutropius *Οδαθαρος*, Zosimus *Οδαναρος*, Procopius *Οδοναρης*, ^{b)} Trebellius *Odenatus*. Item ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ conspirantibus cum hac scriptura numis Graecis, cum tamen aliam teneant Latini, ut videbimus. II. Additum nomen Romanum *Septimii*, ex quo mirum videri non debet, uxorem quoque Zeno-

a) Mem. B. L. T. II. p. 530.
(Vol. VII.)

b) Bell. Pers. I. II. c. 5.

biam dictam fuisse Septimiam, ut docent numi, de cuius nominis causa conjecturas admodum leves contulerunt antiquarii. Enimvero praeclare ex marmoribus probat Renaudotius, Septimii nomen apud Palmyrenos multum valuisse. III. Odenathi quoque patrem Aeranem, avum Vaballathum prodit. Ex avi deinde nomine filius quoque dictus Vaballathus, cuius copiosos habemus numos.

SEPTIMIA ZENOBIA, Odenathi uxor altera, a Cleopatra, quin et Didone et Semiramide ducere genus credita, *) ingenii spiritus, ac consilii supra feminam, literarum etiam studiis impense dedita, praeceptore usa Longino, cuius insignem *περιύψους* commentarium tanto magis miramur, quod tantum ingenium inculta haec aetas tulit. Caeso marito filiorum nomine administravit imperium, et Gallieni stupore in rem suam usa majoribus se copiis instruxit, et attentavit provincias imperii Romani ne marito quidem a Gallieno concessas, connivente ad haec ipso Claudio, propioribus per Occidentem curis occupato. Si Zosimo fides, hoc imperante invasit Aegyptum, variaque usa fortuna eam sibi denique adseruit. Sed orationis fidem elevant numi; nam Claudium ab Alexandrinis constanter fuisse agnitum imperatorem horum numi toto eius imperii tempore, ac incredibili quidem numero signati testantur. Neque magis verisimile, quod idem refert, eam sub Aureliano regni sui fines per Asiam minorem in Galatiam usque

prolatasse. Tamen primo eius imperantis anno Aegyptum a Palmyrenis quadam imperii cum Aureliano communione fuisse possessam, ex Vaballathi numis patebit. Verum Aurelianus rebus in Occidente compositis bellum mulieri successibus elatae indicit, contractisque in Orientem imperii viribus aliquoties victricem Palmyrae suae includit, inde desperatis rebus elapsam ex fuga retrahit, aureisque catenis vinctam suum Romae triumphum sequi iubet V. C. 1026 P. X. 273. Vivere tamen ei concessum, egitque deinceps vitam more matronae Romanae liberaliter a victore habita teste Trebellio.

Liberi ab historicis produntur

HERODES, Odenathi ex prior uxore filius, et imperator cum patre appellatus. Propter vitam delicatorem omnibus invisus, agente, ut fertur Zenobia, quae inique ferebat, filios suos privigno postponi, una cum patre interimjtur. b) Laudatus supra Renaudotius aliud marmor Palmyrenum recitat, ex quo habemus *ΚΕΙΤΙΜΙΟΝ ΟΥΡΩΔΗΝ*.

HERENNIANVS et TIMOLAVS Zenobiae filii. Eorum nomine mater remp. obtinuit, purpuratosque imperatoris habitu incedere iussit. Quis fuerit eorum exitus, ignoravi ipse, qui utriusque historiam scripsit, Trebellius, et, quod prodigio simile, idem synchronus.

Diversum a Trebellio refert Vopiscus, a quo Zenobiae filius proditur

VABALATHVS, sed quem is *Balbatum* vocat, aut, ut habet codex Pala-

a) Trebell. in Zenob. et Herenniano.

b) Trebell. in Herode et Maeonio.

tinus, *Babalatum* teste Salmafio: a) de quo ille sic: *Hoc [quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai et Herenniani imperium tenuisse.]* b) Vopiscus suffragantur numi veri, qui hos ignorant, illum agnoscunt.

Commemoratis historicorum testimoniis ad numos ipsos transeamus.

Numi Odenathi.

Ejus numi uni Goltzio cogniti, quibus si quis volet habere fidem, adeat fontem. Teste Trebellio c) Gallienus Odenathi monetam, qua Persas captos traheret, cudi iussit, sed cujus generis numus sese adhuc nemini, et ne ipsi quidem Goltzio obtulit.

Numi:

Herodis, Herenniani, Timolai, Maeonii.

Singulorum monetam reperit Goltzius, eamque recoxere Occo, Medobarbus, Bandurius. Maeonii tamen numum recitat quoque auctor musei Pembrock: d)

IMP. C. MAEONIVS. *Caput radiatum.*

VENVS, *Dea seminuda stans d. - - f. hastam.* AE.

Sed quem equidem numum non multum praestare Goltzianis existimo.

Quin et Timolai numum nuper vulgatum reperio:

Protome regis capite tiara tecto, pone A.

ΒΑΣΙΛΕΥ - ΜΙΓΑΛ° - ΤΙΜΗΛΑ° - *Victoria in citis bigis, infra quas H.* AE. III.

Eum ex locuplete museo Hunteri dedit cl. Pinkertonus, et Timolao Zenobiae filio tribuit. e) Ad explorandam cimelii tam rari, atque insolentis fidem omnes artis nostrae machinae sunt adhibendae. Atque utinam illud minus in suspiciones pateret. Iam primum mirum videtur capitis tegmen, tiara nempe Armeniacae similis, cum tamen Palmyreni principes omnes cultum in numis Romanum adfectaverint, ut continuo patebit, atque etiam mater Zenobia filios Herennianum et Timolaum habitu imperatorio, ut paullo altius diximus, non regio barbarico apparere voluerit. Ex qua ipsa causa non facile dabimus, Timolaum dici *βασιλεύς*, quando Vabalathus et Zenobia sese in moneta dixerunt Augustos. Deinde an ferendum, rectum ΒΑΣΙΛΕΥS conjungi cum obliquo ΜΕΓΑΛΟΥ? Non magnopere nitor testimoniis scriptorum veterum, qui eum constanter *Timolaum*, non *Timelaum* appellant, quia exiguam ab adcuracione laudem sunt promeriti. Tamen quia vocabulum illud manifeste ex *τιμη* et *λαος* componitur, *τιμη* autem in compositione semper *η* in *ο* convertit, ut *Τιμοθεος*, *Τιμοκρατης* etc., necessario etiam scribendum *Τιμολαος*. Denique et literarum forma suspectum copiose numum facit. Signa formatum ut Σ pro C non modo

a) in Vopiscum p. 380. tab. 28.

b) in Aureliano c. 38. c) Essay on medals Vol. I. p. 361.

e) in Gallieno c. 12.

d) P. III.

in numis hujus aetatis, sed etiam quibuscunque monumentis aliis mihi incompertum, hac jam pridem antiquata forma. O in eadem scriptura aliis literis contractius non nisi optimae Graecorum aetati, ac nonnisi illi, quae Alexandro M. utrinque vicina fuit, convenit. Novi, in quibusdam Parthorum numis I pro E valuisse, at cur in hoc uno eodemque numo I et E variant? Viderint eruditi Britanni, utrum tot actantae objecta dubia amoveri, aut excusari commode possint, aut si numus vere est antiquus, an non sit vetustioris cujuspiam Timelai, nobisque incogniti; nam omnes numi hujus peristases remotius mihi haud dubie aevum videntur postulare.

Numi Vabalathi.

- A. VABALATHVS. VCRIMDR. *Caput laureatum.*
 IMP. C. AVRELIANVS. AVG. *Caput radiatum, infra: B. F. Δ. E. S. Z. H. AR. III. admixto aere. AE. III. (Mus. Caef. Band.)*
- B. IMP. C. VABALATHVS. AVG. *Caput radiatum.*
 AEQVITAS. AVG. — IOVI. STATO. RI. — VICTORIA. — VIRTVS. AVG. *cum suis typis. AE. III. (Band. Pellerin.) Insignis alius: AETERNITAS. AVG. Sol stans d. elata, f. globum, in area astrum. AR. III. mixto aere. (Mus. print. de Waldeck.)*
- C. ATT. CPΩIAC. OTABAAAΘOC. AΘHNOT. *Caput laureatum et diadematum puerile, juxta: L. Δ, vel:*

D. A. CPIAC. OTABAAAΘOC. AΘHNT. *Caput laureatum et diadematum puerile, juxta L. Δ.*
 ATT. K. A. Δ. ATPHAIANOC. CEB. *Caput laureatum, juxta L. A. AE. II. (Pellerin, Mus. Caef.) Similis musei Borgiani fertur argenteus. (Zoega.)*

E. *Eadem adversa, juxta L. E.*
Eadem averfa, juxta L. B.

F. *Eadem adversa, juxta L. E.*
Eadem averfa, juxta L. Γ. (Banduri p. 397) Numi hujus epigraphe valde suspecta; aut enim pro E reponendum s, aut pro Γ ponendum B.

G. *Eadem adversa, juxta L. s.*
Eadem averfa, juxta L. Γ. (Vaill. Mem. B. L. T. II. p. 539.)

H. *Eadem adversa, juxta L. Z.*
Eadem averfa, juxta L. Δ. (Vaill. l. c. p. 540.)

I. ATT. K. OTABAAAΘOC. A. ΘHNO. CEB. *Caput laureatum barbatum.*

L. E. *Caput Solis, vel: Mulier stans d. coronam offert, f. duplex cornucopiae. AE. II. (Pellerin.) Sunt RRRR.*

Numi Athenodori.

- K. ATPHAIANOC. AΘHNOΔΩ POC. *Capita adversa laureata, Aureliani barbata, Athenodori imberbe puerile. (ita Pellerinius; at Froelichio utrumque caput est imberbe, tamen virilis aetatis. Fam. Vabal. p. 40.)*
 L. A. L. Δ. *intra auream. AE. II. (Froelich l. c. p. 28 et 40. Pellerin Rois tab. XVI.) Sunt RRRR.*

Numi Zenobiae.

L. CΕΠΤΙΜΙΑ. ΖΗΝΟΒΙΑ. CEB. *Ejus caput.*

ATT. K. A. Δ. ΑΥΦΑΙΑΝΟC. CEB. *Caput laureatum.* AE. (Mus. Theup.)
Est unicus, modo certae fidei.

M. *Eadem adversa.*

L. Δ. *Providentia stans d. elata, f. cornucopiae.* AR. (Zoega ex mus. d'Ennery.)

N. *Eadem adversa.*

L. E. *variis typis.* AE. III. (Band. Mus. Caes.)

O. *Eadem adversa.*

L. Z. ΠΑΛ. *Palma.*

Numum hunc Harduinus citat ex Sclero Anglo, atque in eum copiose commentatur. a) Si Philippum Stofchium audias, adhaerebit numo nonnulla fraudis suspicio, cum similem sibi conspectum, at manifeste adulterinum testetur apud Froelichium in opusculo laudato pag. 38. Verum illustre hoc cimeterium absolvitur testimonio Vaillantii, qui illud vidit, et repertum ab Anglis inter Palmyrae rudera testatur. b) Numus per epigraphen ΠΑΛ. et typum palmae sese Palmyrae, ubi et repertus, signatum profitetur.

P. CΕΠΤ. ΖΗΝΟΒΙΑ. CEB. *Hujus caput.*

ΑΠΟΛ. Γ - - - *Duo pilei Dioscurorum,* AE. II. (Pembrock. P. III. tab. 29.)

Numus singularis, si modo certae fidei, qua suspicione laborant numi nonnulli musei Pembrockiani, etsi in paucis eximii.

Q. ZENOBIA. AVG. *Ejus caput super lana bicorni.*

PIETAS. AVGG. *Mulier stans adstanti puello dexteram porrigit.* AE. III.

Cum alii Zenobiae numi omnes Graece inscribantur, hunc unum Latinum sponfore Nob. Iacobo Gradenigo Veneto protulit Taninius.

Proposito numerum Orientalis hujus imperii catalogo reliquam materiam in tres articulos tribuimus, quorum I. continebit observata in descriptos hic numos, II. aget de Vabalatho et Athenodoro, III. de horum numerum patria et aetate.

§. I.

Observata in numos hic descriptos.

Numi sub A. In his Vabalathi nomen consequuntur literae VCRIMDR, ut exhibent numi quique integerrimi. Pro his Occo legit VCRIMPP., Goltzius et Harduinus VCRIMPR., alii plerique VCRIMOR. Horum singuli sensum extudere, quem creditae literae verisimilem fecerunt, sed qualiscunque is, et quantumcunque ingeniosus, reprobandus certe semper, quia ex falsa lectione derivatus. Froelichius in laudato opusculo pag. 34 sic eas literas explet: *Vice Caesaris Romani Imperii Destinatus Rector.* At Corfinius in Epistola sua pag. 97, cum non improbabile sibi visum esset, Vabalathum ab Aureliano novae Daciae a se constitutae fuisse rectorem impositum, sic legendum conjicit: *Vir Consularis Romanorum In Mediterranea*

a) Hist. Aug. p. 864.

b) Mem. B. L. T. II p. 524.

Dacia Rector. Parum, ut videtur, prospere. Istud certum, nihil ad hoc tempus idoneum fuisse adlatum, ejusque dubii enodationem relinquendam tempori.

Iidem numi infra protomen Aureliani notas Graecas arithmeticas a B usque H exhibent. Ad eas jam observavit Froelichius pag. 35, pro annis imperii non esse habendas, quia neque Aurelianus, neque Vabalathus annum imperii VIII. inivere. Sunt ergo certae monetariorum notae.

Numi sub B. Observanda in his addita Vabalathi nomini aspirata H sic: VHABALATHVS, quo modo illud non scribitur in numis cum literis VCRIMDR. Ceterum rarissimi sunt numi hoc loco descripti.

Numi sub C. Vetus Bandurii aliorumque passim antiquariorum est error, qui alterum horum numerum vocabulum legerunt EPMIAC. Magis fallit Goltzii APMENIAC. Massonius legendum contendit ATT. EΩIAC, intruso perperam P, sic ut sensus sit: ATT^{οπατωρ} EΩIAC, id est: *imperator Orientis*. Vide de hoc plura in dissertatione anonymi, quae est in Miscell. observationib. crit. Amstelae. Vol. VIII. p. 141. Has ejus viri conjecturas evertit controversi vocabuli vera ac constans lectio CPΩIAC, ut probavit Pellerinius ex numis suis, et quae est in similibus aliis, qui sunt in museo Caesareo. In Pelleriniano uno, tum et binis musei Borgiani apud c. Zoegam est CPIAC suppresso Ω. Censet Pellerinius, quoniam vox Graeca a CP incipere non potest, his literis vo-

cabulum unum non constitui, sed singulas seorsim capiendas, et forte sensum facere analogum literis VCRIMDR numerum Latinorum. Quod tamen vix verisimile, cum Graeca ea vox in numis Graecis praeponatur, Latina in Latinis consequatur. Ad haec si, ut videtur, ea vox est Syriaca, nequaquam ad linguae Graecae naturam exigi debet, eamque artifices Graeci reddidere, ut auditu perceperant.

AΘHNT. vel AΘHNOT. constanter his numis inscriptum. Antiquarii priores plerique *Athenam* quemdam hoc nomine indicari censuere, qui fuisset pater Vabalathi, sic ut epigraphes sensus esset: *Vabalathus Athenae*, id est, *filius*. At Froelichius ^{a)} dividendum vocabulum censet, legendumque: AΘHNoδωps, vel AΘHNOδωps Tioς ex pluribus causis, I. quod AΘHNAΣ, vel AΘHNHΣ, vel AΘHNOΣ, ex quibus genitivus AΘHNOT formari posset, nomen esset nequaquam moris Graeci. II. Ut istud valere posset de voce AΘHNOT, non tamen de voce AΘHNT, quae scribendi ratio cum toties in numis reperjatur, monetarii errori tribui nequit. III. Quod in numis ejusdem tractus et aetatis, quos sub litera K descripti, memoratur AΘHNOΔΩPOC, qui si Vabalathi pater statuatur, de quo ageretur continuo, facilem habebimus hujus epigraphes explicatum, nempe AΘHNOδωps Tioς. Haec Froelichius. Atque eodem modo Pellerinius quoque aenigma istud explicare adlaboravit, etsi Froelichii mentem compertam non haberet.

a) l. c. p. 39.

§. II.

De Vabalatho et Athenodoro.

Froelichius et Pellerinius, cum viderent Vabalathum numis his inscriptum in aliis dici *Vabalathum Athenodorum*, (Lit. L) in aliis *Vabalathum Athenodori F.*, item in aliis ATT. K. CEB., in aliis tantum ATT., rursus in aliis proponi facie puerili, in aliis barbata, in his capite laureato, in illis laureato simul et diademato, suspicari coepere, duos statuendos Vabalathos, inter quos dividendi essent numi Vabalathi nomine inscripti. Conjicit igitur Froelichius, horum unum fuisse *Vabalathum Athenodorum* Odenathi filium Zenobiae privignum, cujus nomine Zenobiam sumpsisse imperium refert Vopiscus, et quem offerunt numi sub L. descripti, et alium hujus filium, quem vocant numi *Herniam*, (potius *Sroiam*) *Vabalathum Athenodori F.* patri in imperio sociatum, quocunque id auctore factum. Patria deo tribuendos numos, in quibus provector aetas indicatur, filio, in quibus puerilis. Cum Froelichio fere consentit Pellerinius. Atque haec pauca ex fusioribus utriusque commentariis excerpisse sufficiat, quin animus mihi sit opponendi, quae multa adversum ea, quibus sententiam suam stabilire nituntur, possent opponi. Mihi sane in his tenebris, quibus hujus aetatis historia scriptorum vitio laborat, quasque repertae hactenus Palmyrenorum principum numi non satis dispellunt, omnis nimium sedula inquisitio temporis et chartae jactura habetur. Eodem loco putanda est

conjectura Corfinii, qui censuerat, fuisse Vabalathum filium Athenae et Zenobiae, quae nempe illo defuncto alteris nuptiis Odenatho adhaeserit. ^{a)} Istud unum ex his certum tenemus, Athenodorum ac Vabalathum Palmyrenos fuisse principes, et ex Odenathi familia.

§. III.

De numorum horum patria et aetate.

Numos hujus generis, qui Graece sunt inscripti, esse Alexandriae, certe in Aegypto percussos, multa docent, et primum quidem fabrica, quae in Alexandrinis nunquam fallit, deinde quod anni imperii adduntur praefixo L more inde ab Augusto in ea regione recepto, denique quod Aureliano imperante nulli jam amplius numi Graeci praeterquam in Aegypto signati sunt. Vabalathi numos Latinos, qui communi Romanum imitantur, verisimile est signatos fuisse Antiochiae, quam stetisse in Zenobiae potestate ex Zosimo discimus.

Eorum aetatem inscripti duplices anni imperii tam Aureliani, quam Vabalathi produnt. Vidimus in his, annum Aureliani A conjungi anno Athenodori et Vabalathi Δ, et annum Aureliani B cum anno Vabalathi Ε, et sic Γ cum δ, et Δ cum Ζ. Dubium non est, etiam annos imperii Vabalathi ad morem Aegyptiorum fuisse exactos, sic ut hi die XXIX. Augusti iterarentur. Ergo quoniam Aureliani annus A, ut suo loco diximus, currebat ante dictum diem anni V. C. 1023 P. X. 270, necesse est, eodem quoque tempore fluxisse Vabalathi annum Δ,

^{a)} l. c. p. 83.

et quod consequitur, ingruente eodem die coepisse annum Aureliani B, et annum cum Vabalathi, tum Zenobiae E. Praeterea quoniam indubitatum videtur, Zenobiam et Vabalathum suos sive regni, sive imperii annos a morte Odenathi mariti patrisque computasse, ejus caedes, illorumquē regnandi initium, seu annus A figendus inde a die XXIX. Augusti V. C. 1019 P. X. 266 usque ad recurrentem eundem diem anni sequentis.

Aliud etiam ad historiam opportunum docent hi numi. Narrat Zosimus, Zenobiam imperante Claudio, et turbis Gothicis dilento hostili animo Aegyptum ingressam, eamque post varias Martis vices sibi subiecisse. Contrarium potius docent numi; nam non modo nulli existant Vabalathi et Zenobiae numi cum annis B et Γ, qui in Claudii impe-

rium caderent, sed etiam, ut jam supra dixi, omnium annorum habemus Claudii numos in Aegypto signatos; ex quo patet, eum ibi constanter imperatorem fuisse agnitum. Quare si vera est Zosimi oratio, dicendum, Zenobiam subjectam sibi Aegyptum principio Claudii nomine administrasse, hoc deinde mortuo plus ausam, atque filium Vabalathum collegae modo cum Aureliano in moneta conjunxisse, sic tamen, ut etiam tum non prohiberet in Aegypto numos cum solo Aureliani capite signare, ut patet ex hujus numis cum annis A. B. Γ. Δ.

En finitam molestem disputationem, quae in enucleandis variis monetae hujus Palmyrenae causis versatur, cuique qualescunque virorum praestantissimorum conatus nondum desideratam lucem attulere.

M. FIRMVS.

Zenobiae amicus ac socius Alexandriam imperante Aureliano invasit quidem, sed ab hoc brevi everfus est, ut refert Vopiscus in ejus tyranni vita, qui et addit, ab eo Augusti nomine percussam fuisse monetam.

Ejus numum, contempto Goltziano,

jam indicavi in Vol. IV. pag. 94. ex museo Pembrockiano.

ATT. M. ΦΙΡΜΙΟC. ΕΤΤC . .

Caput laureatum.

L. A. *Mulier sedens d. spicas, s. cornucopiae.*

Quantam fidem mereatur cimelium istud, meum non est definire.

M. CLAVDIVS TACITVS.

Aureliano circiter medio Martio V. C. 1028 interfecto, cum milites rara moderatione imperatoris deligendi honorem senatui permitterent, atque hic rursus militibus, factum, ut per ami-

cam hanc altercationem, sex mensibus imperium capite careret. Tandem ejus anni die XXV. Septembris electus Tacitus vir consularis, aetatis jam proVectae, et morum integritate eximius,

tum et literarum studiis clarus, quem traxisse genus a Tacito historico refert Vopiscus. Si Gothos victos demas, de quibus agam in numis, propter imperii brevitatem nihil memoria dignum gestit; nam sexto mense post aut morbo, aut factione militum extinctus est vel Tarfi, vel Tyanis Cappadociae circiter mense Aprili V. C. 1029.

V. C. 1028. 1029. P. X. 275. 276.

Aureliano Aug. III. T. Nonio Marcelino cof.

Tacito Aug. II. Aemiliano cof.

IMP. C. M. CL. vel CLA. TACITVS. AVG.

IMP. C. TACITVS. INVICTVS. AVG.

Reliquae capitibus inscriptiones sunt modico discrimine.

Caput laureatum in AV. AE. m. m. et AE. II., in nonnullis protome laureata cum hasta et clypeo, vel sceptro consulari. Caput laureatum in AE. III.

Epigraphe ut supra. Caput laureatum. ADVENTVS. AVG. Imperator eques praecedente Victoria sequentibus militibus AE. m. m. (Band.)

Quis hic adventus? an in urbem? sed in hac fuit, cum imperator est renunciatus, et cum semel egressus est, non amplius rediit. An ad exercitum, aut aliam quampiam urbem? Sed animadvertendum, ut superiore aetate haec epigraphe semper indicavit, Augustum advenisse Romam, ita hanc rationem fuisse immutatam, ex quo pecunia in

provinciis cudi coepit, atque deinceps hac inscriptione saepe intelligendum adventum ejus provinciae vel urbis, in qua signati numi. Vide de his plura in numis Diocletiani sub: FEL. ADVENT.

Epigraphe ut supra. Caput laureatum.

• CONSERVATOR. AVG. Dioscurorum unus stans d. equum retinet, f. hastam. AV. (Mus. olim de France Vindob.)

Vide, quae de hoc typo monebo mox infra sub VICTORIA. PONTICA.

Epigraphe ut supra. Caput laureatum.

P. M. TR. P. CONSVL. Imperator sedens d. globum, f. hastam. AV. (Ibidem.)

Vnicus hic certus est numus cum notis chronologicis. Si non omisi sunt numeri, quod hac aetate frequenter in numis factum, numus est anni V. C. 1028; nam anno sequente processit consul iterum. Testatur B. Bimardus, *) existisse in museo Rothelin numum Taciti inscriptum: IMP. C. M. CL. TACITVS. AVG. COS. III. Cum non constet, Tacitum processisse consulem III., auctior hic consulatus numerus tribuendus haud dubie est imperitiae monetarii, nisi velimus statuere adnumeratos consulatus suffectos.

Epigraphe ut supra. Caput radiatum.

• TRANQVILLITAS. AVG. Mulier stans d. draconem, f. hastam. AE. III. (Mus. Caes.)

Numus ipse Bandurio ignotus, sed e

a) ad Iobert. T. I. p. 203. (Vol. VII.)

jus averſa jam ex numis Philippi ſenioris nota, quorum lectorem remitto.

Epigraphe ut ſupra. Caput radiatum.

VICTORIA. GOTHI. *in aliis.* GOTTHI. *Victoria ſtans.* AE. III. (Muſ. Caef.)

• Scythas ex palude Maeotide profectos diripuiſſe Aſiae provincias, ſed Taciti virtute attritos referunt Zoſimus et Vopifcus. Quos hiſtorici Scythas, numi Gothos appellant.

Epigraphe ut ſupra. Caput radiatum.

VICTORIA. PONTICA. AVG. *Victoria ſtans imperatori paludato adſtanti lauream offerens, in medio aſtrum, in imo* ΚΑΔ. AE. III. (Muſ. princ. de Waldeck.)

• In ſingulari hoc, et quod hactenus norim, numo unico, quemque ipſe vidi, literae VICTORIA. PO manifeſtae ſunt, reliquae minus luculentae, quin tamen dubitari poſſit, eas explendas legendo PONTICA, neque etiam dubitari, hanc *victoriam Ponticam* eandem eſſe cum ea, quae in numis praecedentibus *Gothica* dicitur, cum vicinam Ponto partem inſederint Gothi. Neque alia exiſtimo de cauſa Caſtorum unus in numo ſupra laudato dicitur CONSERVA-

TOR. AVG., quam quod Dioſcuro, in quorum tutela fuiſſe regiones Ponto adſitas in numis urbium Ponti diximus, viſi fuerint Tacito, ſibi in Gothico hoc bello opem tuliſſe.

Epigraphe ut ſupra. Protome laureata cum haſta et aegide.

VOTIS. X. ET. XX. *Victoria ſedens clypeum tenet, cui inſcriptum VOTIS XX.; adſtant imperator paludatus, et miles.* AE. II. (Banduri.)

Audax prolepiſis, dum is, cui nonniſi in vota decennalia jus fuit, vicennalia ipſa praecipit. Verum plus Tacito auſum fuiſſe Probum, alioſque, ſuis locis videbimus.

Numi commatis peregrini.

Rem inſolentem narrat Bimardus, exſiſtere in muſeo Abbatis Rothelinii numum Taciti ſignatum apud Pergam Pamphyliae. *)

Alexandrini habentur non pauci:

A. K. ΚΑ. ΤΑΚΙΤΟC. CEB.

Caput laureatum.

ΕΤΟΥC. A. *typis variis.* AE. II. III. (Zoega, Muſ. Caef.)

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Argentei vilioris metalli	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei max. moduli	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	RR.

a) ad Iobert. T. II. p. 100.

Aurei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	Q.
Aenei II. formae, forte potius tertiae tribuendi	-	-	-	-	-	-	-	R.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	O.

M. AVRELIVS PROBVS.

• Natus Sirmii in Pannonia fortuna mediocri, dato militiae nomine per morum praestantiam, fidem, virtutem militarem, et castrensem rigorem omnium, qui proxime praecessere, principum amorem sibi emeruit. Et erat magnum ejus clarumque toto imperio nomen; nam nulla fere fuit, qua imperium patuit, provincia, in qua non virtutis suae reliquisset impressa vestigia, aut quam non a barbarorum incursionibus vindicasset. V. C. 1029, quo mortuus est Tacitus, ejusque frater Florianus in imperium involavit, ipse Orientis praefectus a suis militibus, qui aegre ferebant, Florianum sponte, ac velut hereditario jure debitam arripuisse purpuram, invitus imperator adclamatur. Orto igitur civili bello ipse non quidem copiis, at utriusque exercitus opinione superior, sublato a propriis militibus apud Tarsum aemulo orbis totius consensu unus agnoscitur Augustus ejus anni mense incerto.

V. C. 1029. P. X. 276.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Tacito Aug. II. Aemiliano cof.

Ex Oriente in Europam revertitur.
Desunt anni hujus numi certi.

V. C. 1030. P. X. 277.

TR. P. II. COS. DES. II. P. M.
Probo Aug., M. Aurelio Paullino cof.

• Francos aliosque barbaros in Galliam transgressos ad quadringenta millia variis praeliis caedit. (Tillemont.)

IMP. C. M. AVR. PROBVS.

AVG. Caput radiatum.

P. M. TR. P. COS. P. P. Imperator paludatus stans inter duo signa militaria, f. hastam. AE. III. (Mus. Caes.)

V. C. 1031. P. X. 278.

TR. P. III. COS. II. DES. III. P. M.
P. P.

Probo Aug. II., Lupo cof.

• Illyricum et Thraciam pacat. (Tillemont.)

IMP. C. PRQBVS. AVG. aut similiter.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. Leo gradens, prae quo caput hovis. In aliis: Figura militaris stans d. globum, f. hastam cum clypeo, pro pedibus captivus sedens. AE. III. (Mus. Caes.)

IMP. C. PROBVS. AVG. COS.

II. Protome radiata d. sceptrum cum aquila.

• CONSERVAT. AVG. Sol stans.

HERCVLI PACIF. *Hercules stans.*
VIRTVS AVG. *Mars gradiens, vel:*
Miles stans d. Victoriolam. Sunt omnes
AE. III. (Mus. Caef.)

V. C. 1032. P. X. 279.

TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P.
Probo Aug. III., Paterno cos.

Isauros praedones, et Blemmyes bar-
baros Aegypto infestos domat. Facta cum
Persis pace Romam proficiscitur, et de
victis hactenus barbaris triumphat.
(Tillemont.)

VIRTVS. PROBI. AVG. *Proto-*
me galeata.

P. M. TRI. P. COS. III. *Imperator in*
quadrigis triumphalibus, vel processu con-
sulari s. sceptrum cum aquila. AV. (Mus.
Caef.)

SOL. COMES. PROBI. AVG.
Capita jugata Solis radiatum, Pro-
bi galeatum.

P. M. TR. P. COS. III. *Sol gradiens, in-*
imo SERD. AE. III. (Tanini.)

IMP. C. M. AVR. PROBVS. P.
F. AVG. *Protome radiata.*

P. M. TRI. P. COS. III. P. P. *Leo gra-*
diens fulmen ore gestat. AE. III. (Mus.
Caef.)

IMP. C. M. AVR. PROBVS.
AVG. CONS. III. *Protome ra-*
diata d. sceptrum cum aquila.

PAX. AVGVSTI. — PROVIDENT. AVG.
SALVS. AVG. — VIRTVS. AVG. *cum*
suis typis. AE. III. (Mus. Caef.)

IMP. C. PROBVS. AVG. CONS.
III. *Idem typus.*

VOTIS. X. ET. XX. FEL. *intra coronam.*
AE. III. (Mus. olim de France Vindob.)

De averfa agetur infra in vagis cum
eadem inscriptione.

V. C. 1033. P. X. 280.

TR. P. V. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.
Messala, Grato cos.

Circum haec tempora Saturninum in
Oriente, Proculum et Bonosum in Gal-
lia rebelles compefcit. (Tillemont.)
Incerti hujus anni numi.

V. C. 1034. P. X. 281.

TR. P. VI. COS. IV. DES. V. P. M.
P. P.

Probo Aug. IV., Tiberiano cos.

Varia per imperium ordinat.

IMP. PROBVS. P. F. AVG. *Pro-*
tome Probi.

PROBVS. P. F. AVG. COS. III. *Quadri-*
ga, in qua stans imperator a Victoria co-
ronatur; currum comitantur tres figurae
cum palmis, alia praecedente, et equos du-
cente. AE. max mod. ex duplici me-
tallo. (Mus. Albani.)

Singularem hunc numum faciunt re-
petita Probi nomina ac tituli. Typus ad
quartum ejus processum consularem ad-
ludit.

IMP. C. PROBVS. AVG. COS.
III., *aut similiter.* *Protome ra-*
diata.

MARTI. PACIF. — SALVS. AVG. *cum*
suis typis. AE. III. (Mus. Caef.)

V. C. 1035. P. X. 282:

TR. P. VII. COS. V. P. M. P. P.
Probo Aug. V. Victorino cos.

Bellum in Perfas meditans a militibus Sirmii occiditur circiter exeunte Augusto. (Vide, quae dicemus infra in Terminis ejus imperii.)

Principis optimi occidendi causae fuisse secundum Vopiscum, quod pacato jam sua virtute orbem terrarum dixisse ferebatur: *brevi milites necessarios non habebimus*, deinde quod nimia pertinacia militem ad siccandas Sirmii paludes, aliaque opera agrestia, quibus procurare fertilitatem patriae optaverat, adiecit. Quare eum Silenus quoque in Caesaribus Iuliani acrius objurgavit, quod in omni vita asperior severiorque nihil hominum gratiae ac voluntati tribueret. Quo uno dempto nihil erat laudum ac praeconiorum, quod non pro merito scriptorum omnium consensu videretur, adeo, ut in hoc uno omnia ea, quae Trajanum, Antonines, Alexandrum Mamaeae immortalitati consecrarunt, collecta crederentur, et imperii Romani gloria post eum nihil amplius posse capere incrementi existimaretur.

Divum appellat Eumenius in panegyrico Constantii cap. XVIII., et divus dicitur in indice natalium Caesarum, fixo ejus natali ad diem XIV. Kal. Sept. quem memorat etiam Kalendarium Dionysii Philocali. Sed desunt ejus consecrati numi.

Numi:

INVICTVS. PROBVS. P. F.
AVG. *Protome laureata f. globum cum Victoriola.*

GLORIA. ORBIS. COS. V. *Sexiga obversa, in qua imperator d. extenta volucrien coronatur a Victoria retro stante, circa currum quatuor pedites elatis palmae ramis, extimos equos ducunt duo milites hastati.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Numum hunc tam argenti probitate, quam pondere, quo drachmas quinque, grana viginti tria aequat, insignem olim Khellius ex museo com. Ariosti, nunc Caesareo pictum stitit. ^{b)} Hujus quoque averlae typus processum consularem quintum haud dubie celebrat, in cujus facti memoriam numi similes, qui cum reliqua Probi moneta nihil habent commune, usitata in his solennibus munificentia in vulgus videntur erogati. Similem maximae formae, sed aeneum ex duplici metallo stitit Buonarrotus ex museo Carpineo.

IMP. C. PROBVS. AVG. CONS.
V. *Protome radiata d. sceptrum consulare.*

SECVRIT. PERP. *Mulier stans dextera capiti admota, f. columnae innixa, in area astrum et I., in imo VIXXI. AE. III.* (Mus. Com. de Vitzai.)

Numi vagi.

Tantus est numerus Probi in aere III. formae numerus, et tanta varietas, ut essent nonnulli, quos haec delectant, qui ejus generis ad duo millia, omnes inter se diversos congesserunt. At enim hac una voluptate dempta totum istud agmen plus taedii illis, qui haec studia obeunt, quam veri emolumentum adfert. Etenim non varietas typorum, sed igno-

a) Subplem, ad Vaill. p. 206.

biles peristases, quales sunt: epigraphæ capitis jam liberalior, jam parcior, capitis cultus, aut literæ per aversam solitariae et inutiles prodigiosum eorum numerum constituunt. Quare ut utilio-

ribus locum faciam, negligam varietates omnes, quae in iis observantur, commemoratis tantum iis, quae facere operae pretium videbuntur.

- A. IMP. PROBVS. AVG. *vel* IMP. C. PROBVS. AVG. *vel* P. F. AVG.
- B. IMP. C. M. AVR. PROBVS. AVG. *vel* P. AVG. *vel* P. F. AVG. *vel* PIVS. AVG.
- C. VIRTVS. PROBI. AVG. — VIRTVS. PROBI. INVICTI. AVG.
- D. IMP. C. M. AVR. PROBVS. P. F. INVICTVS. AVG.
- E. IMP. PROBVS. INV. INVIC. INVICT. AVG.
- F. PERPETVO. IMP. PROBO. AVG.
- G. BONO. IMP. PROBO. INVICT. AVG. (Theupoli.)
- H. BONO. IMP. C. M. AVR. PROBVS. (sic) AVG. (B. L. Tom. XII. hist. p. 272.) Quoniam in hac inscriptione *to* BONO cum PROBVS consistere non potest, abbas Geinoz comminiscitur explicationem, qua perlecta ipsae nauescent inficetiae. Esse monetarii errore scriptum PROBVS pro PROBO, sequens inscriptio evincit.
- I. BONO. IMP. C. PROBO. P. F. INVICT. AVG. (Mus. com. Vitvai.)

Caput laureatum fere tantum est in nonnullis aureis, et in omnibus aeneis II. formae, et in iis, qui volumine, quinarianorum formam obtinent. Radiatum obvium in aeneis III. formae, raro laureatum. At persequens protome laureata, vel radiata, vel galeata, galea saepe lauro vel radiis incincta, saepe manu d. hastam, s. clypeum praefereas, aut pro his sceptram consulare aquila praefixum, aut globum, cui insistit Victoria etc. nonnunquam jugatum, ut videbimus in numis ipsis. In rarissimis musei Albani ejus caput leonis exuviis tegitur, ut olim Commodi et Gallieni.

Vt lit. B. Protome Probi.

ADLOCVTIO. AVG. *Imperator stans in suggestu s. hastam, stante retro figura paludata, duos milites cum signis militari-*

bus adstantes adloquitur. Argentii purissimi. (Mus. Caes.)

Numus eximius non modo spectata argenti probitate, sed etiam fabricae nitore, utroque merito hac aetate raro.

Vt lit. C. Protome Probi.

ADLOCVTIO. AVG. *Imperator eodem modo in suggestu, adstant a dexteris tres milites cum equo et signo militari captivum nudum et barbatum manibus revinctis ad suggestum sistentes; a sinistris duo milites alii cum equo et signis militaribus captivum nudum et imberbem eodem producentes, superne milites alii quinque.* AR. (Band.)

Iudice Bandurio exhibentur in hoc Semno Logionum rex, filiusque, quos victos supplicesque factos in fidem recepit, post dimisit teste Zosimo.

Vt lit. A. Protome Probi.

ADLOCVTIO. MILITVM. *Imperator*

flans in suggestu cum altera figura militari decem milites adloquitur. AE. max. mod. (Band.)

Typus tritus, at epigraphæ nova.

Antica varia.

AETERNITAS. AVG. *Sol flans, in aliis: Lupa gemellos lactans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Solem aeternitatis imaginem jam alias vidimus, at nondum hactenus lupam gemellorum nutricem, a quibus condita ROMA, in tot numis dicta AETERNA, quae deinde Augustis subjecta in Aeternitatem Augustam jus habuit. Idem typus est in numo ORIGINI. AVG., quem vide infra.

Vt lit. B.

CALLIOPE. AVG. *Calliope flans lyra columellæ imposta canit; s. pede hujus basi imposto.* AE. III. (Tanini.)

Numus omnino singularis. Musarum chorum habemus in numis gentis Pompeianae, sed harum nulla nomen suum eloquitur. Lectus fuerit hic Calliopes typus, ut laudes illa Probi virtuti debitas celebraret.

Antica varia.

COMES. AVG. *vel* COMITI. PROBI. AVG. *Pallas, vel Hercules stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Protome Probi.

EXERCITVS. PERS. *Imperator paludatus in suggestu flans adloquitur cohortes; has inter unus commilitonum equum capistro tenens.* AE. max. mod. (Vaill.)

Exercitus hic alius esse nequit, quam qui in Oriente ad observandos Persas stetit, ac propterea *Persicus* dictus est, quenque imperator ad virtutem cohortans in hoc numo fingitur.

Vt lit. A. Protomae jugatae Probi et Orientis (ut visum Bandurio.)

FELICIA. TEMPORA. *Quatuor puelli anni tempora designantes.* Quin. (Band.)

Vt lit. A.

FIDES. MAXIMA. *Mulier flans, et s. inversum gubernaculum tenens globum adstanti imperatori tradit.* AE. max. mod. (Band.)

Epigraphæ insolens, et necdum ex numis cognita. Ceterum Fortuna cum imperium Probo traderet, fidem maximam sese habere in eo repositam ostendit.

Vt lit. B.

HERCVLI. ERYMANTHIO. *Hercules aprum Erymanthium gestans.* AV. (Phil. Venuti duoden. nomism. exposit.)

Aversam similem jam dedimus in moneta Postumi.

Vt lit. A. Caput laureatum.

HERCVLI. ROMANO. AVG. *Hercules flans dexteram tropaeo imponit, s. clavam et exuvias leonis.* AV. (Band.)

Eandem epigraphen jam vidimus in Commodo et Postumo. Herculis elogium, si quis alius, promeritus est Probus, qui non ut Commodus feras in amphitheatris et venatibus, non ut Postumus barbaros in unis Galliis, sed per totum imperium revocata in omnes provincias prostravit: Iure igitur ei in senatu adclamatum: *tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia*, et quae plura alia huc pertinentia commemorat Vopiscus. Quae causa est, cur ejus caput in numo max. formae musei Albani leogis pelle obtegatur.

IMP. C. PROBUS. INVICT, P. F. AVG. *Protomae jugatae Probi et conjugis.*

MONETA. AVG. *Tres Monetae stantes.* AE. max. mod. (Band.)

Aversa haec in Probo non admodum rara. Ei pretium constituit antica ob additum mulieris caput, quod esse ejus uxoris, de cujus nomine non constat, existimat Bandurius. Supra in numo: FELICIA. TEMPORA ab eo caput jugatum pro capite Orientis habitum vidimus. Res admodum incerta.

Antica varia.

ORIGINI. AVG. *Lupa gemellos lactans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nova, aversa, atque ex solis Probi numis cognita. Videtur ea indicari, Probum Romano sanguine fuisse oriundum, quod verum esse potuit, etiam in Pannonia natus adfirmetur. Apud Livium^{a)} milites conspecto lupo exclamant: *hinc victor Martius lupus gentis nos Martiae, et conditoris nostri admonuit.*

Vt lit A. Caput laureatum.

PRINCIPIS. IVVENTVTI. (sic) *Imperator paludatus stans d. hastam, f. globum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.) AE. III. (Mus. Caes.)

Confirmatur iterum, quod jam alias devexo imperio vidimus, ipsos etiam Augustos non raro dictos *principes juven-tis*, atque etiam eos, qui velut Probus, simul Caesares, simul Augusti fuere. Observandum, utrumque hunc numum, aureum aeneumque, adeo perfecte utraque sui parte esse similem, ut etiam in errore monetarii, cum scribendum esset PRINCIPI. IVVENTVTIS, conspirent.

Antica varia.

RESTITVT. SEC. vel SAEC. vel SAE-

CVLLI. *Imperator paludatus stans d. globum, f. hastam coronatur ab adstante victoria.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Vt lit. A.

SAECVLL FELICITAS. *Quatuor pueruli cum suis attributis.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vt lit. B.

*SISCIA. PROBI. AVG. *Mulier sedens coronam solutam tenet, hinc et illuc fluvius procumbens cum urna, ex qua aqua profuit.* AE. III. (Mus. Caes.)

Aversae hujus explicatum parte ex numo fere simili Gallieni.

Vt lit. A.

VICTORIOSO. SEMPER. *Imperatori stanti d. elata sceptrum gerenti figurae quatuor supplicant, duae de genibus, duae stantes, in imo corona.* AV. (Mus. olim de France Vindob. Spanheim Caes. Iul. p. 101.)

Aversa illustris ex perpetuo Probi victoriarum cursu facile explicatur.

Vt lit. B. Caput laureatum.

VICTORIAE. AVGG. (sic) *Victoria in citis bigis.* AV. (Mus. Caes.)

Cum Probus conlegam imperii non habuerit, Augustae vero uxori typus Victoriae non competat, maluit Khellius, qui numum hunc edidit, in eo vitium monetarii, aut matricem temere permutatam suspicari. Posterior ratio si valet, matrix capta erit ex moneta Valeriani, in qua haec aversa observatur quoque.

Vt lit. A. Capita jugata Probi laureatum, et Herculis.

VICTORIA. AVG. *Victoria stans inter*

a) L. X. c. 27.
(Vol. VII.)

duos captivos humi sedentes. Quin. aeneus. *De numis Alexandrinis, et terminis imperii.* (Mus. Caes.)

Numum commendat antica, cui similes multos in Postumo vidimus. Probum Herculi adsimilatum vidimus supra in HERCVLI.

Antica varia.

VICTORIA. GERM. *typis Victoriae variis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Protome Probi.

VICTORIA. GOTHIC. *Victoria gradiens, pro pedibus captivus humi sedens.* AV. (Band.)

A victa utraque gente, ut diximus in annalibus, appellatae hae victoriae.

Antica varia.

VICTORIAE. AVGVSTI. *Duae Victoriae tenentes clypeum, in quo VOT. X. in alio; VOT. XXX. MVLTIS. XXXX. AV. (Band.)*

Antica varia.

VOTIS. X. ET. XX. FEL. *vel: VOTIS. X. PROBI. AVG. ET. XX. intra coronam.* AE. III. (Band. Beger Thef. Brand. T. III. p. 165.) VOTA. SOLVTA. X. AE. max. mod. (Tanini.)

Videmus, ex his numis, Probum vota non decennialia modo, sed et XX. XXX. XXXX. suscepisse, qui nonnisi sex annis, et paullo amplius imperavit. Quam parum ergo horum mentio serviat chronologiae, vel ex uno hoc exemplo perspiciamus, et patebit amplius ex iis, quae volumine sequente in tractatu singulari de votorum numis differemus.

Numi commatis peregrini praeter Alexandrinos alii jam non exstant. In his anni ab A usque Z pridem cogniti. Alios subinde cum anno H edidere Baro Bimardus, ^{a)} Pellerinius, ^{b)} atque ego ex museo M. Ducis, ^{c)} et serius geminum ex museo Caesareo. Quot annis imperaverit Probus, scriptores veteres multum, ut fere semper, dissident. Maxima Iuliani Caesaris auctoritas, qui imperasse eum *ὅδε ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτα, neque annis plenis septem* scribit. Inchoatum saltem annum septimum Tillemon-tius variis argumentis confecit. ^{d)} Atque istud egregie confirmant numi Alexandrini. Nam cum hi annos VIII. exhibeant, necesse est, annum VII. saltem fuisse inchoatum. Ergo si annus ejus A coepit circiter in Aprili, vel Majo V. C. 1029, quo adversus Florianum in Syria et vicina Aegypto agnitus est Augustus, et mox proximo die XXIX. Augusti annus B, necessario annus H incipiet eodem die XXIX. Augusti V. C. 1035. Cum vero tam pauci exstant Alexandrini cum anno H, verisimile est, paullo post dictum Augusti diem intellectam in Aegypto Probi mortem, et tum ejus nomine ferri monetam desitam. Quare ex numis Alexandrinis Probo saltem pleni sex anni debentur cum aliquo excessu. Loge de hoc argumento copiose, differentem Bimardum loco indicato.

a) Mem. B. L. T. XIII. p. 437. l. et IX. in Probum.

b) Mel. I. p. 234.

c) Num. vet. p. 302.

d) Nota

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	R.
Argentei ex metallo puro	-	-	-	-	-	-	RRR
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	C.

BONOSVS.

Arrepta in Rhaetia purpura paullo post a Probo victus suspendio vitam finit. (Vopiscus.)

Ejus numi uni tantum Goltzio cogniti, et jure suspecti. Non tamen dissimulavero numum huic tyranno serius tributum, utcumque de eo eruditi arbitrabuntur.

MP. BONSVOSI. *Caput diadematum d. hastam, f. clypeum.*

VIRTVS. MICIT. *Labarum, in quo VOT. XX., ad cujus pedem duo captivi, in area JS, in imo T. S. Δ. AE. III. (Mus. Theup.)*

SATVRNINVS II.

Natione Gallus ab Aureliano limitis Orientalis dux constitutus, ab Alexandrinis Augustus dicitur, etsi flets, ac plane invitus imperium deprecaretur. Obsessus in castro a militum manu, quam Probus miserat, et ad deditio- nem coactus jugulatur invito Probo,

qui infontem novit. (Vopiscus.)

Ejus numum ex solo Goltzio esse cognitum, dixi altius in Saturnino I., qui imperante Gallieno tyrannus ex triginta unus fuit. Saturninum III. vide post numos Constantis Constantini M. filii.

PROCVLVS.

Natus in Albigaunis, Alpium maritimarum populo, vir fortis, sed libidinis portentum. Apud Lugdunum Galliae per ludum primo, ac jocum dictus im-

perator, deinde serio agnitus a Probo dejicitur. (Vopiscus.)

Numum dedit Goltzius, alterumque non melioris fidei ex Chiffletio Mediobarbus.

M. AVRELIUS CARVS.

Natus Narbone Galliae. ^{a)} Vopisco vera ejus patria et genus non satis fuit perspectum. Propter rei militaris scientiam a Probo praefectus praetorio dictus, cum hic exeunte circiter Augusto V. C. 1035 a militibus apud Sirmium caederetur, unanimi exercitus sententia appellatus est imperator, summumque a deo fastigium nemine propter virtutis opinionem repugnante pacifice tenuit. Continuo filiis Carino et Numeriano appellatis Caesaribus, et vindicato insigni victoria a Sarmatis Illyrico, comite Numeriano (nam Carinum se absente Occidenti praefecerat) adversum Persas profectus, pulsus omnibus, qui resistere, Ctesiphontem ipsam cepit, at in medio victoriarum cursu fulmine ictus perit V. C. 1036 mense incerto, ut dicitur infra.

Iudice Vopisco vir medius, inter bonos magis quam malos principes collocandus, et longe melior, si Carinum non habuisset heredem. Chronologiam Cari et filiorum expedire conatus est Baro Bimardus in proluxa dissertatione, quae est in Memor. B. L. Tom XIII. p. 437.)

Vxor credita Magnia Urbica, quam tamen verisimilius fuisse junctam Carino, infra disputabimus.

V. C. 1035. 1036. P. X. 282. 283.
Probo Aug. V., Victorino cos.
Caro Aug. II., Carino Caes. cos.

- A. IMP. CARVS. P. F. AVG. *vel*
IMP. CARVS. AVG.
B. IMP. C. M. AVR. CARVS. *in a-*
liis KARVS. AVG.
C. VIRTVS. CARL. AVG.

Inscriptiones quasdam singulares vide in ipsis numis.

In numis *aureis* fere constans caput laureatum, ut et in *aeneis*, qui quinariorum modum habent; *in aeneis max. mod.* frequentibus ejus protome; *in aeneis III. formae* est caput radiatum, aut etiam ejus protome.

Vt lit. B. Caput laureatum.

ADVENTVS. CARL. AVG. *Imperator eques d. elata, f. hastam.* AV. (Band.)

Carum revera Romam ex Pannonia petiisse, antequam in Persiam abiret, ex hoc numo nonnulli verisimile putant. Sed dixi supra in moneta Taciti, hac aetate mentione adventus non semper indicari adventum in urbem.

DEO. ET. DOMINO. CARO.
AVG. *Duo capita radiata adversa.*
FELICITATI. PVBLICAE. *Mulier stans*
d. pateram, f. hastam, et simul columnae
innixa. AE. II. (Band.)

DEO. ET. DOMINO. CARO.
INVIC. AVG. *Eadem capita.*
FELICITAS. REIPVBLICAE. *Mulier*
stans d. caduceum, f. hastam, et simul co-
lumnæ innixa. AE. III. (Band.)

DEO. ET. DOMINO. CARO.
AVG. *Caput Cari laureatum.*

a) Victor in Caesarib. sub Dioclet.

VICTORIA. AVG. *Victoria globo insistens.*
AV. (Band.)

Vtriusque caput jugatum radiatum.

Iam Aurelianum vidimus vocari in numis *Deum et Dominum natum*, nunc Carum quoque *Deum et Dominum* habemus. Vtriusque numos Bandurius post mortem signatos censet. Contra Spanhemius, cui sane adfentiendum cenfeo, ut jam in numis Aureliani observavi. Enimvero partes averſae nihil offerunt, quod posset ad mortuum referri, et tanta fuit jam pridem nonnullorum imperatorum arrogantia, ut vivi etiam divinos honores appetent. Videri posset in his Cari numis DEI nomine indicari Solem, et DOMINI nomine imperatorem; verum obſtat numus tertio loco descriptus, in quo solum Cari caput proponitur, nullo adeo ad Solem, cujus caput abest, respectu.

IMP. C. M. AVR. KARVS. AVG.
Caput laureatum.

KARINVS. NOBIL. CAES. *Caput laureatum.* AV. (Bandur.)

Vt lit. B.

PERPETVITATE. AVG. *Mulier stans d. globum, s. hastam, et simul columnae innixa.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vide numum similem in moneta Floriani.

IMP. C. M. AVR. CARVS. P. F.
AVG. COS. *Protome Cari.*

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes cum attributis.* AE. max. mod. (Vaill.)

Unicus hic numus est, qui Cari consulatum commemorat. Si non omissus est consulatus numerus, quod hac aetate saepe factum, numus est anni V. C. 1035, nam anno sequente processit consul II. conlega Carinae.

CARVS. ET. CARINVS. AVG.

SAECVLI. FELICITAS. *Imperator stans d. hastam, s. globum tenet.* AE. III. In alio: VICTORIA. AVG. AE. II. (Band.)

IMP. CARO. AVG. ET. CARINO. N. CAES. *Capita utriusque adversa laureata.*

SAECVLI. FELICITAS. *Quatuor pueruli cum attributis.* AE. max. mod. (Vaill. de Camps.)

Vide, quae ad similem typum in numo Annii Veri diximus.

Antica varia.

VIRTVS. AVGG. vel AVGGG. *variis typis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Postremos hos numos descripsi, quoniam ea, quae ad Carinum pertinent, illustrabunt.

Divus Carus.

DIVO. CARO. *addito in aliis AVG. vel PIO, vel:*

DIVO. CARO. PERS. *in aliis PARTHICO. Caput radiatum.* In

aureo Bandurii caput laureatum.

CONSECRATIO, vel: CONECRATIO. AVG. *rarius pleno AVGVSTI. Aquila, vel ara luculenta.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΘΕΩ. ΚΑΡΩ. ΚΕΒ. *Caput laureatum.*

ΑΦΙΕΡΩCIC. *Ara, vel aquila.* AE. III. (Mus. Caes.)

Carum consecratum tacuere scriptores veteres omnes, at numi hi tam comitatus Romani, quam Alexandrini eorum silentium abunde suppleunt. *Persicus*, ac *Parthicus* dicitur. Priorem titulum ipse Vopiscus confirmat, qui cum ejus in bello Persico res gestas enarrasset,

addit: ex iis illum *imperatoris Persici nomen* emeruisse. Eodem pertinet titulus *Parthici*; nam illa aetate ejus tractu gentem jam Parthos, jam Persas dixere, etsi hi victores, illi victi essent, perinde ac nobis hodie Britanni, et Angli idem populus sunt. Eadem ratione et Probus *Parthicus* dictus est, etsi Persarum fuisse victor perhibeatur. Vide de variis his nominibus *Persarum, Parthorum, Medorum, Assyriorum* eidem genti datis Spanhemium. *) ΑΦΙΕΡΩΤΙΣ, *Consecratio*, in laudatis numis Alexandrinis, solo hactenus exemplo dedicatae mortuis principibus in Aegypto monetae consecrationis nomine.

De numis Alexandrinis, et terminis imperii.

Non exstant usque modo numi Alexandrini nisi cum anno A, reliqui cum epigraphe ΑΦΙΕΡΩΤΙΣ anni mentione abstinent. Quare ex his, quanto tempore imperaverit Carus, non colligimus. Ex numis Latinis nihil subsidii. Tillemontius ex tribunatu II., quem in

marmore Gruteriano notatum, reperit, inchoatum saltem a Caro annum imperii alterum arguit. Sed istud in ea solum sententia verum est, quae tribuniciae potestatis iterationem die natali imperii peractam adferit. Cumque mense Decembri ejusdem anni adhuc reperitur lex ejus nomine inscripta, existimat, si modo fallaci harum inscriptionum regulae habenda fides, eum usque ad dictum mensem prorogasse imperium. At enim cur non reperiuntur Alexandrini cum anno B, si a die XXIX. Augusti anni V. C. 1036 usque in Decembrem duravit, cum tamen copiosi habeantur cum anno A? Quare ex Aegypti numis verisimile sit, Carum, qui, ut mihi visum, exeunte Augusto anni 1035 imperare occoepit, haud multo post circumactum annum, et forte Septembri mense vivere desivisse, sic ut forte pauci tantum numi cum anno B signari potuerint, quorum adeo nullus ad nos pervenerit. Sed haec ex sola numorum doctrina, de quibus vide plura in moneta Carini.

P R E T I V M.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Argentei puri	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	R.

a) ad Iuliani orat. I. p. 122.

M. AVRELIVS NVMERIANVS.

Cari filius natu minor, sed in serie historica praeponitur fratri Carino; quoniam ante hunc vivere desiit. Eum bina marmorâ Muratorii *M. Numerium Numerianum* appellant, ^{a)} sed nâmi *M. Aurelium*. A patre imperium adepto mox cum fratre Caesar dicitur.

V. C. 1035. P. X. 282.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

Victis in Occidente Sarmatis patrem in Orientem adversus Persas comitatur.

M. AVR. NVMERIANVS. C. in aliis: NOB. C. *Caput laureatum in AV. radiatum in AE. III.*

MARS. VICTOR — PRINCIPI. IVVENT. — VIRTVS. AVGG. — cum suis typis.

V. C. 1036 P. X. 283.
IMPERATOR. CAESAR.

A patre *imperator* appellatur.

IMP. C. M. AVR. NVMERIANVS. NOB. C. *Caput radiatum. VIRTVS. AVGGG. Duae figurae paludatae, quarum una hastam tenet, stantes Victoriolam, cui superne astrum imminet, una sustinent. AE. III. (Mus. Caes.)*

De titulo *imperatoris*, et triplice AVGGG. agetur infra in Carino.

Eodem anno mortuo patre.
AVGVSTVS. COS. DES.

Numos cum titulo Augusti, qui ad hunc annum pertinent, ad annum sequentem describam.

V. C. 1037. P. X. 284.

AVGVSTVS. COS.

Carino Aug. II. Numeriano Aug. II. *cos.*

Teste Vopisco cum propter nimium fletum, quem patris defuncti dolor expresserat, dolerent oculi, dum in lectica gestatur, factione Arii Apri, foci, qui invadere conabatur imperium, occisus est. Facinus per plures dies lecticae tenebris occultatum, tandem corporis tabescentis foetore proditum perdidit auctorem milite ultionem palam postulante. Factum istud refert Victor, ^{b)} cum exercitum ex Persia reduceret, secundum numos, ut dicitur infra, mense Septembri.

Numerianum egregie moratum, et vere dignum imperio, tum vero eloquentiae et poeseos studiis adeo excelluisse, ut aevi sui praestantissimos facile vicerit, ac denique dissimilem sese plane moribus fratris perveris probavisse, tradit Vopiscus.

Vxor, filia Arii Apri praefecti praetorio, cujus et nomen, et numos, si quos habuit, ignoramus, Apro Numeriani focero ex uno Vopisco cognito.

A. IMP. C. NVMERIANVS. P. F. AVG. COS. *Protome laureata d. Sceptrum cum aquila, s. globum cum Victoriola.*

a) Pag. 256. 7. et 461. 5.

b) in Caesarib.

ADLOCVTIO. AVGG. *Duo imperatores paludati stantes in suggestu, adstante poue figura togata milites adloquuntur.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Ad numi similis explicatum planissime adhaeret Bandurius. Ex addito COS. ad hunc annum pertinet. At qui deinde duo Augusti una e suggestu adloquentes? an horum alter pater Carus? at hunc anno praecedente mortuum diximus; aut si, quod nonnullis non improbabile visum, anni hujus principio vixit adhuc, an Numerianus vivo adhuc patre dictus jam est Augustus? An Carinum horum alterum statuemus, et quod sequitur, fratres immensis terrarum mariumque intervallis distantes in eodem suggestu sociabimus? Istud certum, insignes hos numos et mole et fabrica conspicuos non fallere, at desperandam esse eorum explicationem in hac scriptorum et ignorantia et perversitate. Quanquam videri possit, monetarios proponendo hoc typo unam spectasse adlocutionem ab unoquoque fratre ad suum exercitum peractam, nulla habita distantiae ratione. Sed non unicus est hic lapis, ad quem in Numeriani et Carini moneta cogimur offendere, ut patebit.

B. IMP. NUMERIANVS. INVICT. AVG. *Caput radiatum.* ORIENS. AVG. *Sol gradiens d. elata, s. flagellum.* AE. III.

Opportune Bandurius ad numum similem versus Nemesiani ejus aevi poëtae laudat, sic Carino accinentis: ^{a)}

*utque intima frater
Persidos et veteres Babylonis ceperit arces
Altas, Romulei violata cacumina regni.*

Ergo ex auctoris synchroni testimonio certum nobis est, Numerianum in Oriente abfuisse.

C. IMP. NUMERIANVS. AVG. *Caput laureatum.* P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator in quadrigis.* AE. III. (Tanini.)

D. IMP. NUMERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.* PRINCIPI. IVENTVT. *Imperator paludatus stans d. bacillum, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

En post tot exempla Numerianus quoque Augustus, et princeps juventutis.

Vt lit. A.

TRIVMPHVS. QVADORVM. *Duo imperatores in quadrigis triumphalibus praecedente Victoria; adsunt duae figurae in vertice, et duae aliae infra cum spoliis.* AE. max. mod. (Banduri.) Taninius in suo ait legi: TRIVNFV. QVADOR.

Quadorum sedem ad numum Antonini Pii: REX. QVADIS. DATVS, definivimus. At quid Numerianus cum Quadis? aut quando tandem eos devicit? cum teste Vopisco post Sarmatas victos statim in Orientem cum patre abiverit, et antea caesus sit, antequam in Occidentem reverti contigisset? An quos numi Quados, eosdem historicus dixit Sarmatas? Et vero ubi actus triumphus a duobus imperatoribus? Sane propter additum COS erat triumphus anni praefen-

a) Cyneg. v. 71.

tis, et necesse est intelligi utrumque fratrem, sed hi distabant, ut supra diximus. En tenebras Cimmeriis spissiores, quas Bandurius quoque desperavit posse illustrare in suo ad hunc numum commentario.

IMP. NVMERIANVS. AVG. *Caput radiatum.*
 VNDIQVE. VICTORES. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam; in aliis praeterea duo captivi adsidentes.* AE. III. (Mus. Caef.)

Nimirum Carinus et Numerianus, hic in Oriente, ille in Occidente hostium victor.

Divus Numerianus.

DIVO. NVMERIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, vel ara ignita.* AE. III. (Mus. Caef.)

Numi Alexandrini.

A. K. M. A. NOTMEPIANOC. K. *Caput laureatum.* X L. A. (Mus. Caef. Band.)

A. K. M. A. NOTMEPIANOC. CEB. *Caput laureatum.* X L. B. *vel: ETOYC. F. vel: AEG. B. TPAI. L. F.* (Mus. Caef.)

Quae ex his numis ad definiendos imperii Numeriani utrinque terminos, et titulos possunt colligi, ut et de *legione II. Trajana* his inscripta, in Carinum differam, cujus moneta Alexandrina eandem rationem sequitur.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei puri	-	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	-	R.

M. AVRELIVS CARINVS.

Cari filius natus major a patre ad imperium evecto pro matre Caesar appellatur.

V. C. 1035. P. X. 282.
 CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. DES.
 Probo Aug. V. Victorino cos.
 (Vol. VII.)

A. CARINVS. NOBIL. CAES.
 B. M. AVR. CARINVS. CAES.
 C. M. AVR. CARINVS. *vel* KARI-
 NVS. NOB. C. *vel* CAES.
 D. M. AVR. CARINVS. P. F. NOB.
 CAES. *in numis tribus Bandurii,*
 T t t

et aliis, quos citat Bimardus. (ad Iobert T. I. p. 270.)

Caput laureatum in AV. et AE. max. mod., radiatum in AE. III.

Antica * varia. *

PRINCIPI. IVVENT. *Caesar paludatus stans d. bacillum, vel globum, vel signum militare, s. hastam.* AV. AE. III.

Vt lit. C. Protome Carini d. hastam tenens, s. capistro equum retinens.

TRAIECTVS. AVGG. *Navis praetoria cum remigantibus, in cujus puppi imperator gubernaculum regit adstantibus tribus praetorianis.* AE. max. mod. (Vaill.)

Trajectus hic ad Carinum pertinere nequit, quia duo Augusti in numo notantur, ergo ad patrem Carum, et fratrem Numerianum, quorum adeo trajectum honoris causa Carinus aeternitati commendavit. Putat Bandurius, indicari trajectum Euphratis aut Tigris, at ego Hellesponti malle secundum ea, quae ad numum Gordiani Pii similiter inscriptum anni V. C. 955 differui.

V. C. 1036. P. X. 283.

IMPERATOR. CAESAR. COS.

Caro Aug. II., Carino Caes. cof:

Pater in Orientem contra Persas profectus Carino totum Occidentem Augusti potestate gubernandum committit. Hinc titulus *imperatoris*. (Vide infra in titulis.)

IMP. C. M. AVR. CARINVS.

NOB. C. *Caput radiatum.*

VIRTVS. AVGG. in aliis: AVGGG.

Imperator paludatus stans s. hastam, d. Victoriolam, cui adversus stat alter imperator paludatus dexteram porrigens, s. sceptrum. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Numos similes in Numeriano quoque vidimus. De iis pluribus agetur infra in titulis.

Eodem anno mortuo patre
AVGVSTVS. COS. DES. II.

Numos cum nomine Augusteo ad hunc annum pertinentes in annum sequentem differo.

V. C. 1037. P. X. 284.

AVGVSTVS. COS. H.

Carino Aug. II., Numeriano Aug. II.

Caeso in Oriente fratre, et Diocletiano in ejus locum a militibus suffecto ipse e Galliis egressus per iter Iulianum Venetiarum correctorem, qui imperium arripuerat, submovet, collatis deinde apud Margum Moesiae superioris cum Diocletiano signis victor primum, at dum victis inconsultius instat, a suis, quorum uxoribus insidiabatur, occiditur, quod factum chronologi in annum sequentem plerique differant.

Fuisse hominem omnium contaminatissimum, adulterum, corruptorem juventutis, crudelem, voluptatibus totum immersum refert Vopiscus, sic ut doleret pater Carus, non eam aetatem Numeriano, ut credere illi Gallicanum imperium posset, cui necessitate compulsus eum praefecerat, et denique crescentibus ejus vitiis Caesareum ei honorem abrogare secum constitue-

ret. *) Sed reipublicae bono evenit, ut in ejus exitium diuturna haec pestis non esset.

Vxor verisimilis *Magnia Urbica*, de qua infra, una ex novem illis, quas duxisse et repudiavisse pulsus plerisque praegnantibus narrat Vopiscus.

IMP. CARINVS. P. F. AVG. vel:
IMP. M. AVR. CARINVS. P. F.
AVG. aut similiter.

Caput laureatum in AV. et AE. max. mod. Radiatum in AE. III. Nonnunquam ejus protome in omnis generis numis.

Epigraphe solita. Caput laureatum.

P. M. TRI. P. COS. P. P. *Vir laureatus seminudus cum pallio stans in quadriga, d. elata tenet ramusculum.* AV. (Beger Thef. Brand.)

Si omisi utrinque non sunt numeri, numus erit anni V. C. 1036, quo Carinus consul I. fuit, et mortuo patre pontificatum maximum una cum trib. potestate accepit.

Antica solita.

PRINCIPI. IVVENTVT. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Etiam fratrem Numerianum simul Augustum, simul principem juventutis vidimus.

Antica solita.

VENERI. VICTRICI. *Venus stans d. Victoriolam, s. malum.* AV. (Mus. Caes.)
Aureum similem, sed fratris Nume-

riani, dedit Bandurius. Aversa haec ut obvia in numis Augustarum, sic in numis Augustorum rarior.

CARINVS. ET. NUMERIANVS.
AVGG. *Vtriusque capita laureata jugata.*

VICTORIA. AVGG. *Victoria gradiens.* AE. III. (Band.)

* Pars antica numum hunc singularem facit.

Epigraphe solita. Caput laureatum.

VIRTVS. AVGVSTOR. *Duo imperatores paludati jungunt dexteras; Hercules uni, Apollo alteri lauream imponit.* AE. max. mod. (Band.)

Numi Alexandrini.

A. K. M. A. KAPINOC. K. *Caput laureatum.* X L. A.

Hic numus obvius est, sed unum profert etiam Bandurius:

ATT. K. M. A. KAPINOC. CEB. *Caput laureatum.* X L. A.

A. K. M. A. KAPINOC. CEB. *Caput laureatum.* X L. B. vel: ETOTC. Γ. vel: ΔΕΓ. Β. ΤΡΑΙ. Λ. Γ. (Band.)

In uno legitur sic:

A. K. M. A. KAPINOC. K. *Caput laureatum.* X ETOTC. Γ. (Band.)

Numi Alexandrini Numeriani et Carini, quod ad annos, typos, et fere etiam titulos attinet, plene conspirant.

Ex anno Γ, qui utriusque numis inscribitur, docemur, imperium se aliquamdiu ultra diem XXIX. Augusti V. C. 1037

a) Vopiscus in Caro.

porrigere, ac vel inde confirmatur sententia eorum, qui Diocletianum die XVII. Septembris ejus anni Chalcedone imperatorem adclamatum dixere. (Vide Tillemontii notam I. in Dioclet.) Ex quo videmus, necesse non esse, ut statuamus cum Belleyo, a Carino et Numeriano continuatos patris Cari annos fuisse, ut istud factum a Commodo videmus. ^{a)} Alioqui tota hujus imperii chronologia admodum est perturbata.

ΔΕΓ. Β. ΤΡΑΙ. *Legio II. Trajana*, inscriptum utriusque fratris numis. Numos hos explicat Dio Cassius, qui quo loco de constitutis varia aetate legionibus differit, sic ait: ^{b)} Τραιανος το δευτερον το Αιγυπτιον, και το τριακοστον το Γερμανικον, α και αφ εαυτε επωνομασεν. *Trajanus legionem II. Aegyptiam, et trigessimam Germanicam constituit, quibus a suo nomine nomen imposuit.* Comprobant ergo hi numi, eam legionem hac adhuc aetate veterem suam stationem obtinuisse.

De titulis Caesaris, imperatoris, Augusti Carino et Numeriano delatis.

Caesares a patre mox post aditum imperium fuisse dictos, scriptores hujus aevi fere omnes testantur, atque istud vidimus confirmari numis. At res insolens repetitus in utriusque numis tam Latinis, quam Alexandrinis *Caesaris* titulus, ut vidimus in inscriptionibus capitum, cujus neque antea, neque post habemus exemplum. Non audeo explicare hoc rei numismatae prodigium. Qui conjecturas amat,

adeat Spanhemium. ^{c)} et Froelighium. ^{d)}

Imperator uterque in numis addito solo NOB. CAES. et absque titulo *Augusti* dicitur in numis Romanis, et in Alexandrinis ΑΤΤ. Κ. absque CΕΒ. Insolens istud, non tamen citra exemplum, ut ostendi copiose in moneta Salonini Gallieni F. Collati hujus tituli causam luculentam suggerit Vopiscus, quo teste Carus in Orientem profectus natu majorem Carinum in Occidente reliquit decretis illi Galliis, Italia, Illyrico, Hispaniis, Britannia, Africa, imperio, ut ait, *Caesariano, ea lege, ut omnia faceret, quae Augusti faciunt.* Ergo Carus filium, ut olim Gallienus Saloninum, imperatoris et nomine et potestate ornavit, ut majore in tanto imperio polleret auctoritate, qua quoque de causa permessa ei adhuc Caesari *Pii Felicis* nomina suspicor. Imperatoris titulum a patre delatum quoque Numeriano non quidem historici, sed numi aperte docent.

Augustus. Vt certum est, fuisse hoc honore donatum, ita variant sententiae, quando hunc illis tributum titulum existimandum sit. Censent alii, factum istud patre vivo, alii non nisi hoc defuncto. Pagio, qui priorem sententiam amplexus est, ^{e)} fortissimum argumentum visi numi seu *Carini*, seu Numeriani, inscripti: VIRTVS. AVGGG., ergo, aiebat, tres una fuere Augusti, nempe pater cum filiis duobus, item numi alii: CARVS. ET. CARINVS. AVGG., quae testimonia invicta visa sunt ipsi Tille-

a) B. L. Tom. XXI. Mem. p. 483. Teat. p. 430.

b) L. LV. § 23. Crit. Baron. ad an. Ch. 283. § 5.

c) Tom. II. p. 355.

d) IV.

montio.^{a)} At enim argumenta haec parum sunt valida. Nam numos AVGG. vel AVGGG. in hac familia non probare duos vel tres Augustos, facile probamus ex numis ipsis Carini et Numeriani.

M. AVR. CARINVS. *vel* NVMERIANVS. NOB. C.

MONETA. AVGG. *vel* VIRTVS. AVGG. *etc.*

Secundum Pagium *ro* AVGG. partis averse indicat Carum et Carinum, vel Carum et Numerianum Augustos. At si istud, cur Carinus et Numerianus in parte numi antica, seu nobiliore, quae omnes utriusque titulos complectitur, *Caesares* tantum appellatur? Si ergo in his *ro* AVGG. certe non probat, utrumque fuisse Augustum, non probabit etiam in iis, quos Pagius citat. Augusti ergo dicuntur in numis, non quod revera

tales essent, sed quod illis hic honos per confortium cum patre habebatur, cujus exempla vidimus in Salonino, Tetrico juniore, aliisque, et quo modo Pagius ipse variis Criticae suae locis ambigua illa AVGG. vel AVGGG. explicavit. Atque eodem modo explicandae sunt subscriptiones legum, in quibus Carus, Carinus, Numerianus *Auggg.* appellantur, ut adeo nulla ratio sit adferendi, filios ante patris mortem Augusteo honore fuisse condecoratos, sed appareat satis, primum a patre creatos fuisse Caesares, mox imperatores, atque illo tandem mortuo Augustos dictos, ut numi statuunt. Numorum Latinorum legem sequuntur et numi Alexandrini paucis demptis, qui facilem explicationem admittunt, nisi potius a monetariis peccata haberi debeant.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Argentei puri	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	C.
Alexandrini	-	-	-	-	-	-	-	R.

MAGNIA VRBICA

Ex folis numis, iisque copiosis cognita, varia tempora ac thalamos eruditorum scito experta est. Plerique eam in Maxentii aetatem dimovere, sed con-

a) Nota II. in Carum.

jecturis infirmis, quin huic denupfit etiam conciliante nuptias Carolo Patino. ^{a)} Contra Genebrierus edita ineunte hoc saeculo dissertatione Parisiis, quam alteris typis vulgatam habemus in Electis Wolterekii, Cari eam uxorem promulgavit adprobante ejus iudicium Bandurio, eruditisque aliis.

Novo hoc Cari consortio multis annis tranquille usam turbare coepit Philippus Stofchius reperto numo aeneo III. formae:

IMP. CARINVS. AVG. *Protome Carini galeata laureata d. equum capistro retinet, s. clypeum.*

MAGNIA VRBICA. AVG. *Caput Magnae Urbicae.*

Hujus numi auctoritate motus sancire non dubitavit, decisam tandem veterem litem, et Urbicam indubitam Carini uxorem habendam, ut videre est in ejus epistola edita Florentiae anno 1755.

Non satisfacit haec sententia Belleyo, eaque rursus in examen vocata commentarium scripsit, qui insertus est operi: Mem. des B. L. Tom. XXVII. p. 154, cujus summa capita haec sunt: praeunte hoc numo dubitari quidem jam non posse, Urbicam ad Cari familiam pertinere, non tamen certo posse argui, Carini eam uxorem fuisse. Non posse negari, saepius in moneta Romana mariti et uxoris capita sociari, at verum esse etiam, hunc honorem aliis quoque feminis habitum; quae uxores non fuere. Urbicam vero non fuisse uxorem Carinii sed Cari, his conatur rationibus persuadere, I. Copiosos ha-

bemus numos, in quibus mater cum filio jungitur, poterat ergo in praesente numo mater quoque Carini jungi cum filio. II. Repugnare ait moribus Carini Urbicam conjugem, qui teste Vopisco *uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit, pulsus plerisque praegnantibus.* At vero Urbicam non modo fuisse praegnantem, sed insuper duas enixam proles, patere ex ejus numis cum epigraphe PVDICTIA. AVG., et typo mulieris sedentis, juxta quam stant duo puelli induti toga virili. Ex quo arguit, Carinum, qui non tulit uxores praegnantes, multo minus laturum, fuisse bis fecundam, neque juvenis Carini uxori eam esse potuisse aetatem, ut filios jam haberet togae virili idoneos. Fuisse ergo Urbicam Cari uxorem, et binas avercae proles Carinum et Numerianum.

Huic Belleyi crisi iudicium suum opposuit Khellius in dissertatione edita Vindobonae 1767, cui titulus: *Epicrisis observationum cl. Belley in numum Magnae Urbicae Aug.*, qua confirmare sententiam Stofchii, et diluere objecta Belleyi dubia magna verborum copia adnititur.

Ponderatis utriusque argumentis etsi decidere litem verear, mallet tamen pro Carini, quam Cari uxore stare. Esto, quod narrat Vopiscus, fuisse Carinum in ducendo ac repudiando praecipitem, an non eodem vitio laboravit quoque Elagabalus, cujus, etsi ne quatuor quidem annis solidis imperasset, uxores certas tres habemus, easque omnes numis insignes? At magno suo

a) Num. Impp.

malo gestavit uterum Vrbica, atque iterato quidem. Vnde istud probat Belleyus? ex binis, ait, puellis Pudicitiae sedenti adstitutis. Verum si hi Vrbicam bis fecundam arguunt, etiam necesse erit, Plautillam Caracallae dicere fecundam, quoniam in hujus numo inscripto PIETAS. AVGG. proponitur mulier infantem in sinu gestans, aut Otaciliam Philippi quater fecundam, quoniam in ejus numo PIETAS. AVGVSTAE quatuor puellae mulierem circumstant. Idem arguit similis numus Sabinæ Hadriani, quam certe nunquam fuisse gravidam constat. Si ergo in his numis adstantia minuta signa nequaquam numerum prolium, sed Pietatis symbola constituunt, dici etiam poterit, illa in numo Pudicitiae symbola constituere. Sed demus etiam Belleyo, his signis indicari Vrbicae liberos, cur propterea non potuerit esse Carini uxor, non satis video. Praeferunt togam virilem, qua aetate liberos illa habere non potuit. Verum an satis probaverit, togam, qua ii induji comparent, revera esse virilem? Quod si hi, ut existimat, certi sunt Carinus et Numerianus, an satis horum consultum honori, dum ii, qui, quo tempore signatus fuit hic Pudicitiae numus, jam Caesares imperatores, consulesque fuerunt, sola amicti toga virili, nullo alio indicio a privati modo distinguuntur? Atqui si Vopiscus verbis pertinacius sententiam suam tuetur, iisdem et meam tuebor; non ait, pulsas a Carino omnes praegnantes, sed plerasque, ergo passus tamen est aliquas, in

quarum numero Vrbica haec nostra, ejusque postrema uxor esse potuit, quae se plus mariti ingenio adcommodaverit, sed forte haec quoque repudianda paulo post, nisi Diocletianus repudiis finem fecisset. Denique non praetermittendum, quod advertit Kheslius, junio-rem eam in numis proponi, quam ut Carini, qui jam ad justam aetatem pervenerat, mater haberi posset. Atque haec argumenta etsi non evincunt, verisimile tamen faciunt, Vrbicam Carini uxorem potius, quam matrem existitisse.

Ceterum Stofchianus hic numus perperam ad iudicium vocatur, si verum est, quod vir quidam in historia numismatica praeclare eruditus mihi adfuerat, eum ipsa Stofchii aetate Florentiae ex fraudatoris mala officina prodivisse.

Numi:

MAGN. *vel* MAGNIA. VRBICA. AVG.

MAGNIAE. VRBICAE. AVG.

Praeter ejus numum supra laudatum una cum capite Carini, si modo genuinus putandus, memorandi adhuc:

Antica solita.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. velum capiti obducit.* AV. (Mus. Caes.) *In aliis adstant praeterea duo puelli, pone Felicitas sedili innixa d. caduceum, s. cornucopiae.* AE, max. mod. (Mus. Caes.)

De his numis actum continuo supra.

Numi reliqui continent obvios Augustarum typos.

NIGRINIANVS.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Argentei puri	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei max. mod.	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei I. formae	-	-	-	-	-	-	-	O.
Aenei II. formae	-	-	-	-	-	-	-	RRR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	R.

NIGRINIANVS.

VI praecedens Magnia Urbica, ita Nigrinianus quoque sui memoriam solis numis debet. Cl. Genebrier, qui de his amplum commentarium scripsit, hunc quoque Electis Woltereckii insertum, de hoc sive Caesare, sive Augusto praeter conjecturas aliud adferre non potuit. Inferendum vero huic aetati censuit propter inscriptas infra literas KAA, quas in nullis alterius aetatis numis se reperisse testatur. Ceterum, nisi ejus consecrati numi non exstant. Trifanum eum Alexandri Africae tyranni filium fuisse existimat, quem et sequitur Mediobarbus. ^{a)}

Divus Nigrinianus.

DIVO. NIGRINIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, vel ara luculenta.* AE. III. (Mus. Caes.) Bandurio etiam AR. et AE. II.

Alius, sed *caput nudum, et rogos*, in AV. singulari. (Liebe Gotha num.)

Addendus hic numus, quem cl. Pinkertonus ex museo Hunteri vulgavit. ^{b)}
DIVO. NIGRINIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila super ara, in area* OF. II. *in imo* KAVO.

Causa capitis magis senilis hunc Nigrinianum diversum a Nigriniano existimat. Discrimen istud haud facile admitendum videtur.

PRETIUM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei, si qui sunt,	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	RR.

a) Pag. 445.

b) Essay on medals Vol. I, p. 274.

M. AVRELIVS IVLIANVS.

Victori in Epitome dictus *Sabinus Iulianus*, Venetorum corrector, audita Cari morte imperium inuolit tractis in partes Pannoniis, ut numi docent. Eum Carinus, cum aduersus Diocletianum in Illyricum tenderet, in campis Veronensibus aggressus vicit et interfecit. ^{a)} Alterius adhuc Iuliani meminit Victor in Epitome sub Diocletiano, qui factus imperator in Italia poenae instantis metu acto per costas pugione in ignem se abiecit. Alium eodem nomine sub Diocletiano in Africa turbasse refert Victor in Caels. Vide Anonymi dissertationem in hujus tyranni numos in Memor. Trevolt. in Majo 1706.

IMP. C. IVLIANVS. P. F. AVG.
IMP. C. M. AVR. IVLIANVS.
P. F. AVG.

Caput laureatum in AV., radiatum inoreliquis.

Antica, ut dictum.

PANNONIAE. AVG. *Duae mulieres stantes, quarum una dexteram extendit, altera signum militare tenet.* AE. III. (Mus. Caes.)

Eandem fere aversam vidimus in moneta Decii. Numi hi argumento sunt, Pannonias in hac seditione a Iuliano stetitisse.

Numi reliqui: FELICITAS. TEMPORVM. AE. III. — LIBERTAS. PVBLICA. AV. AR. — VICTORIA. AVG. AE. III. Sunt omnes in museo Caesareo.

PRETIVM.

Aurei	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Argentei puri-	-	-	-	-	-	-	-	RRRR.
Aenei III. formae	-	-	-	-	-	-	-	RR.

FINIS VOLUMINIS VII.

a) Victor uterque.
(Vol. VII.)



00083069

Digitized with financial assistance from

Government of Maharashtra

on 30 January, 2020

